


RR. PP. Eremitarum Camaldulen. Montis Regij prope Varsaviam

Pars Secunda
THEOLOGIÆ
SPIRITUALIS
FUNDAMENTALIS;
SEU
SCIENTIÆ SALUTIS,
Benè Beatèque vivendi in Tempore, ac Æternitate.

DE MEDIIS, SEU ACTIBUS STATUS VITÆ CHRISTIANÆ SUPERNATURALIS, SEU SPIRITUALIS: AD FINEM SUPERNATURALEM.

TUM DE EORUNDEM ACTUUM OPPOSITIS.

NEC NON DE CAUSA' OBJECTIVA; SEU MATERIALI, ET FORMALI ACTUUM VITÆ CHRISTIANÆ.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theologiæ Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Oliva, S. O. Cisterciensis.

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis,
Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR.
ANNO M. DC. LXXXVII.

PARS SECUNDA THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

PRogredimur à parte prima ad secundam partem Theologiæ Spiritualis. Illa à Causa omnium prima DEO T.O. Maximo, & quidem speciali titulo sub auspiciis æterni PATRIS suum cæpit initium: Hæc quoque idem omnium, in quod resolvatur ultimariò, respicit Principium; & potissimùm secundæ Trinitatis Personæ, FILIO DEI & hominis, JESU CHRISTO Domino nostro, suum Totum, quidquid illa est, defert. Rectè quidem: Simile enim simili gaudet. Nam quoad rationem Summi Principii, cum hæc Pars secunda Theologiæ Spiritualis penè tota constet Actibus, & ad Actus spectantibus, an non ipsa benè reducitur in DEUM, ut Causam primam, seu ut Actum purum? *Omne enim Ens actu* teste D. Thoma *reducitur in primum Actum, scilicet DEUM, sicut in Causam, qui est per suam Essentiam Actus.* Unde DEUS est Causa omnis actionis. Quod verò concernit aliqualem similitudinem inter Filium DEI & Hominis, ac inter hanc partem secundam Theologiæ Spiritualis: Ille productus est à DEO Patre in æternitate, & ab homine ipsa Virgine Matre in tempore; hæc est productum quoddam à Causis Efficiente, Materiali, Formali, Finali: Ille est Mediator DEI & hominum, qui fecit utraque unum; hæc est Medium, quo homo reconciliatur DEO, illique unitur, ut sit unus Spiritus cum eo: Ille est Causa Idealis & Exemplaris, secundum quam facta sunt omnia; hæc quoque proponit Causas Ideales & Exemplares, maxime verò ipsum Christum Dominum, secundùm cujus Formam docet agere & pati omnia: Ille est per quem omnia *facta sunt*: hæc est per quam fit seu comparatur illa Beatitudo, in qua omnia bona sita sunt.

1. 2. Quæst. 79. art. 2.

Joan. cap. 1.

Quoniam verò hæc Pars Theologiæ duo includit: nempè Productum Actûs, & ejus Causam Materialem, & Formalem; seu Actum, & ejus Objectum: maximaque copia materiæ ut distinctè tractetur; & potissimùm cùm eandem Spiritualem Theologiam in tres & non plures diviserimus partes, utpotè quarum quælibet ob certam relationem referat similitudinem & proprietates alicujus trium Personarũ Sanctissimæ TRIADIS, cujus etiam memoriam, honorem, & gloriam hoc Opus ultimatè intendit: Igitur, sicut Angelici Doctoris D. Thomæ doctrinam, ita ejusdem doctrinæ distinctionem veneramur, & hìc libenter sequimur: dividimusque hanc Secundam partem in primam (id est partem) Secundæ (id est partis,) & in Secundam (nempe partem) Secundæ (scilicet partis.)

Denique post Causam Efficientem Mediorum seu Actuum Status Vitæ Christianæ supernaturalis, videtur debere agi consequenter de aliis Causis eorundem Actuum, ac tandem de ipsis Actibus: Verùm quia Schema supra erectum, aptatumque ad exigentiam bonæ imaginationis per ordinem ad praxim (ut ipsa experientia docebit) requirit hac Secundâ Parte tractari cumprimis Primâ Secundæ de Actu, deinde Secundâ Secundæ de Causa ejus objectiva; Itaque sit.



PRIMA

PRIMA SECUNDÆ PARTIS
THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

DE MEDIIS SEU ACTIBUS STATUS VITÆ CHRISTIANÆ SUPERNATURALIS SEU SPIRITUALIS: AD FINEM SUPERNATURALEM.

TUM DE EORUNDEM ACTUUM OPPOSITIS.

HAnc Partem primam secundæ duobus Tractatibus absolvemus. *Primus* erit de Actibus Status Vitæ Christianæ, & suis Oppositis, in genere. *Secundus* de iisdem Actibus, illorumque Oppositis, in specie.

TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS STATUS VITÆ CHRISTIANÆ SUPERNATURALIS, ET DE EORUM OPPOSITIS, IN GENERE.

EJusmodi Actus Status Vitæ Christianæ sunt Actus Supernaturales, seu Spirituales, vel Salutares Virtutum, prout supra visum est in definitione Status Vitæ Christianæ. Opposita verò horum Actuum sunt falsæ Virtutes, & Peccata. De quibus antequàm agamus. *In Summa Theol. Spirit.*

Suppone Perutilem, tum eximiè necessariam esse cognitionem actuum Virtutis, præcipuè quomodò se habeant, iisque qualiter practicè utendum in ratione medii ad fines supernaturales ponendos & obtinendos. Quia, nisi per respectum ad eosdem fines proportionentur dicta media, profectò deceptis pluribus in illa die ultimi Tribunalis Divini juxta Prophetam eis dicetur: *Ponite corda vestra super vias vestras* vitæ anteactæ, & considerate quia *Seminastis multùm* operum bonorum, *& intulistis parum* nunc mercedis æternæ. Imò non unus qui videbatur sibi vias vitæ cucurrisse, advertet quia in vanum cucurrerit, quia aberraverit à Regia via Cœli in devia inferni. Est enim, ut Sapiens loquitur, *Via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Quare si juxta monitum Apostoli sic volumus *currere, ut comprehendamus bravium* æternæ salutis, necesse est, pro ratione finium supernaturalium iis convenientia cognoscere, adaptare, adhibereque media. Jam verò, quia finis supernaturalis hominis in via tum respectu ipsius operantis, tum respectu proximi est Puritas à peccatis & vitiis, tum immunitas à pœna æterna, & temporali: Deinde Ornatus animi per gratiarum augmentum, tum Perfectio, Sanctitas, Beatitudo Viæ, & Patriæ. Respectu autem Cœlitum & DEI, ab homine operante intendendus finis supernaturalis, est Gloria eorum. Igitur ad hos fines ponendos, & obtinendos vel vi meriti, vel vi impetrationis, vel aliquo alio titulo, medium proportionatum est Actus Virtutis, qualis jam describitur.

Aggæi cap. 1. *Prov. c. 14.* *1. Cor. 9.*

CAPUT

CAPUT I.

De Actibus ſupernaturalibus ſeu ſalutaribus Virtutum.

AGemus hic de naturâ, conditionibus, proprietatibus &c. tum quæ concernunt Praxim Actuum ſalutarium virtutis.

SECTIO I.

De quidditate ſupernaturalis ſeu ſalutaris Actus virtutis.

EJusmodi Actus, eſt motus potentiæ, gratiâ DEI indebitâ elevatæ, habitu facilitatæ, humanus, moraliter bonus, arduus, ex aliquo motivo bono, ad regulam & impletionem Divinæ voluntatis directo, fide Divinâ propoſito, prudenter intentus, & productus.

Dicitur; *Motus:* quia teſte D. Thomâ *quælibet operatio dicitur Motus, ſecundùm quod dicit Philoſophus, quòd ſentire & intelligere ſint motus quidam, prout motus dicitur actus perfecti.* 1. 2. *Quæſt.* 179. *a.* 1. *ad.* 3. *Lib.* 3. *de Anima cap.* 21. *Tom.* 2.

Dicitur in Definitione; *Gratiâ DEI indebitâ elevatæ*, ſeu ſupernaturali: quia media debent eſſe fini proportionata. Ergo ad ſupernaturalem finem debent dari media ſupernaturalia, ſeu actus ſupernaturales, qui procedant à principiis naturæ indebitis, eamque ſupra ſe elevantibus. Hinc potisſima ratio eſt, cur media ſeu actus ſtatus vitæ Chriſtianæ omninò exigimus ſupernaturales, ſeu ſalutares, ſeu ut juxta Concil: loquar *qui fiant, prout oportet ad ſalutem;* ſeu ut Chriſtiano modo fiant, milliesque in hoc Opere ingeminamus ly *ſupernaturale:* Quia alioquin non attingeret finem illum homo, ad quem ſupra ſuam naturam per decretum DEI elevatus eſt, cui quid poſſet contingere infelicius? Hæc autem ſupernaturalitas juxta *Suarez* in actu ſalutari ſeu meritorio debet inveniri aliquo modo, *vel quoad ſubſtantiam, vel alio modo, ſive abſoluto, ſive reſpectivo, ſive phyſico, ſive morali.* Igitur *Primo*, in Peccatore ad formam gratiæ ſupernaturalis, juſtificantis à peccatis, & condonantis pœnam æternam, tribuentisque jus ad gloriam, prærequiri diſpoſitionem ſupernaturalem, ut ſit inter formam & *Lib.* 12. *de merito cap.* 7. *num.* 7.

diſpo-

dispositionem convenientia. *Secundò* in Justo 1. Ad remissionem venialium culparum, necessaria est retractatio per pios motus, qui supernaturaliter excitentur auxilio gratiæ DEI. 2. Ad satisfactionem pro pœna temporali, quæ remissâ culpâ manet, docet *Suarez* requiri *non tantùm habitualem gratiam, sed etiam actuale auxilium gratiæ.* Quod confirmat ex Conc: Trident: dicente: *Neq; verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis exoluimus, ut non sit per Christum JESUM.* Et paulo post: *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.* Ubi Concilium supponit gratiam supernaturalem, quæ aliàs dicitur *per Christum* scilicet data nobis, quâ DEO in ejus dilecto Filio gratificamur. 3. Ad meritum de condigno augmenti gratiæ & gloriæ, oportere hominem esse in statu gratiæ habitualis concors Theologorum sententia teste *Suario* docet. Idque insinuat Concil. Trident. acturum de merito dum ita incipit: *Hâc igitur ratione justificatis hominibus proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono &c.* Ubi supponere apertè videtur solum hominem justificatum, capacem esse veri meriti simpliciter seu de condigno, de quo ibi loquitur: Et inferiùs dicit idem Conc. *Cumq; ille ipse Christus JESUS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto DEO grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominùs plenè ipsis operibus, quæ in DEO sunt facta, vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* Ubi ad meritum condignum vitæ æternæ per unionem cum Christo tanquam Capite, ut palmitis cum vite, atque per opera in DEO facta supponitur Status gratiæ. Insuper ad meritum de condigno opus est præter habitualem, gratiâ DEI actuali. Ita *Suarez.* Et probat hoc ex Epist. Cælestini Papæ scribentis: *Quotquot Spiritu DEI aguntur, hi filij DEI sunt, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusq; voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere sentiamus auxilium.* Idem secundum *Suarez* dicendum est & de merito de congruo, quòd tam in peccatore, quàm in justificato, ad merendum aliquod præmium supernaturale requiratur concursus auxilii

Lib. 2. de Merito c. 7. n. 5.
Sess. 14. c. 8.
Lib. 12. de Merito c. 14. n. 3.
Sess. 6. c. 16.
Lib. 12. de Merito c. 7. Epist. 1. ad Episc. Galliæ cap. 8.
Lib. 12. de Merito cap. 33. n. 8. & sequ.

xilii gratiæ DEI. Rationem dat; quia talis actus licet sit in ho- „ mine fideli, non tamen est ex fide, quod autem non est ex fide, „ non potest esse supernaturaliter meritorium, tum quia fides est, „ quæ omne meritum in nobis inchoat teste August. tum quia „ Paulus ait: *Sine fide impossibile est placere DEO.* Ubi supponitur „ fides supernaturalis proveniens ex lumine gratiæ actualis. Quomodo autem fides Divina supernaturalizet actus bonos infra videbimus. *Tertiò.* Ad actum impetratorium alicujus doni supernaturalis requiri aversionem à peccato juxta illud Psalm: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Tum actualis gratiæ influxus requiritur, ut habet *Suarez* dicens: Oratio- „ nem merè humanam id est factam sine Spiritu fidei & gratiæ, „ non esse impetratoriam donorum gratiæ. Supponitur autem fides talis, de qua mox dicetur. *Quartò.* Quoad finem gloriæ DEI promovendæ requiritur quoque status gratiæ supernaturalis, ut Promotori sit utilis. Nam dicitur: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et; *Multi dicent in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? & tunc confitebor eis, quia nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

Epist. ad Hebr. cap 11.

p. 2. 2.

Psalm. 65.

Lib. 12. de Merito c. 33. n. 10.

Eccle: c. 15.

Matth. cap. 7.

Dicitur in descriptione; *Habitu facilitatæ* scilicet acquisito: quia cùm naturalis potentia ob corruptionem naturæ maximè ad actus laudabiles sit debilis, & quodammodo insufficiens, ut eosdem promptè & perfectè producat, requirit perfici habitu acquisito virtutis, ad cujus actuale expeditum exercitium adjuvetur. Simpliciter tamen ad supra specificatos fines supernaturales saltem aliquos ponendos, vel obtinendos, non est ejusmodi habitus necessarius, ut patet; nisi ex consequenti, quòd scilicet dicti fines ordinariè haberi nequeunt in suis altioribus gradibus, nisi per frequentatos actus, vel pauciores sed intensos.

Dicitur, *Humanus*: id est motus seu actio talis, quæ procedat ab agente intellectivo ex prælucentia rationis, ac voluntate deliberata. *Ratio* est; quia ad actum virtutis moralitèr bonum, & meritorium, vel alicujus effectus laudabilis causativum, non sufficit, quòd sit Actio hominis (ut vocant Theologi) ut est actio qualitercunque procedens ab homine v. g. pugnare &c. quales actiones sunt

communes etiam amentibus, & efferatis belluis: Sed insuper 1. necessarium est, ut sit Advertentia, seu præluceat Ratio dictans aliquid esse honestum, vel inhonestum, ad operandum: quia absque tali prælucentia nequit moveri voluntas ad actum, cùm nihil volitum quin præcognitum. 2. requiritur ut idem actus sit

1 2. *qst.* 6. *a.* 1. *Voluntarius*, id est prout explicat D. Thomas: *quod procedat à principio intrinseco*, (id est potentia volitiva) *cum cagnitione finis*, id est cum cognitione connexionis & proportionis inter media & finem, quod non possunt præstare irrationabiliter operantes. Hinc Psal-

Psal: 53. mista inquit: *Voluntariè sacrificabo tibi.* 3. opus est, ut actus humanus sit *Liber*, quòd scilicet positis ad agendum omnibus requisitis, possit voluntas agere, vel non agere, vel oppositum agere. Et *ratio* est: quia cùm Christianus ad hoc semper eniti debeat, ut sui actus evadant meritorii supernaturalis præmii, meritum verò cùm respectum dicat ad præmium, præmium autem ideo à Remuneratore præsentatur, ut alliciat ad merendum; sequitur ejusmodi actus debere esse liberos: siquidem actus necessarii non indigent tali allicientiâ ad sui exercitium: quia à potentia necessaria jam determinati sunt, ut non possint non fieri. Hinc actus potentiæ intellectivæ, tum appetitus sensitivi, aliarumque potentiarum executivarum minimè erunt meritorii, nisi sint liberi per denominationem extrinsècam à libertate voluntatis imperantis eosdem actus.

Lib. 12. *cap.* 3. *num.* 13. „ Advertit hic *Suarez*, ad meritum non esse necessariam de-„liberationem omni ex parte perfectam, sed sufficere, & necessa-„riam esse eam libertatem, quæ saltèm includat actualem adver-„tentiam, quæ ad moralem potestatem agendi, & non agendi, „sufficiat: quia ex parte voluntatis non requiritur summa appli-„catio vel conatus; ergo neque ex parte intellectûs necessaria „est consultatio & advertentia omninò perfecta„.

Dicitur; *Moraliter bonus*: quia actus malus est à DEO prohibitus, & meritivus pœnæ, indifferens quoque actus ob carentiam bonitatis, & malitiæ, dignus est nec pœnâ, nec præmio. Solus ergo actus bonus moralitèr, est decens Christianum sub Capite Christo omnia honestissimè operante: Tum ut cedat ipsi in

Lib. 12. *de Merito c.* 4. *n.* 2. „ meritum; Nam omne meritum (ut *Suarèz* habet) apud aliquem,

quem, debet esse opus redundans aliquo modo in obsequium „ ejus, vel saltèm in obedientiam & complementum voluntatis „ ejus: ergo & nostra opera debent hanc habitudinem ad DEUM „ habere, ut apud ipsum meritoria sint. Non possunt autem il- „ lam habere nisi sint honesta seu moraliter bona; quia nostra o- „ pera non possunt aliquam utilitatem vel commodum DEO af- „ ferre sicut inter homines contingit, sed solùm possunt in glo- „ riam & honorem ejus redundare, vel voluntatem ejus imple- „ re, quod nisi per bona opera fieri non potest. „

Adverte hìc *Primò*. Non tantùm opus præceptum & opus consilii, sed etiam universim opus bonum, licet non sit præcepti aut consilii, quale v. g. est opus, Matrimonium, quod de se bonum est; dum ejusmodi opera benè moralitèr fiunt, meritoria esse. Quia scriptura universaliter dicit: *Unusquisque quodcunquè fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* *Vide Suarez ibidem c.5.n.5.* *Ephes. 6.*

Adverte Secundo. Actum quoque indifferentem posse esse moraliter bonum etsi non ab intrinseca sui bonitate, tamen ab extrinseca honestari illum, v. g. ex intentione alicujus finis boni & supernaturalis.

Dicitur; *Arduus:* Quia ut *Haunoldus* hoc loco & (a) *Hesparza* docent, ad Actum meritorium requiri, quatenùs in eo reperiatur *arduus contemptus alicujus boni temporalis.* Quia cùm actus vitæ Christianæ meritò debeant tales esse, qui sint meritorii gratiæ & gloriæ, hæc autem nonnisi Regno Cœlorum (b) vim facientibus, ad illud per (c) arctam viam & angustam portam intrantibus, legitimè (d) certantibus (quæ omnia insinuant laboriosam & arduam abdicationem boni temporalis) in Scripturis promittatur: sequitur requiri præfatum arduum contemptum alicujus boni temporalis ad actus meritorios. (a) *De actibus, hum. quæst.* 21. (b) *Matth.* 11. (c) *Matth.* 7. (d) 2. *Tim* 2.

Dicitur; *Ex aliquo motivo bono*, vel extrinseco motivo formali perfectionum Divinarum per respectum ad Theologicas virtutes, vel intrinseco motivo honestatis in ordine ad virtutes Cardinales, vel ex motivo alicujus Circumstantiæ, aut Finis supernaturalis; de quibus motivis *vide fusiùs infrà.* *p:2.2.&p:3.*

Dicitur; *Ad regulam, & impletionem Divinæ Voluntatis directo.* Quia ut *D. Thomas* docet: quæcunque alia virtutum opera ex hoc *2. 2. qst.* 104. *art.* 3.

„ meritoria sunt apud DEUM, quòd fiunt, ut obediatur voluntati Divinæ. Nam si quis etiam Martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem Divinæ voluntatis, quòd rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent; sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim 1. Joan. 2. Quòd qui dicit se nosse DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est, qui autem servat verba ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est. Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle & nolle.

Dicitur; *Fide Divinâ proposito*, nempè motivo bono actus salutaris, & ut ordinato ad regulam & impletionem Divinæ voluntatis: quippe tali modo per fidem scilicet Divinam motivum actûs salutaris ordinabilis ad voluntatem DEI supernaturaliter proponitur, ex quo tanquam suo objecto & actus supernaturalizatur: *De quo infra fusiùs.* Dicitur; *Prudenter intentus, & productus.* Quia sicut actus salutaris ut sit moraliter bonus necessariò requirit objectum motivum moralitèr bonum; quippe actus ab objecto suam desumit speciem: Ita necessarium est, ut ad regulas Prudentiæ dirigatur & intendatur; ne videlicet excedat vel deficiat à virtutis Medio in aliquod extremum vitiosum.

2. 2. p: Theol: Spirit:

SECTIO II.

De Conditionibus, & Proprietatibus Actûs supernaturalis, seu salutaris.

EJusmodi conditiones & proprietates aliquæ explanatæ supra, ubi de habitu virtutis, tum præcedenti Sectione, in qua tam per essentialia prædicata, quàm per suas proprietates actum salutarem descripsimus; nunc reliquas adjicimus, & maximè ad Praxim profuturas, nimirum de majori vel minori perfectione, & merito actus salutaris. Qua in materia *R. P. Caspar Druzbicki Soc: JESU Polonus*, vir eximiæ Virtutis, opinione Sanctus, admiranda edidit Opuscula, unum sub titulo; *Provisiones senectutis*, aliud inscriptum; *Negotiatio Spiritualis*; è quibus selectiora ad propositum nostrum liberalissimè derivavimus, idq;

ejusdem

ejusdem Divini Viri proprio ſtylo, nè eo immutato, ſimul ſubtraheremus guſtum & Spiritum in verbis ſapientisſimi oris latentem. Neque cauſeris protractiorem hìc tractationem de adinveniendis modis & induſtriis conquirendæ faciliùs & uberiùs perfectionis & meriti actuum ſalutarium, cùm circa hoc quoque punctum cardo hujus totius Operis Theologiæ Spiritualis potisſimùm verſetur. Tum quæ aliàs erant dicenda, & ſpirituali Theologo neceſſariò diſcenda, opportunè hìc ab eodem Authore proponuntur. Verùm ne putes hæc tibi propoſita eſſe ad ſolam ſpeculationem quin potiùs ad Praxim, audi mellifluum Doctorem: *En lucrum præſto eſt, parate talentum. Quid enim facit in ſudario, quod quandoq; cum uſura exigendum eſt? Dum tempus habemus, cur operari negligimus? Sanè etſi veſtro ex officio ſemper in promptu ſit pietatis incumbere lucris: ſed maximè impræſentiarum maximus Sanctæ Avaritiæ patet queſtus: tantùm vos non pigeat ipſam, quam ad hoc ipſum quod accepiſtis Dominicam in medium proferre pecuniam.* *S. Bernardus Epiſt: 313. ad Haimeric: S. R. ſedis Cancellar:*

§ I.

ITaque perfectio & meritum Actus ſalutaris in ſummum augetur, ſi Actiones & Pasſiones tuas intendas facere & tolerare **Toto Teipſo:** v. g. dicendo: *DEUS meus toto me amo te, facio, patior.* Quæ formula ſeu praxis actus primò ſignificat (docente *Patre Druzbicki*) totum Hominem perſonalitèr ſumptum (v. g. me) amare, agere. 2. Significat, me totum, ſecundùm omnes Partes mei ſubſtantiales, integraleſque, ex quibus compoſitus ſum, amare. 3. Significat, totum me, ſecundùm omnes Potentias, vireſque meas, amare. 4. Sgnificat, totum me, ſecundùm omnes Actiones, Pasſiones, Mutationeſque præteritas, præſentes, futuras, posſibiles mihi, amare. 5. Significat, totum me, ſecundum omnes, Actionum, Pasſionum mearum Intenſiones, Extenſioneſque, ac Gradus earum numero, ſpecie, genere, diverſas, amare. 6. Significat totum me, ſecundum omnes Circumſtantias, & Accidentia, Relationeſque ad omnia Entia, amare & operari. 7. Significat, totum me, ſecundùm omnes Atomos Entitatis, & Durationis permanentis, aut ſucceſsivæ, amare. 8. Significat me totum, ſecundùm omnem Potentiam obedientialem, *In Negotiatione Spirituali Induſtria 32.*

lem, quâ DEI obedientiæ subsum, & DEUS de me, per me, perque omnem mei portionem, vel conditionem facere, quidquid vult potest, amare, agere, in DEUM ferri.

Hæc omnia latent in præinsertorum verborum sensu, latere certè possunt in, & à cognitione intellectùs mei prodire, quando dico Deo: *Toto me, amo Te, agere hoc volo; Toto me agam, patiar illud, &c.* Quod sicut intellectus intelligere, ita voluntas velle, intendere totum omnino potest, intenditque hoc ipso, quod vult. Viderit autem unusquisque prudens æstimator, quantùm intersit inter voluntatis actum dicentem DEO: *Amo te, toto me*, juxta hunc sensum octuplicem comprehensum & intentum, & inter ejusdem voluntatis actum dicentem tantùm simplicitèr. *Domine, amo te.* Vel etiam: *Domine, amo Te, toto me.* Id est, toto compòsito meo, vel toto corde meo. Meâ quidem sententiâ, tantùm inter sese isti duo actus voluntatis differunt, quantùm gutta à mari, quantùm granum unicum, ab acervo maximo; tantùm nimirum, quantùm unicus sensus ab illo tam multiplici, tamque dilatato, & diffuso sensu. Et tamen hujus particulæ sensum nón dilatavi, nisi in ipso individuo Homine individuè sumpto.)) *Hæc ille.*

§ II.

PRetium & valor actùs salutaris in sua perfectione et merito ineffabile capit incrementum dum Actiones & Passiones proprias intendis facere & tolerare Toto Universo, quod fieri potest duplici modo: *Imò.* impersonãdo te omnibus creaturis præteritis, præsentibus, & futuris, etiàm possibilibus, eorumq; cunctis actionibus, passionibus, & omnibus quibusvis ad ea spectantibus: quatenùs istis omnibus & singulis, quasi tuis propriis & nomine tuo intendas agere, & pati, quod agis & pateris ad fines supernaturales. *Secundo modo* fit, quando impersonat sese aliquis iisdem omnibus creaturis existentibus & possibilibus ad eàsque quibusvis entitatibus spectantibus, quatenus nomine & in persona earum, omnium & singularum, pro ipsis intendat agere & pati, quidquid agit & patitur ad fines supernaturales. Accipe de his fusiùs *T. Druzbicki* ità disserentem: Sumus omnes unius Patris Filii, unius fontis

In Provisionibus senectutis parte 2. prov. 9.

fontis rivi, unius Hæredis possessio, unius Patris familias familia; ergo omnium nostrum communis debet esse in rem nostri Patris familias labor, in rem Possessoris & Hæredis reditus seu fructus, in honorem Patris veneratio. Ergo quod facit unus, tanquàm omnes facere debet, & omnes facere debent, quod faciunt omnes tanquam etiã unus facere,& unus facere quoq; tenetur. Nimirùm respectu Dei creaturarum omnium omnia sunt communia, sicut creaturæ omnes sunt in DEO unum, & DEI sunt omnes, &DEO sunt omnes.

Hoc supposito, iam provisionis præsentis substantia in hoc consistet, ut homo divitiarum spiritualium cumulandarum perstudiosus partim sciat, partim faciat (Voluntatis intentione) se unum eundèmq; cum omnib9 creaturis & rebus: unum autem per & propter naturæ communionem & conditionem, majorem quidem cum aliis minorẽ verò cum aliis, cum omnib9 tamen aliquã, & certè non exiguã neq; unam. Etenim cum omnib9 habet cõmune originale, suum Nihil & non esse, ex quo est. Cum omnibus etiam habet communem Creatorem à quo ex non esse, ad esse traductus est. Cum omnibus habet communem fontem essendi scilicet Dei essentiam, cujus participatione aliquid omnia sunt, & cujus similitudinem, bonitatem, potentiam, omnia aliquo modo imitantur. Cõmunem habet etiam cum omnibus aliquem, saltem unum gradùm naturæ, est enim sicut omnia sunt, vivit sicut omnia viventia, sentit sicut sentientia omnia, intelligit sicut rationalia omnia, spiritus est ex parte sicut omnia spiritualia. Communem etiam finem habet cum omnibus, Dei scilicet gloriam & servitutem, cum plerisque etiam vitam gratiæ & gloriæ, fidei quoque spei & charitatis, sacramentorum etiam & sacrificiorum, legum, rituum, aliorumque mediorum fini seu naturali seu supernaturali subservientium.

His potest addi communio nationis, sangvinis seu generationis, cohabitationis in una domo, urbe, regione, & alia his similia. Sic unum cum omnibus se partim sciens, partim faciens homo, omnia etiam omnium rerum sua partim sciat, partim faciat: sive sint ea naturæ, & entitates, & personæ, & supposita, sive partes & potentiæ, sive operationes, passionesque, sive effectus

fectus & circumſtantiæ, & conditiones, & poſſibilitates, & atomi, & denique omnia ad omnes attinentia: omnia ſibi uſurpet, omnia ſe quoque cum omnibus, in omnibus, per omnes, operari & pati ſciat, faciatque intendendo: omnia hæc in DEUM, in ejus gloriam, obſequium, venerationem, dilectionem, dilectionisque effectum dirigat, omnia virtutibus & conditionibus ſupernaturalibus & ad meritum gratiæ gloriæque apud DEUM idoneis imbuat, fine atque ſcopo, quo poteſt & vult ſublimisſimo, Divinoque guſtui placidisſimo afficiat, ſangvini & meritis JESU Chriſti omniumque Electorum uniat, ornet, appretiet: perinde acſi omnia ejus eſſent, ſicuti revera ſunt ejus, cùm ſint eorum, qui ſunt aliquid ejus, & unum quiddam cum ipſo ex intentione, applicatione, uſurpatione, directione ejus, propria facta ſint, & fiant ejus.

Licebit ergo homini omnes res inanimatas, ſummo cœlo aduſque terræ centrum contentas, omnes inquam & ſingulas, omneſque earum partes, vires, effectus, alterationes, atomos, quæ fuerunt, ſunt, erunt, eſſe poſſunt, in ſe quaſi unum, vel ſe unum in omnes transferre & imperſonare: & pro omnibus, cum omnibus, in omnibus, denique omnibus illis DEUM agnoſcere, amare, laudare. exaltare, venerari, voluntatem ejus exequi, ſe humiliare, ſe in ejus manus dare, donare, reſignare, DEUM prædicare, voluntatem ejus annunciare, modo illo quo Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, illo modo, quo dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Adeo quidem luculenter & ſonorè, ut in omnem terram exiverit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; ſi enim cœli enarrant DEI gloriam, etiam faciunt DEI voluntatem, etiam poſſunt ſe humiliare coram DEO, etiam poſſunt ſe ſubdere DEO, etiam poſſunt agere gratias DEO, etiam poſſunt Juſtitiam, Miſericordiam, Dilectionem exhibere aliis propter DEUM, eo modo, quo per innatam capacitatem jubentur à DEO. Et quod faciunt cœli, facit ſol, luna, planetæ, ſtellæ, faciunt virtutes ſiderum, & lumen, & motus; facit ignis, aer, aqua, terra, cum omnibus quæ in eis ſunt. His ſi accedat hominis alicujusvè rationalis creaturæ intentio, applicatioque

Pſal. 18.

devota

devota, meliùs & nobiliùs & gratiùs DEO & utiliùs Homini id ipſum facient.

Licebit conſimili ratione Homini omnes res viventes, vitam vegetativam habentes, cum ſuis omnibus accidentibus, conditionibus, circumſtantiis ſuas facere, ſe omnibus inſerere, unire, imperſonare, & quidquid illæ ſunt, agunt, patiuntur, iis omnibus in DEUM ferri, & affici, hæcque omnia morali bonitate ſupernaturali, virtutibusque quibuslibet DEO gratioſis imbuere, DEO offerre, DEUM omnibus & pro omnibus laudare, colere, amare, DEO obedientiam, juſtitiam, charitatem ſui & proximi, miſericordiam, modeſtiam, manſvetudinem, humilitatem, patientiam, caſtitatem, devotionem, & quidquid demum Deo placitum eſt, his & pro his omnibus jam ſuis & à ſe perfectis exhibere, atque præſentare. Movetur folium in arbore, eum motum faciat hominis voluntas ſuum, faciat eum humilitatis, obedientiæ, timoris, fiduciæ, amoris actum, totiès humiliabitur voluntas Hominis coram DEO, totiès obediet, amabit DEUM, quoties movebitur folium; par de aliis ratio.

Licebit hoc ipſum Homini facere cum omnibus animantibus, brutis, volatilibus, natatilibus, gradientibus, ſerpentibus, atq; reptilibus; Omne quidquid illæ ſunt, poſſunt, agunt, patiuntur in totis ſe, aut ſuis partibus, exteriùs interiùſque, per omnes ſenſus ſuos exteriores interioreſuè, faciat Homo ſuum, faciat ſe, faciat tanquam factum perpeſſumvè à ſe, & per ſe, (per hoc enim factum, etiam fit cum quo habet commune eſſe:) imbuat hoc intentione directâ in Deum, & oblatâ offerentèque hæc omnia eidem Deo, imbuat ſupernaturalitate finis aut medii, imbuat virtute, ſeu Theologicâ, ſeu morali quacunque, imbuat actu cujuſcunque virtutis, perfectionis, ſublimitatis, imbuat unione meritorum Chriſti, & Electorum ejus, quidquid omnia & ſingula fecerunt, faciunt, facient, facere poſſent, ſi eſſent, quid etiam patientur, quavis alteratione in ſe totis, in ſuis partib⁹, in ſuis atomis; totũ id meritorium erit Homini per intentionem ſublimanti, & ſuum facienti, Divinæque voluntati & guſtui probanti, erit inquam meritorium gratiæ & gloriæ, erit augmentativum omnis virtutis, perfectionis, habitùsque boni.

Licebit hoc ipsum Homini facere, cum omnibus rationabilibus creaturis, sive sint homines reliqui, sive sint Angeli, & spiritus puri: totum hoc quod homines præteriti, præsentes, futuri, possibiles, item quod Angeli existentes, aut possibiles sunt, agunt, patiuntur, in totis se, in potentiis, viribus, partibus, atomis, momentis, æternitatibus suis, faciat homo suum, faciat à se factum seu perpessum, in corpore, in anima, in persona, in externis attingentibusque rebus, circumstantiis, conditionibus, Deo hæc omnia singula tanquam sua appropriata offerat, his singulis omnibusque DEUM credat, speret, amet, laudet &c: tanquam bonum suum omne, supremum, ultimum, supernaturale: imbuat hæc omnia fine supernaturali, virtute supernaturali, unâ vel pluribus, imbuat perfectione variâ, sublimi, DEO gratiosâ, uniat meritis Christi & Electorum ejus, totum hoc erit homini sic imbuenti & operanti, meritorium gloriæ & gratiæ æternæ; sive creaturarum rationalium actiones, passionesque fuerint, purè naturales, sive supernaturales, sive fuerint bonæ moraliter, sive tantùm entitativè, sive fuerint sanctæ & justæ ac meritoriæ, sivè fuerint etiam malæ ac peccaminosæ, sed quatenus (exclusâ malitiâ morali) habent entitativam bonitatem, ad quam DEUS ipse per se concurrit, tanquam causa prima, eumque concursum & actum ut talem, ad suam gloriam ad aliosque sibi volitos fines refert. Quo fiet ut actiones malæ, quæ operantibus erunt damnabiles, homini modo dicto eas intendenti, & in DEUM referenti erunt salutares, & ad gratiam, gloriamque cæteraque bona spiritualia proficuæ: perinde quomodo dictum est, easdem actiones à DEO fieri, ad se referri, & ad gloriam nominis sui augendam, voluntatemque suam perficiendam converti, itaque hunc in modum operanti, in suumque usum & fructum spiritualem, convertenti omnia, homini nulla erunt opera otiosa, nulla malitiosa, nulla perditione digna, sed omnia & singula etiam damnatorum in inferno erunt illi sancta, pia, iusta, meritoria, gratiosa DEO, & digna beatitudinis æternæ præmio.

Et quid potest hac industriâ feraciùs esse, quid hac provisione ditiùs, simulque optabiliùs; modo ne operantium hominum, divitiasque spiritus cupientium, cesset, langveatque industria,

ſtria. Neque eſt, quòd quis hæc reputet ardua, difficilia & laborioſa. Nam imprimis ſolius eſt hoc liberæ piæ voluntatis opus, quod internum tantummodo eſſe ſufficit, ſufficit etiam interdum ſolum identidemque reaſſumptum, repetitum, ratificatum eſſe, quod penè momentaneo voluntatis actu peragi poteſt. Uſu moderatè frequenti habitus contractus in animo, totum negotium facilitat, & in naturalem actionem convertit. Poſtremò in hoc peragendo, nihil omninò plus eſt laboris, quàm eſt in ſimplici vulgarique noſtra operatione, noſtrorumque propriorum operum ſupernaturali & meritoria tranſactione. Probet, qui volet, & advertet oculis ſuis, tantundèm in hoc atque in illo operandi modo laboris, temporis, fatigationis, conatûs, reflexionis, memoriæ, & ſimilium requiſitorum eſſe. Quare difficultas neminem deterrere debet ab hujus proviſionis exercitatione: quæ difficultas, ut aliqua ſit, ſatis ſuperque, & valde excesſivè compenſatur, immenſâ fructuoſitate, atque fœcunditate, quæ propemodùm major eſt omni humanâ opinione, & ſpe, & cupiditate. Quod ſi in avaritia temporalium videmus rerum non minui cupiditatem avarorum hominum, ſed potiùs augeſcere ampliùs ampliuſque, etiam extremâ ſenectute graveſcentium: quos difficultas agendi non deterret, neque ætate fractos licet, frangit. Quid convenit facere, quomodo affici, quomodo invaleſcere, & inardeſcere ampliori cupiditate divitiarum ſpiritualium, æternarum, divinarumque, homines ad earum ſtudium, & curam & cumulationem factos, natos, ordinatos, quantumlibet corporeis viribus & annis debiles atque fractos? Si in perditè avaris creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit: ità ut qui conquiſivit decem millia nummorum, non cupiat acquirere inſuper unum nummum, vel duos, vel decem, vel etiam mille ſolum, ſed exardeſcat in cupiditatem ſtudiumque conquirendi, vel alia decem millia, vel etiam viginti millia. In ſancta & ſalutari avaritia cæleſtium divitiarum quarum uſus ſit per omnem æternitatem, & quarum demum ſit & cumulus & merces & finis DEUS, quo nihil majus; nonnè addecet homines Divinos, ut in eis creſcat amor, creſcat conatus acquirendi theſauri cæleſtis, tantùm quantùm ipſe theſaurus creſcit? ità ut nulla ſe offerat indu-

ſtria diteſcendi, quam non ſitienti & inſatiabili animo apprehendant, exerceant, continuent, & in omni labore, conatuque non tantùm perſeverent indeficienter, ſed progrediantur ad alia aliaque, ad ampliora & ampliora, inexplebiliter. *Hæc P. Druzbicki.*

§ III.

IMmenſa prorſus excellentia, & pondus perfectionis ac meriti in Actum ſalutarem derivatur, quando is fit per intentionem operantis Toto DEO: id eſt, *Primò*; volendo multiplicare quemlibet actum ſalutarem v. g. amoris DEI tot numeris, quot in DEO ſunt perfectiones, & operationes, ab intra, & extrà; quæ cùm ſint humano intellectu innumerabiles, tot quoque intendes actus amoris DEI, eliciendo unum actum amoris DEI *Toto DEO.* Qui modus eliciendi non tantùm quadrat actibus illis, qui ſunt convenientes DEO, verùm & illis, qui minimè DEO congruunt, v. g. *DEUS toto te, credo tibi* &c: *patior hoc* &c: quia præciſè hìc intentio operantis eſt, non quòd ſicut DEUS credit ſibi, vel patitur, &c: ità & ipſe velit credere, & pati, &c: ſed potiùs quòd tot velit & intendat elicere actus fidei, & perferre paſſiones patientèr uno actu fidei, vel una paſſione, quot numero conceptibiles aut imaginabiles ſunt in DEO perfectiones ad extra & intra. *Secundò*; intelligitur hìc *Totò DEO*, quatenus ſe homo imperſonat illis actionibus & perfectionibus, quæ dignæ ſunt DEO, eaſque ipſe operatur, ut v. g. dum dico DEUS *Toto te amo te*, id eſt totâ perfectione, & latitudine amoris, quo diligis Te, amo Te; & ſic de aliis. De quibus & ſimilibus enucleatiùs tractat P: *Druzbicki*, & Primo quidem de communicatione cum DEO & ejus divitiis, ac operibus ad extra, dum ſic inquit: Aperit (an operit meliùs dicam?) adhuc ſeſe nobis proviſio quædam, quà ſi nobis aditus patefiat & ſi ad uſum exercitiumque ejus ex DEI parte liceat, ex noſtro autem ſtudio libeat, abſque ulla & comparatione & dubitatione, in immenſum immenſius diteſcere, ex divitiis theſauriſque ſpiritualibus liceat: DEUS namq; eſt, & DEVS quantus quantus eſt, qui venit nobis, exhibet ſe ut ex eo, ex omnibusque bonis ejus, proviſionem nobis faciamus, quâ in æternum & fruamur, & glorificemur. Vtinam ejus explicationi neç intellectus

Vide in Simili hic §. 16.

In Broviſion: ſenect: par: 2. *provis.* 10.

ctus ſuccumbat, & deſiderio voluntas ſufficiat, & executioni vires non deficiant. Sed ſperamus adfuturum cum ſua virtute, gratiaque auxiliante illum, in quo & ex quo eſt omnis ſufficientia & proviſio noſtra. DEUS non ſolùm omnes creaturas in ſe continet eminentèr, cum omnibus perfectionibus, viribus, actionibus, effectibus, circumſtantiis, conditionibus earum: Sed continet præter has quæ exiſtunt in aliqua temporis moderni differentia, aut etiam æternitate, continet inquam in ſe alias atque alias omnes gënere, ſpecie, numero infinitas, & continet cum omnibus conditionibus, earum posſibilibus: quæ in cognitionem nullius creati intellectus cadere poſſunt, alioqui comprehendenda eſſet DEI tum eſſentia, tum bonitas, tum utriusque communicabilitas, tum ſapientia, tum potentia. Solus Divinus intellectus, ſolus ejus Spiritus, qui ſcrutatur etiam profunda DEI, capit & intelligit illa, quæ in DEO continentur omnia. Ibi ſunt mundi alii atque alii, partim huic ſimiles, partim ab hoc per omnia diverſi: ibi ſunt ſeries & ordines gubernationis mundorum illorum aliæ atque aliæ, & omnium & ſingulorum numero & ſpecie innumerabiles ac infinitæ: ibi ſunt infiniti Angelici ſpiritus, numero, ſpecie, choris, hierarchiis diſtincti: ibi ſunt infiniti cœli, infiniti ſoles, infinitæ lunæ, infiniti planetæ, infinitæ ſtellæ, ibi infinita numero maria, ibi innumerabiles terræ globi: ibi gentes & nationes hominum infinitorum infinitæ: ibi ſpecies, & varietates infinitæ animalium, quadrupedium, reptilium, natantium, volantium: ibi ſpecies infinitæ plantarum, herbarum, florum, ſeminum, radicum, virtutum: ibi infinita metalla auri, argenti, gemmarum, omniumque ſimilium numero & ſpecie diverſorum: ibi infinita rerum omnium opera permanentia, atque tranſeuntia, permanentèr tamen in DEO præſentia: ibi infinitæ urbes, palatia, templa, horti, vivaria, æraria, gazophylacia, caſtra, claſſes, regiones, inſulæ, ſylvæ, campi, agri, prata, fluvii, fontes, lacus: ibi infinitæ ſpecies rerum, honeſtatum, jucunditatum, utilitatum, neceſſitatum, quibus non tantùm comprehendendis ſed neque cogitandis quidem creata mens ſufficit, enumerandis ſola par æternitas, continendis verò ſola idonea & ſufficiens Divinitas; ſeu Divina eſſentia, ſapientia, omnipotentia, bonitas: quia hæc ſola

omnia est, omnia cognoscit, omnia potest, omnibus se communicare sufficiens & abundans est, & illi omnia sunt nuda & aperta soli, & præsentia cùm totis se, cum totis suis conditionibus possibilibus, obedientialibus.

His ita (prout nobis fas erat) de DEO non exactè quidem explicatis, quod fatemur impossibile, sed aliquantulum delineatis; addendum est illud, quòd in eodem DEO nostro sit actu & creatio, & conservatio, & gubernatio, & cooperatio, naturalis ordinis, ac supernaturalis: quæ omnia continent in se, aut potiùs æquivalenter sunt innumerabiles actiones Divinæ, circa creaturas, quas omnes & singulas creat, perducitque ad esse, omnes & singulas omnibus momentis conservat in eodem esse, omnes gubernat & dirigit in fines sibi notos: omnibus velut causa prima cooperatur in omnibus earum commotionibus & actionibus. Quod si creatura una, in tota se sumpta habet actiones, alterationes, circumstantiasque specie plurimas, numero autem innumeras, ad quas omnes singulasque DEUS effectivâ cooperatione, & finali directione concurrit: cogitet, qui potest, quàm infinita multitudo est in DEO actualium istarum cooperationum, cum omnibus singulisque actionibus, omnium singularumque creaturarum? quanta erit multitudo actionum creantium, conservantium, gubernantium, spectatarum in omni ordine, & serie & fine naturali, supernaturali, iustitiæ, misericordiæ, gratiæ & gloriæ, mediorum & etiam finium subordinatorum ad ultimum, permissivæ insuper DEI voluntatis erroribus & defectibus & malitiis creaturarum, incomprehensibiliter ad bonum & placitum suum utentis, & ex pessimis optima eruentis, ex inobedientia obedientiam, ex superbia modestiam, ex rebellione subjectionem, ex morte vitam, ex perditione salutem, ex delicto veniam, ex malitia bonitatem, ex confusione gloriam, ex miseria beatitudinem emedullantis? Atque hoc non solùm in creaturis actu existentibus in aliqua differentia temporis præsentis (quarum ipsarum alia atque alia esse potuit parataque apud DEI sapientiam fuit gubernatio & coordinatio in infinitum variabilis) sed etiam in creaturis purè possibilibus, & nunquam in actu extra causas exstituris, quarum infinities infinitè est variabilior & multiplicabi-

lior (sed in DEO jam actu præexistens & decreta, sub conditionibus & combinationibus, numerum finemque nullum habentibus) varietas & multiplicitas.

Hàc universâ infinitatum, actualitatum, sive actionum (modo quidem nostro Divina concipiendi maximè supposito, aliàs enim in Deo multiplicitas, neque est, neque esse potest ulla actu, sed solùm per æquivalentiam & eminentiam) varietate ac multiplicitate, quæ jam utcunque indicata est, uti potest, si sciat & velit diligens ac amore pius spiritualis homo, ex eisque sibi infinitorum thesaurorum Divinorum gratiæ, gloriæ, cæterorumque provisionem conflare omni æternitati suffecturam; utendo jure suo quod habet ex fraternitate, unitate atque adeò identitate cum omnibus creaturis actualibus atque possibilibus; maximè quatenùs in Deo existentibus & ex Deo emanantibus, totumque suum esse (actuale vel possibile) totum posse, totum operari, in omni possibili vel actuali conditione ac circumstantia ab eodem Deo desumentibus, & intra Deum habentibus; accedente præsertim piâ, fidelique ac devotâ deliberatâ, voluntariâ, supernaturali intentione, applicatione, ordinatione in ipsummet Deum, in ejus essentiæ, bonitatis, sapientiæ, potentiæ, justitiæ, misericordiæ, charitatis, rectitudinis, majestatis, dignitatis, infinitudinis, immensitatis, & omnis Divinæ perfectionis agnitionem, confessionem, venerationem, laudationem, subjectionem, amorem, & quidquid religio atque devotio cum charitate atque gratia excogitare, audere & agere potest, circa Deum, propter Deum, cum Deo, ex Deo, in Deo, per Deum.

Utinam, utinam repeto milliesque utinam, hæc in hominum mentes & corda possint ascendere! sed nimirum hæc abscondita sunt ab oculis etiam oculatorum. Quorum miseriam hac in parte deplorare potiùs, quàm sugillare velim. Velim etiam potiùs exemplo præire, quàm verbis laudare, velim ipso facto conatuque meo factibile demonstrare, quod connitor verbis faciendum svadere. Quidquid autem de hoc interim sit: hoc certum esto ad quod semper nostra præsens tractatio respicit, hominibus jam de propè æternitatem salutantibus & quasi subintrantibus, si copiosam provisionem æternaturæ suæ vitæ facere, in hac

hac quæ ſupereſt, mortalitate percupiunt, eam non aliunde, copioſam, confertam, coagitatam ſupereffluentemque unquam facturos, quàm ex iſta cum Deo ſuo cumque Divinis actionibus communicatione. Hanc igitur faciamus, ſi qui copiosè diteſcere cælo, & æternitatem illam, quàm ditisſimi ingredi volumus; ſicut enim Deo nihil eſt ditius, ità quoque ad diteſcendum, Deo, nihil eſt ipſo illo Deo ditius, ſive accommodatius.

In Provision. ſenect. par: 2. proviſ. II. *Deinde idem piiſſimus Pater, de communicatione cum Deo eiuſque operibus ab intra, ita proſequitur.* Occurrit animo, aliquid huic proviſionum faciendarum de ſpiritualibus divitiis, theſauriſque negotio, & maximè proprium, & maximè idoneum, quod ebalbutire (nam enarrare vel modicè arduitas atque immenſitas argumenti, nec meum neque ullum intellectum creatum ſinet unquam) animus eſt, & ni fallor operæ pretium erit. Eſt autem, hoc, ut proviſionem cæleſtium opum dum in hujus vitæ curſu, & ſpecialitèr dum in decurſu ſumus, nobis ex ipſo Deo, quantus quãtus & qualis qualis ille in ipſo ſe, totàque tum eſſentia, tum, oeconomia ſua interiore reperitur, faciamus & coacervemus.

Arduum opus & ſine disſimulatione perquam difficile, & quis aſpirabit, necdum attinget ad illud? ſed firma ſpes eſt, quòd adjuvabit ille, qui nos fecit, quanquam de limo & nihilo, attamen ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, & nobis præceptum dedit. *Matth. 5.* *Eſtote ergò perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis, eſt perfectus.* Præſertim quando, quod conabimur, conabimur verecundè ſimul & amanter, non quaſi ſcrutatores, ſed quaſi ſpeculatores, quodſi ſcrutabimur ut exaltemus, non ut exaltemur: ſcrutabimur, non ut vanitate inflemur ſed ut veritate humiliemur ac ſolidemur: ſcrutabimur non ut rapinam arbitremur, & exerceamus; ſed ut divitias ſalutis ſpem, & panem vitæ æternæ metamus, transformati de claritate in claritatem tanquam à Domini gloria. Etſi DEUS noſter eſt merus puruſque per omnia Actus, ſimplicisſimus, omnis compoſitionis, omnis multiplicitatis, omnis potentialitatis, omnis pluralitatis expers & incapax in ſua entitate atque eſſentia: attamen noſter modus concipiendi, cogitandi, contemplandi, explicandi DEUM naturamque ejus, & contenta in eſſentia ejus hunc in modum partitur. Primò concipit eſſentiam

&

& naturam, quæ est una, unica, unitasque, Deitas, DEUS. *Secundò* concipit Personas tres, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. *Tertiò* concipit attributa seu perfectiones naturæ Divinæ inexistentes & eam veluti perficientes: concipit verò eas quasi alias tum ab essentia tum à se invicem. *Quartò* concipit earum perfectionum quosdam veluti gradus ac latitudines extensionis & intensionis. Ità v. g. concipit sapientiam seu scientiam existentium, aliam futurorum, aliam possibilium, aliam conditionatorum, aliam necessariorum, aliam liberorum seu contingentium &c: *Quintò* concipit in DEO prædictarum perfectionum Divinarum veluti exercitationes & actus tum ab extra in creaturarum bonum emanantes, tum ab intra in ipsômet DEO veluti operantes. Sic exempli gratiâ. 1. dicimus DEUM per suam sapientiam infinitam comprehendere comprehensione absolutè plenâ propriam essentiam, processiones Personarum Divinarum. 2. dicimus DEUM cognoscere per eandem sapientiam suam ab omni æternitate, & in omnem æternitatem, omnia possibilia. 3. dicimus DEUM per suam sapientiam cognoscere omnia absolutè futura, cum suis & in suis omnibus circumstantiis per omnem æternitatem.

Ecce quomodo sapientia DEI unica licet in se, idemq; quod DEUS est in se: multiformis est tamen secundùm quod à nobis cognoscitur, quia nullatenùs potest cognosci sic, quomodo est in se. Posset autem hunc ipsum in modum disputari de aliis Divinis perfectionibus, quæ in DEO idem penitus sunt, tam secum, quàm cum DEO, sed à nostra inadæquata cognoscendi (præsertim verò res Divinas) ratione aliter cognosci nequeunt, nisi diminutè, nisi affictâ multiplicitate, nisi appositâ distinctione. His ità ebalbutitis à nostra infantia de DEO, deque illius essentia & Personis & perfectionibus atque proprietatibus, & de earum seu distinctionibus, seu quasi operationibus multiplicibus, licebit cuivis studiosæ spiritualium thesaurorum animæ mediante intentione voluntatis suæ, inferre se, cum omni observantia & dilectione in DEUM, in DEI Personas, proprietates, operationes, tam nobis ex sacra doctrina notas, quàm etiam nunquam manifestas revelatasque nobis, quarum immensæ, infinitæque perfectionis DEI, innumerabilis restat numerus necessariò, quandoquidem earum,

quas revelatas habemus, restricta satis est copia. Licebit inquam in ea sese inferre, inter eas domicilium statuere, in iis demorari, intra illas disperire, ab eis absorberi, atque transformari; perinde ut transformatur, absorbeturque atomus aquæ in mari vini, atomus arenæ in mari auri, atomus aëris in mari solis, atomus rei in mari universi, atomus temporis in mari æternitatis, atomus nihili in mari essentiæ. Licebit etiam totâ DEI & jam aliquomodo suâ essentiâ, totis & omnibus Divinis processionibus, atque communicationibus internis, totis processionum terminis, seu Personis Divinis, totis omnibusque proprietatibus & attributis, totis attributorum sive perfectionum, perfectionibus, gradibus, extensivisque ac intensivis capacitatibus, totis & omnibus singulisque perfectionum communicationibus & actuationibus, & tam in DEUM quàm extra DEUM ebullitionibus, & quasi influxibus effluxibusque, licebit dico, hunc in modum Toto, quantus quantus est à parte rei, & essentialitèr in se, quantusque ex parte nostra moduloque nostro, DEO, magnificare DEUM, amare DEUM, exaltare DEUM. Licebit toto DEO, DEUM velle, non tantùm Sibi, non tantùm creatis omnibus, etiam possibilibus, sed etiam ipsimet DEO, imò maximè ipsimet DEO. Agnoscendo & confitendo DEUM DEO, laudando DEUM DEO, appetendo DEUM totum toti, & toto DEO, dignificando DEUM totum toto DEO, totâque dignitate & dignificatione DEI, zelando DEUM totum, toto DEO, & toti DEO. Ambiendo & amplexando DEUM totum, toto DEO, offerendo DEUM totum, toti & toto DEO, elargiendo toti DEO, DEUM totum, toto DEO, totâ ejus in se ipsum largitate, profusione, propensione, prodigalitate. Beatificando DEUM totâ beatitudine, & beatificatione DEI, quâ se ipsum beatum facit, quâ ipse in se ipso, ex se ipso, se ipso beatus est: possidendo DEUM totum, toto DEO, fruendo DEO, toto ipso DEO, totaque frutiione DEI: congratulando & congaudendo totum DEUM toti DEO, toto DEO, totis bonis ejus, totis gaudiis ejus, totis gratulationibus ejus, quibus ille gaudet & congaudet, gratulatur & congratulatur se ipsum, totum sibi, nempe Pater & Filius & Spiritus Sanctus, qui est unus super omnia benedictus DEUS in secula. O admirandam occupationem creaturæ in DEO! Ostupendam conjunctionem! O ineffabilem

bilem communicationem! O piè præsumptuosam usurpationem! O incogitabilem DEI ad suam creaturam dignationem & inclinationem! O excessivam creaturæ sublimationem! quis capiat, quis eloquatur, quis attentare præsumat, usque eo, usque adeo creaturam subintrare suum Creatorem? usque adeo se illam DEUM ipsum facere, se in DEO deperdere, seu in DEUM transmutare: ut jam quasi omni perfectione DEI perfecta sit, omni bonitate DEI, bona sit, omni charitate DEI amet, ut etiam amor sit, omni sapientiâ DEI sapiat, omni voluntate DEI velit, omnipotentiâ DEI potens sit, omni iustitiâ DEI justa sit, omni misericordiâ DEI misericors sit, omni Divinitate DEI divina sit, & DEUS quodammodo sit, & quidem ipsi DEO sit? Quid aliud faciunt, quid aliud habent, quid aliud sunt beati, quando sunt Beati? Quid aliud est DEUS, quando est DEUS, & quo est DEUS, nisi quia ipsi sibi omnia sua totus est DEUS? at DEUS est sibi essentialiter & necessariò DEUS. Animæ autem & creaturæ, anima quoque & creatura est DEO, est in DEO, est ex DEO, est propter DEUM, dilectione, voluntate, intentione, charitatis ardore est DEUS, voluntariè est DEUS, convertibiliter est DEUS, cum formidine amissionis, cum horrore abjectionis, cum metu expulsionis & derelictionis est DEUS. Talis est enim de lege absoluta, imò & ordinaria, hujus vitæ status: ut nunquam liceat esse absque metu & timore; ut semper opus sit salutem æternam operari nos cum tremore. Verumtamen non derelinquit DEUS, nisi derelinquentes se.

Ego autem semper sperabo in te Domine, *& adjiciam super omnem laudem tuam, os meum annunciabit Justitiam tuam, totâ die salutare tuum: introibo in potentias Domini, Domine memorabor Justitiæ tuæ solius: DEUS docuisti me à juventute mea & usq; nunc pronunciabo mirabilia tua. Et usq; in senectam & senium DEUS nè derelinquas me: donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. Potentiam tuam & Justitiam tuam, usq; in altissima quæ fecisti magnalia, DEUS quis similis tibi?* Nemo Domine nemo, neque in cœlo sursum, neque in terra deorsum, sed tamen qui diligit Dominum, ejus anima cognoscet nimis. Et pascetur de divitiis omnibus Domini Dei sui. Et ingredietur & egredietur & pascua inveniet: quia Dominus *Psal: 70. 14.*

humiles ſpiritu ſalvabit, & propè eſt omnibus in toto corde requirentibus eum, & ponet eos iuxta ſe, qui autem adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Et tunc *exaltabitur ſicut unicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia uberi.* Atque hoc ſolum verum, qui plantati ſunt in domo Domini, in atriis Domus DEI noſtri florebunt, & adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi. Non enim poteſt uber non eſſe, cui datur in miſericodia uberi eſſe.

Pſal. 91. II.

Non ergo gravetur virtùs omnis, neque animus ſuccumbat corpori, ſed quantumvis domus noſtra hujus corporis diſſolvi incipiat & minetur ruinam, ob hoc ipſum anima ſolutior, & quaſi mox educenda ſit de cuſtodia ad confitendum nomini Domini, reſpiret in miſericordias Domini, & levans ſe ſuper ſe, jam nunc incipiat conſueſcere apud Dominum eſſe, cum Domino eſſe, in Domino eſſe. Sit ei diverſorium in templo, ſit colloquium in prece, ſit vita in jeiunio, & dierum noctiumque temporibus, indefeſſo devotionis obſequio quamvis corporis agnoſcet ſentietque ſenectutem, pietatis tamen neſciat ætatem. Imo tantò ſolutiori & ſolertiori in DEUM feſtinet appetitu, in DEO maneat ſedulitate, ex DEO diteſcat cupiditate, hauriat totum Deum ſtudio, ſibi pereat, DEO ſit, & vivat plenitudine: ut jam nunc aſſveſcat, ad ea officia in terris, quibus non ità multo poſt diſtinebitur, & beatificabitur per totam æternitatem, in cœlis: jam hìc diteſcat DEO, ſaginetur, pingveſcat DEO, tota, fiatque totus ac ſolus Deus, qui in proximo tam illi, quàm Electis omnibus, futurus eſt omnia in omnibus, atque per omnia & ſuper omnia DEUS.

Quæris. Quomodo fiet iſtud? ad quod dico & compendioſiſſimè, dico, ſed ſcienti amantèr, & amanti ſcientèr Deum dico. Dic ergo:

Sanctiſſima Trinitas Unus Deus, & Pater noſter qui es in Coelis toto Te (toto me) ſanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in Coelo & in terra. Vel ità breviùs: *Deus meus toto Te, amo Te.* Vel ità: *Deus, toto Te volo Te (gaudeo, gratulor elargior) Tibi omnia tua, omnia digna Te, dignè Te. Toto Te, Te Domino, Te volo, Tibi & mibi & omnibus propter Te.*

Hæc

Hæc similiavè in sensu jam supra explicato, dic millies in horas, ad singulas spirationes spira in vita, & Totus Deus erit toties, erit tantus, erit totus, erit Deus, erit tantum à Te (quasi tamen non à te, sed à Deo ipso se) erit inquam volitus, laudatus, amatus, exaltatus, glorificatus, donatus, dotatus, totalizatus, essentiatus, gratulatus, & existentiatus, quantum est & quantus est, ipse ex se ipso realiter sibi, & quotquot habet in se, ex se, eminenter, formalitèr, essentialitèr, identicè æquivalentiâ omni multitudini, ab ipso se cogitabili.

Et estne aliqua possibilis cupiditas, aut avaritia aut fames sitisue tanta, quam non expleat DEUS totalitate sua? & potestnè vel in aliquo, vel in ipso etiam Divino corde enasci desiderium, desideriique simul implementi majus DEI, quàm hoc per quod ipsi DEO, ipso DEO, & desideratur, & desideratus, donatur TotusDeus? Potestnè glorificatio & exaltatio Dei vel ab alicujus vel ab ipsius etiamDei affectu & studio fieri major,uberior,expletior,quã hæc,per quam *ipse DEUS* ipsoDeo Toto glorificatur & exaltatur? Nunquid jam videtis O animæ! quia *omnis locus* etiam ipsa essentiæ DEI abyssus, ipseque quantus est DEUS: quemcunque voluntatis & intentionis vestræ, amoris, desiderii, studii, conatûsque vestri *pes calcaverit, vester erit*, vestra possessio erit, vester thesaurus erit, vester thesaurorum Oceanus imò Abyssus erit? *Ponite ergo corda* & desideria vestra *in virtute* & liberalitate immensa Domini DEI vestri, & nè deficiatis. *Congregate sicut in utre* (nam quid est aliud cor hominis & creatura quævis, ad divitias & liberalitatem Domini) *aquas maris*, & haurite de abyssis Domini thesauros, quoniam Dominus est ponens in thesauris abyssos, qui exhauriri non poterunt in æternum. *Hæc P. Druzbicki.*

Deut: 11. 24.

Psal: 47. 14.

Psal. 32. 7.

§ IV.

EX Obedientia bonæ, beneplacenti, & perfectæ voluntati Divinæ eximium redundat augmentum perfectionis & meriti in actum salutarem: ità *P. Druzbicki* ait: Apud Magistros perfectionis, quatuor genera intentionum assignari. 1. Est, quando aliquo opere intendimus, executionem mandati Divini seu mandatorum. 2. Cùm aliquo opere intendimus virtutem aliquam exercere, non præceptam, suppositâ tamen obedientiâ mandato-

Negotiationis Spirit: Induft: 5.

 rum

rum (hæc enim includi debet ubique) 3. Cùm aliquo opere intendimus plures virtutes in specie exercere. 4. Cùm purum, solum, nudum, Divinæ bonitatis benèplacitum in actione intuemur, & aliud nihil quærimus.

Ex his quatuor intentionum generibus. 1. Esse omninò necessarium, sed imperfectissimum, 2. Perfectius est priore, supponere tamen primum. 3. Perfectius utroque, sed item supponere primum. 4. perfectius omnibus, & in se continere non tantùm primum, sed & alia duo. Conformitas enim cum DEI voluntate in omnibus, est omnis virtus, est omnis perfectio, est omnis charitas, est omnis cum DEO amicitia, est, (absit verbo error) propemodum ipsa sanctificans gratia, quod eo sensu loquor, quo Theologi non postremæ notæ, charitatem à gratia non discernunt vel vix discernunt, itaque ejus intentio est omnium virtutum intentio, ejus possessio omnium est possessio, ejus perfectio est omnium perfectio. In tantùm enim quælibet virtus est virtus, & in tantùm cujuslibet virtutis actus, est virtutis actus, imò in tantùm est licitus actus, inquantùm est DEI voluntati conformis; tolle conformitatem actûs virtutis, non est virtutis actus, sed vitii, neque virtus est virtus, sed vitium. Hanc igitur intendere & tenere in actionibus nostris, est omnium virtutum perfectionem intendere & tenere.

Sed hic advertenda duo: 1. Conformitatem cum voluntate Dei aliam esse inchoatam, aliam perfectam, (perfectam autem voco pro gradu & statu hujus vitæ; nam alioqui conformitas perfecta simplicitèr non est Viæ, neque obtineri potest, sed tandem in Patria obtinetur) imperfecta & inchoata conformitas habet aliquod discrimen suum ab aliis virtutibus, & iis indiget, & illius intentio cum aliarum intentione stare potest. Perfecta conformitas, qualis esse potest hujus vitæ etiam suo modo taliter se habet cum aliis virtutibus, ut inchoata, non plùs tamen vel minùs pro sui majori aut minori perfectione. Aliòqui illa naturâ suâ est quasi omnis virtus, atq; omnium virtutum vicem supplet, & earum fructus, nucleus: & earum perfectionem, ab aliis labore longo quæsitam, illa ut suam habet, suam facit, virtutes verò illi ut famulæ obsequentissimæ Dominatrici, Heræ obsequuntur. Quò

si

si Epicurus respicere potuisset, qui virtutes, voluptatis ancillas & ejus throno assistentes dixit, nihil extra propositum dixisset, nihil extra veritatem. In veritate namque conformitas & unio cum Dei voluntate, voluptas est & pax & fruitio summi Boni secura, & pro statu hujus alteriusve vitæ imperturbata; cui virtutes omnes & omnis singularum perfectio militat, ex earumq; perfectione illa resultat, ut verissimè justissimèque supra dixerim, quòd hanc conformitatem in actionibus intendere ac tenere, sit omnium virtutum (non tantùm virtutes ipsas qualescunque) intendere ac tenere perfectionem. Quia tamen hæc conformitas, quamtumlibet perfecta sit, tamen in hac vita imperfectionem habet semper, ideo etiam semper exercitio aliarum virtutum opus nos habemus, tum ut virtutes ipsas perficiamus, tum ut conformitati illi cum voluntate Divina nos idoneos magis, ac magis reddamus. Ex hoc autem consurgit 2. quod observandum esse dicebam. Nempe supposità hâc perfectâ imperfectione, vel imperfectâ perfectione conformitatis cum Divina voluntate in nobis, pro hoc vitæ statu dari posse.

Quintum Genus intentionum (quod si non coincidit cum quarto, perfectius erit illo) in eo situm, ut complectatur omnia quatuor supradicta, addatque illis hanc complexionem, & quandam subordinationem, & trium primorum generum ad quartum, & quarti ad se ipsum. Ità ut fiat aliquod opus, tum ex motivo implendi imperii præceptiquè Divini, tum ex particularium aliquarum virtutum non unius tantùm sed etiam plurium intuitu, qui uterque intuitus, tam implendi præcepti, imperiiq; Divini, quàm exercendi alias virtutes subordinetur conformitati nostræ voluntatis cum Divina: & fiant illi intuitus propterea, quia *id DEO placet, DEUS que vult*, & rursus, ista ipsa subordinatio ad Dei voluntatem fiat propter eandem ipsam Dei voluntatem, ut sic faciamus Dei voluntatem ad Dei voluntatem, prout alicubi loquitur S. *Bernardus*; atque adeo secundùm DEUM vivere, servire, & placere valeamus, prout alicubi orat Ecclesia: Ex quo sequitur nihil omnino defuturum isti intentioni Quinti generis, ad plenam, quæ in hac vita cogitari & actionibus nostris à nobis attribui potest perfectionem ac sublimitatem. *Hæc P. Druzbicki.*

De Obedientiâ erga Superiores.

ADdo obedientiæ in Deum, obedientiam erga Superiores propter Deum. Cujus virtutis intuitu quantus valor & pretium refunditur in actum salutarem, ineffabile dictu. Primò enim omnis perfectio inest obedientiæ erga Vicarios Dei quæ inest obedientiæ in Deum, cùm utraque ab eodem motivo suam speciem sumat. Imo quod de majori perfectione dilectionis proximi propter Deum quam charitatis solius DEI infra dicitur, huc proportione ductâ, applica. Insuper excellentia obedientiæ erga Superiores crescit propter individuum comitatum nobilissimarum virtutum præcipuè humilitatis, & patientiæ: humilitatis, quòd similis simili se subjiciat, nempe homo homini; quod si sapientior rudiori, virtuosior vitiosiori, verbo dicam, perfectior in donis naturalibus supernaturalibusque imperfectiori, imò vitiis & defectibus scatenti sese subdat, quantæ hìc sublimitates perfectionis & meriti? Subdit autem se in aggressu & sustinentia duriorum ac difficiliorum, quanta hic celsitudo fortitudinis & patientiæ! Ut non immeritò Apostolus supremam exaltationem Christi haud alteri virtuti quàm obedientiæ adscripserit dicens: Christus *humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & DEUS exaltavit illum: & donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in Nomine JESU omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est DEI Patris.* Et ne putes hanc Christi obedientiam sublimatam, fuisse erga solum æternum Patrem, fuit quoq; erga omnes: Beatissimæ enim Matri suæ, & Josepho, *subditus erat*, teste Evangelistâ. Quid dicam? ipsis quoq; iniquis judicibus, & tortoribus decretorũ judicialium executoribus morem gerebat. Crede Apostolo: *Tradebat autem* (idest, subdebat se) *iudicanti se injustè* ut scilicet Judex & ejus ministri, in eum facerent quidquid vellent. Idque tradebat se sponte & libenter: *Oblatus est* enim *quia ipse voluit.* Spero jam nullum actum tibi fore gratum & jucundum, quem non condiverit feracissima perfectionis & meritorum erga Superiores homines Obedientia. *De qua plura vide infra sub Obedientia.*

V. infra de dilectione proximi.

Philip: cap. 2.

Luc: 2.

1. Pet: 2.

Isai: 53.

§ V.

§ V.

IMitationem DEI, Christi, Deiparæ, Cælitum, copiam perfectionis, & magnitudinem meriti Actui salutari addere, nihil certius est. Quis enim negat eò hominem esse perfectiorem in bonitate, virtute, sanctitate, quò in his fuerit DEO similior? ut lucem eò esse perfectiorem, seu rutilantiorem, quò magis accesserit ad similitudinem intensivam & extensivam solaris luminis? Deinde altera Ratio est. Quia imitari aliquem in bono & virtute, est illum summè honorare: honor enim est signo quopiam protestari excellentiam alterius. Jam verò quæ major potest esse protestatio, & cujus majoris excellentiæ, quàm imitatio virtutis alienæ? nullum quippe nobilius bonum datur ut bonum virtutis, cùm sit honestum bonum: cujus boni nobilissimi & excellentissimi apud imitatorem tanta est æstimatio, quòd non modò illud in possessore suo veneretur externâ corporis adoratione,& verbaliter laudum encomiis(quod contingit etiam in fucatè præstito honore) verùm realiter vitâ propriâ (quo signo nihil præstantius, hoc enim per ardua ponitur,cùm sit in arduo virtus) contestetur illud bonum dignissimum esse, ad quod simile comparandum omnes nervi,conatusùe sunt intendendi. Unde sequitur imitationem Sanctitatis Divinæ esse propriè elicitum actum Religionis seu Latriæ excellentissimum; imitationem CHRISTI & Deiparæ esse actum Hyperduliæ; imitationem Cœlitum esse actum Duliæ nobilissimum. Deinde imitatio DEI, Christi, Deiparæ, Cælitum, est Amor eorum. *Amor* enim *aut similes reperit, aut facit.*

Porrò Imitatio DEI Hominis quanti sit monenti accipe breviter. I. *Christus* de seipso ait: Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. *DEUS ad Moysen* inquit: Inspice, & fac secundùm Exemplar, quod tibi in monte (*Calvariæ*) monstratum est. *Christus*: Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. II. *S. Bernardus*: In cassum laborat in acquisitione virtutis, qui eas alibi, quàm in Christo quærit. *S. Bonaventura*: Hæc sit sapientia, & meditatio tua, & studium, semper aliquid de ipso (*Christo*) cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad eum amandum exciteris. Quantò enim se quisque ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit,

Joan: 14. *Exo:* 25. *Joan:* 12. *S. Bern: ser:* 22. *in cant: S. Bonav: in quod: ser.*

erit, tantò ei in prima gloria & claritate appropinquabit, & similior erit. III. Quia imitatio Christi, est imitatio DEI, imitatio Deiparæ. Filiorum enim est imitari mores paternos & maternos, ut non modò in Esse, verùm & in Bonò Esse repræsentent Patrem, & Matrem, eosque ita honorent (quo nullus major honor, ut supra visum) juxta præceptum DEI. Quod Christum observasse in summa perfectione indubium est. Deinde imitando Christum, imitaris Deiparam, & Sanctos; quorum hæc præcipua fuit cura, conformari imagini Filii DEI D. N. J. C. Porrò Christum omnes virtutes habuisse, saltèm quoad habitum, earumque suæ conditioni proportionatas actualiter exercuisse in altissimis gradibus, & in summa perfectione, adeoque ex omnibus motivis composſibilibus (de quibus infra 2. 2.) & perfectionibus (de quibus in hac sectione) certum est. Talem enim decet esse absolutam & omni ex parte consummatam virtutis perfectionem, quæ relucere debuit in DEO Homine.

IV. Ab Exemplis Præter allata de B. Virgine ac variis Sanctis, & conformantibus & transformantibus se in Christum Crucifixũ alibi exempla 1mũ. S. Josephum sponsum Deiparæ hujusmodi quoq; felicitatis participem fuisse credibile est. Id enim ipse insinuasse videtur in revelatione suorũ septem dolorũ de gladio à Simeone prædicto, qui pertransiturus erat animam MARIÆ, nempe exinde & ipsum doluisse)) adeoque & gladium Christi passionis & dolorum Matris ejus suum cor transverberasse, sicque per compassionis affectum in Christum Crucifixum transformatum fuisse. *Altera ratio est*: Quia maximi Sanctorum suorum desideriorum centrum videbantur attigisse, illudque maximum donorum DEI æstimabant, quo conformiores erant imagini Filii DEI, magisque complantati morti similitudinis ejus: ideoque & Josephus sicut in aliis ita & in crucis ac passionis JESU participio ipsi, & MARIÆ, simillimus esse debuit, quibus tot annis sicut unicus ita familiarissimus speciali privilegio convixit. 2dum. S. Andreas Apostolus quantus amator crucis & imitator Crucifixi fuerit describitur in historia passionis ejus. Cùm enim pervenisset ad locum, ubi crux parata erat, videns eam à longè, exclamavit voce magnâ dicens:

Fanus in hist. S. Josephi.

In hist: pass: S. Andr. per Presbyteros & Diaconos Achaiæ scripta.

dicens: *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modò verò amorem cæleste obtinens, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta mun:ra præparata. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me Discipulum ejus, qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando jam concupiscenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me.* Et hæc dicens, exspoliavit se, & vestimenta sua tradidit carnificibus. Qui accedentes, levaverunt eum in Crucem, & extendentes funibus totum corpus ejus (sicut eis jussum fuerat) suspenderunt.)) Quod stupens *Mellifluus Doctor* ita discurrit: Quantâ exultatione „ universæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam „ magnificum opus Divinæ virtutis? Andreas homo erat similis „ nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritûs crucem sitie- „ bat, tam inaudito à seculis gaudio tripudiabat, cùm paratum „ sibi eminus patibulum conspexisset. *O Crux* (inquit) *diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me.* Videtis quia non se capit „ præ magnitudine gaudii? *Ita* (inquit) *ut & tu exultans.* Ergò ne „ tanta est exultatio ut exultet & ipsa crux, nec læti quidquam ha- „ beat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minùs contra consve- „ tudinem, supra rationem, ultra naturam Crucifixum exultare „ quàm crucem? illi sensum lætitiæ natura negavit, huic si quid „ prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. *A-* „ *mator*, ait, *tuus semper fui, & desideravi amplecti te.* Fratres, ignis „ vibrans est, non lingva loquens: & si lingva certa ignea est. „ Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in „ ossibus ejus. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumen- „ tes & exurentes quidquid in nobis est carnalis affectionis. Quales enim scintillæ sunt istæ, aut à quanto interiori incendio micant? *3tium.* In Menologio Cisterciensi referuntur Sancti decem Monachi, & quinque Conversi, qui institutum Cisterciense

S.Bernard: Serm: in vigilia S. Andreæ.

Chrysost: Henriquez in Menol. Cisterc:

tam rigidè, in Monasterio Beatæ MARIÆ de Luka, observarunt, tamque perfectè mundo & ejus voluptatibus seipsos crucifixerunt, ut ad culmen perfectionis pervenientes, non sibi sed DEO vivere viderentur. Utque eorum eximia perfectio magis mundo innotesceret, visi sunt à Beato Rudolpho, magnæ sanctitatis viro, crucibus affixi, cælesti fulgore circumdati, Christoque, qui cruci etiam affixus apparebat, circum circa adhærere; Quos Christus commendans ait: *Hi mecum crucifixi sunt, meæ passioni vitam suam conformantes.* 4tum. Vener: Joannes à S. Samsone Carmelita Laicus ævo nostro Amoris Divini ac Mysticæ Theologiæ miraculum, ab altissimis contemplationibus ad vitam & passionem Christi speculandā & practicandā jugiter descendebat. Ita enim ipse inquit: *Sicut (ô amor meus & vita mea) sacratissima Passio tua, in infinitis doloribus, miseriis, derisionibus, infamiis, & opprobriis est consummata, post quæ mortuus es & exhalasti animam in cruce, spectantibus & insultantibus omnibus: sic non oportet nos ita interiùs amoris tui infiniti & æqualis tibi ipsi, excellentiæ & dignitati esse intentos: ut inde non egrediamur foras, ad imitandum Te in omnibus vitæ Tuæ corporeæ doloribus in aspectu jugi durissimæ & laboriosissimæ Tuæ vitæ, quantùm in nobis erit, pro nostra simplici, alta, perditaq́ constitutione.* Unde etiam ajebat Sanctam Humanitatem & Passionem Domini nostri, sibi semper esse præsentem, & agnovit aliquando coram Religioso quodam ipsum super hoc inquirente se religioni ducturum, si ejus vel ad unum etiam momentum fuisset oblitus. Cui adjungendus est & amoris sensus aliàs ab eo semper Incarnationis mysterio expressus. *Fierine posset (ô care mi amor) ut ad momentum obliviscerer Te fratrem meum esse factum?* Mirâ prorsus erat teneritudine erga hoc mysterium ajebatque crimen esse, tristitiæ se modò permittere, ex quo factus est DEUS Homo, & Paradisus abeo in terram adductus. Insuper affirmabat Angelos, animas hoc mysterium sæpè meditantes in deliciis singularibus habere. Unde conjicere est quàm habuerit cum eis consvetudinem, qui religioni duxisset se vel ad momentum illius fuisse oblitum.

In vita ejus p. 1. c. 8.

Consideratum tamen oportet quod ipse notavit observandum, animas amore consummatas, contemplari salutis nostræ mysteria; non contentione sensûs aut spiritûs purè naturalis, foris quæ-

quærendo & investigando varias mysteriorum circumstantias, sed in fruitione amoris intimi, ardentis, simplici modo, unico simplicissimoque aspectu Divinitatem simul & Humanitatem intuendo. Hoc igitur modo hæc nostra sublimis Aquila Divinis ardoribus amoris Solis justitiæ accensa à simplicissimo & superemienti aspectu imam usque abyssum hanc penetrante, & à fine usque ad finem attingente, Divina contemplabatur mysteria. Et revera sublimium hujusmodi Mystarum contemplatio mysteriorum Divinorum, magis est penetratio originis unde procedant, quæ est Divinus amor in seipso, quàm effectuum in ipsis contentorum meditatio. Unde & dicere solebat: Divinam essentiam & amorem Divinum in seipso consideratum mare esse, cujus effluxus, rivi, flumina sunt & mysteria & emanationes amoris atque charismata ex eo absque discretione fluentia)) Hæc de descensu nostræ Aquilæ humilia non dedignantis, sed simul alta petentis & tamen humilia non deserentis. *Idem Mysta hæc alibi ait*: Pro fine & scopo in quem æternùm intendas, increatum & infinitum DEI ,, nostri optimi amorem habere debes tam in ejus Divinitate sola ,, quàm in Humanitate Divina Salvatoris nostri DEI & Hominis. Eapropter imago ejus interior & exterior debet esse in corde ,, tuo altè defixa & impressa, ut eum in amore ardentissimo incun- ,, ctanter imiteris, nullam præbens requiem amorosæ sed discre- ,, tæ & bene ordinatæ activitati tuæ, donec totus homo tuus exte- ,, rior & interior, infinito ejus spiritu, amore, charitate, bonita- ,, te, dulcedine, humilitate, fortitudine, patientiâ, mansvetudine, ,, deniqùe Divinâ ejus similitudine in eminenti harum omnium ,, virtutum gradu superinductus inveniatur. Et huic seriò tibi ,, incumbendum est: Verùm certò scias, quòd si hâc ratione pro- ,, cedens teipsum funditus exuere volueris, non adhærendo DEI ,, in te donis, ut quiescas in illis (etsi rejicere non oporteat, ut ex ,, eis fructꝰ quem DEUS intendit, percipiatur) certo inquam credas ,, brevi te supremum DEI amorem consecuturum, à quo potenter ,, actus æque facile te in eum & de eo excitabis, ac respiras & ha- ,, litum emittis.

V. Joan: à S. Samsone in specu: & flam: Divin: amor: tra:1. c.3. sect.3:

Idem magnus Crucifixi amator & imitator, instante suæ mortis articulo apprehendit Crucifixum inter manus suas & eum ori

Vitæ ejus p: 2. c.11.

ori suo arctissimè agglutinavit, significans hoc amabili osculo se à morte inveniri cruci Salvatoris in spiritu affixum, & sanctissimis derelictionibus voluntatis Patris ejus omnino per missum. Tum hæc Apostoli verba pronuncians: *Christo confixus sum cruci* quæ à primis rationabilibus annis cor ejus sauciaverant, & ad studium perfectionis accenderant: animam DEO Creatori suo reddidit.))

Igitur totam vitam tuam compone ad sequelam DEI, Christi, Deiparæ, Cœlitum, specialiter verò ipsius DEI Hominis, cujus imitatio continet omnes perfectiones, necnon DEI, & Deiparæ & omnium Cælitum imitationes. Sed potissimùm enitere complantari morti similitudinis Christi, exprimereque in te JESUM Crucifixum, quippe in illo omnes reperies virtutes, easque in altissimis gradibus. Hinc *in Praxi* conformandi seu transformandi te in Christum crucifixum sequentibus actibus utere.

Actus interni Transformationis in DEUM Hominem Crucifixum.

I. S*Icut Dominus meus JESUS Crucifixus ex timore justitiæ æterni Patris, ne damnarer in infernum*: vel; *ex amore cælestis gratiæ & gloriæ, ut illam consequerer*: vel; *ex amore DEI Patris, mei, & proximi mei, ad DEI & suorum Gloriam* (en habes motiva viæ purgativæ, illuminativæ, unitivæ, utere quibus, & quot vis) *factus est Obediens DEO Patri, iniquissimisq; suis Judicibus, imo & tortoribus, usq; ad horrendum & probrosum tormentum crucis. Ita & ego ex timore cadendi in infernum*: vel; *ex amore consequendi gratiam DEI ac gloriam*: vel; *ex amore DEI, mei, & proximi, ad DEI & Suorum Gloriam* (utere his motivis quibus & quot velis) *desidero ac oro te mi JESU, ut ab hinc sim Tibi, superioribus, me inferioribus in durissimis quoq; rebus obediens usq; ad mortem utinam & ipsius realis crucis!*

II. *Sicut Dominus M. J. Cruc: ex timore* &c: (ut supra) *fuit Crucifixus mundo, & mundus illi, pauper, nudus, miser & miserabilis. Ita & ego* &c: (ut supra) *volo, ac oro te mi JESU, ut abhinc sim crucifixus mundo & ille mihi, utinam ad nuditatem & miseriam tuam ipsius quoq; realis crucis.*

III. *Sicut D. M. J. Cruc*: &c: (ut supra) *pro peccatis meis pænituit, dolendo, lachrymando, orando, satisfaciendo. Ita & ego ex timore* &c:

&c: (ut ſupra) *intimè deteſtor peccata mea ut offenſas tuas; intimè de illis doleo; propono æternùm vitare illa; parce precor mi JESV per crucem tuam, da ſatisfacere pro illis, da emendare, utinam etiam in reali cruce!*

IV. *Sicut D. M. J. Crucif: ex* &c: (ut ſupra) *nil niſi triſtisſima quæq; vidit, audivit, fel guſtavit, ſitivit, ſpurciſſima phlegmata in ſuam faciem & nares projecta odoratus eſt, in tactu horrendiſſimè excruciatus; in animo amariſſimè deſolatus. Ita & ego* (ut ſupra) *volo, ac oro Te mi JESV, ut abhinc nullum interius exteriusq; ſolatium admittam, ſed totus ſim mortificatus, deſolatus, cruciatus, utinam quoq; realiter & in cruce pro Te.*

V. *Sicut D. M. J. Crucif: ex &c:* (ut ſupra) *fuit ſummè pauper in omni rerū penuria; ſūmè humilis in ōni deſpectu, odio, contēptu; ſūmè patiēs in omni injuria, pœna, afflictione. Ita & ego* (ut ſupra) *volo, ac oro te mi JESV, ut ab hinc omni poſſibili paupertate, humilitate, patientiâ Te imiter utinam & ad ipſam realem crucem.*

VI. Vide quoque formulas intentionum ſupra poſitas, ad hos actus accomodari poſſunt, ſicut & iſti actus ad illas.

Et ita quoad alias virtutes facere potes, quas ſi benè conſideraveris, in Crucifixo JESU reperies, ſi non omnes in particulari, ergo in aliquia virtute Univerſali, Theologica, vel Cardinali.

Actus externi Transformationis in Crucifixum.

I. IN *omni loco & ſemper ſi poſſibile aſpicias Crucifixum. Hinc Crucifixus ſit in cubiculo tuo, in libro precatorio, & lectionis meditationisq; ſpiritualis, vel ſtudii, vel in quocunq;, quo uteris libro, porta tecum ſemper Cruciculam & in illa JESVM affixum, quem ſæpè intuere, alloquere, oſculare, amplectere, ad eam in omni actione, & paſſione, ante, in, & poſt recurre, &c:*

II. *Ora in formam crucis extentis brachiis.*

III. *Quære occaſionem martyrii pro DEO in cruce vel patibulo mori. Felix ter quaterque beatus S. Andreas Apoſtolus, qui non tantum moraliter ſeu in ſpiritu, verum & phyſicè imitatus eſt JESVM in cruce.*

§ VI.

CHaritas quantam perfectionis meritique copiam exuberare facit in actum ſalutarem; accipe Auctore *P: Druzbicki.* ità proſequente. Non eſt difficile homines divitiarum valde cupidos eoſdem earum perſtudioſos reperire: magna tamen eſt vari- etas

In Proviſio: ſenect: Parte 2. prov; 7.

etas ſtudiorum & mediorum, quibus ad diteſcendi finem tendunt. Volunt enim quidam uno aliquo genere abundare, & in eo divites fieri contenti ſunt. Volunt alii plura bona coacervare. Volunt alii plurima & ſi fieri poſſet, volunt quantùm in ipſis eſt omnia cumulare. Volunt alii unum aliquod opum genus conquirere & aggregare, ſed illud tale eſſe volunt, quod abſque varietate, & multiplici congerie rerum minùs pretioſarum, in ſe uno ac ſolo contineat multa, plurima, omnia. Tales ſunt v. g. qui ſoli auro argentovè coacervando & in immenſum congregando totis viribus inhiant, ducti nimirum auri argentiquè pretio, non tantùm majore quàm ineſt bonis opibusvè aliis, ſed etiam quia auri argentive licet non maxima maſſa, in ſe tamen contineat pretium aliarum rerum, eſto quàm maximè multarum, in unumquè collectarum. Unde unius ſoliuſquè auri ſtudio, videntur ſibi æquare, imò excedere ſtudia plurimarum aliarum ab auro rerum: & unius auri maximâ congregatione, credunt ſe eo ipſo in divitiis, omnes alios auro minus, aliis verò licet rebus valde divites excedere: Nimirum aurum tale quiddam eſt (aut magis ab hominibus putatur eſſe) quo curato omnia curantur, cumulato, cumulantur omnia: habito poſſeſſoquè habentur & poſſidentur omnia bona, omniaque divitiarum genera. Tale quid invenire eſt in ſpiritualibus hominibus atque ſtudiis, omnes diteſcere ſpiritualibus bonis volunt & ſtudent: ſed ſtudia eorum alia atque alia ſunt. Contenti ſunt alii conſcientiam à peccatis grandibus mundam habere. Alii paſſionum dominium, vitiorum carentiam appetunt. Curant alii contemptum rerum caducarum ſolo affectu, alii etiam re ipſa, imo & voto adjecto, eundemque plenè exequuntur. Alii ſtudent & ſciunt cuſtodire vas ſeu corpus ſuum in honeſtate. Alii unam aut aliquot ſupra unam virtutes ſeligunt, in quibus proficere inſigniùs ſatis habent: alii proficere in plurimis aliquantum cupiunt. Alii intentionem bonam, alii meliorem, optimam alii, alii multas in operibus ſuis ſimul habere conſueſcunt. Alii denique aliter & aliter ſalutem ſuam operantur; & per bona opera eandem certam facere ſatagunt. Sed nihilominus præter & ſupra hos, ſimileſque his, omnes ſunt, qui ab Apoſtolo moniti *Æmulantur chariſmata meliora*: ſunt quibus

bus ab eodem excellentior via demonſtratur: ſunt qui audiunt ab Apoſtolo dici ſibi. *Qui diligit, legem implevit. Charitas nunquam excidit. Charitas DEUS eſt, & qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Rom: 13. 1. cor: 13. 1. Joan: 4. Sine Charitate nihil mihi prodeſt, nihil ſum, eſto habeam fidem ità, ut per eam montes transferam, eſto loquar linguis Hominū, & Angelorum, eſto noverim myſteria omnia, eſto liberalisſimâ in cibos pauperum ſubſtantiæ meæ diſperſione, evaſerim nudisſimus, ac pauperrimus; eſto tradiderim corpus meum etiam in ignem conſummando Martyrio, eſto Dominum meum de ſubſtantia mea non ſolùm honoraverim, ſed etiam in carne manentem inter nos paverim, & circa frequens miniſterium, ipſi in Perſona DEI Filio exhibendo ſolicitus fuerim.

Sed jam in quo conſiſtat intentionis adeo nobilis ſimplicitas atque unitas, omnibus æquivalens, multis & prævalens, delineandum eſt. Compendioſiùs id dicere, pleniùſque ſimul non poſſum, quàm verbis ipſius Chriſti, nos ità & orare, & operari, & pati omnia, & ſingula, & ſemper, docentis, ut in omnibus, & ab omnibus, & per omnia noſtra, Sanctificetur nomen DEI ac Patris noſtri, qui in cœlis eſt, adveniat regnum in omnes creaturas, & propagetur magis ac magis ſemper inter eas, & fiat voluntas ejus ſicut in cœlo & in terra, ſicut in corde DEI, ità & in corde omnis creaturæ: idque totum ob aliud nihil, niſi ut Sanctificetur nomen ejuſdem DEI Patris, & adveniat floreatque Regnum & gloria Majeſtatis ejus, & fiat voluntas ejus, ſicut in cœlo & in terra: quia hæc eſt dignitas voluntatis ejus & voluntas dignitatis illius: hoc ſi indiget explicari poteſt. Intentio ſimplex, & una, & nuda, & ſublimis, & pura, & defæcata eſt, operari aut pati ad unius ſoliuſque DEI Optimi, Maximi, Dignisſimi mentem ſeu voluntatem, ad exaltationem ejuſdem ſeu Gloriam, ad contentationem expletionemque ſeu guſtum & voluptatem ejuſdem puram, ſolam, quatenus ejus, & quia ejus, & quomodo eſt ejus abſque ullo ad creaturæ placitum intuitu, abſque ullo ad tuum (qui operaris, ſeu pateris, & intendis) proprium guſtum commodumve reſpectu, abſq; ulla ad te ipſum converſione, abſque ulla tui met in operando, & operatione, ſpe, quæſitione, conſolatione. Ut exaltetur ubique, ampliùs & ampliùs ſemper ſolus DEUS, ut glorificetur & regnet in omnibus pleniùs & pleniùs ſemper ſolus DE-

US, ut impleatur & fiat ab omnibus & in omnibus perfectiùs & perfectiùs semper sola Voluntas DEI, & non ob aliud quidquam, nisi quia ille DEUS; quia ille Dignus DEUS; quia hæc est Voluntas ejus tam imperans, quàm dirigens, quàm informans seu transformans.

Sic effici, sic perfici, sic informari, transformarivè, est exui & exire quidem à se ipso, perire ac mori sibi, omnique simul creaturæ, & affectioni creatæ, vivere autem DEO, transire in DEUM, & Deificari est; sic constitui, est optimam partem elegisse & assecutum esse, est unum necessarium possedisse & obtinuisse; est omnibus & sibi disperiisse, solum autem & unum DEUM prævalentem omnibus bonis & donis invenisse, introiisse, immigrâsse, inhabitâsse, in eum se beatissimo commercio immutâsse, eumque pro se accepisse, & se in eum indivinâsse. Non quidem entitate sed voluntate, non substantiâ sed affectione, non essentiâ sed Charitate, nondum gloriâ sed solâ adhuc gratiâ, olim autem in futuro etiam gloriâ. Sic se habere est se non habere, sed DEUM per se possidere, sive, est se, non in se, sed in DEO meliùs habere, est nihil habere, & omnia possidere, est omnia in uno, unum pro omnibus habere, sive illud sit, quod purgat animam, sive illud quod exornat cor, sive illud quod unit, & identificat DEO: auferens omne, quoad fas huic vitæ, non tantùm aliud, non tantùm disparatum, non tantùm adjacens, sed etiam medium, etiam unitivum, retinens solum quod faciat unum, faciat idem, faciat nihil sui, faciat totum quod est, unus & solus DEUS, una, pura, & simplex Divinitas. Atque hoc præstat unica, simplex, pura, defæcata Deiformis intentio, cujus exercitium, usus, praxis, habitus, omnia alia obtinet, supplet, inducit, evincit, exsuperat, accumulat cum immenso fænore, omnia alia spiritûs & virtutis & perfectionis exercitia. *Hactenus P. Druzbicki.*

Negotiat: spir. industria 9. *Idem* pro complemento dictorum de Charitate hæc alibi asserit dicens : Et si enim actus Virtutis elicitus ab homine, in charitate DEI posito (quod est actum illum charitati conjungi in præsenti) meritorius esse possit, longè tamen plus poterit mereri, quando fiet ex charitate, in charitate, & cum charitate, seu informatus & animatus & penetratus atque fermentatus

à cha-

à charitate; quomodo lac vel pomum puero placet ex colore, ſed multò ampliùs ex dulcedine colori adjuncta & albedinem illam lactis, vel colorem pomi, penetrante & fermentante atque condiente. Et ratio hujus rei ex Theologorum placito peti poteſt. Theologi, etſi doceant omnem virtutis actum ſupernaturalem elicitum ab homine in gratia ſeu charitate poſito eſſe meritorium apud DEUM, eſſe tamen diſcrimen inter virtutem charitatis & alias virtutes, tale; quod ſcilicet aliarum virtutum Actibus meritum à DEO non detur par ipſis Actibus, ſeu non æquare in Actuum gradibus, ſed minus, (& loquor de merito gratiæ & gloriæ) ità, ut ſi Actus virtutis ſit ut ſex fervens, non rependatur illi promeriti gradûs gratiæ vel gloriæ ſex, ſed tertiâ parte minus, nempe duo. Si Actus ſit graduum duodecim, gratiæ & gloriæ meritum erit graduum quatuor: ſi Actus graduum viginti quatuor, meritum erit graduum octo, & ſic deinceps. Dixi, me loqui de merito gratiæ & gloriæ per aliarum virtutum gradus parando: nam de merito augmenti habitus virtutis illius, cujus dicitur Actus, ſentiendum eſt ſic: quod latitudini Actûs eliciti, reſpondeat latitudo augmenti habitûs illius virtutis cujus eſt Actus. At vero Actibus charitatis Divinæ, quibus DEUS ſuper omnia diligitur reſpondet meritum gratiæ & gloriæ par & æquale Actui ipſi, conſequenterque & meritum habitûs charitatis; quamvis de augmento meritòve habitûs charitatis, ſi ab Actu adæquetur habitus (ajunt Theologi) quod habitus accreſcat indupla proportione, ut ſi V. g. actionis fervor ſit decem graduum habitus erit viginti; ex quo habitu ſi rurſum eliciatur Actus illi par in gradu, habitus intendetur ad quadraginta, & ſi id rurſus fiat, rurſum habitus excreſcet ad octoginta, & ſic deinceps. *Vide Joann: Crombetium lib: 5. num: 51.*

Nec immeritò id tribuitur Charitati, quia enim charitas eſt, & amor DEI, qno DEUS diligitur ab homine, & viciſſim diligitur à DEO. Vnde & amicitia ſeu amor mutuus dicitur, ideo maximè proportionatur gratiæ ſimùlque gloriæ, adeo ut aliquibus Theologis videatur non differre à gratia ipſa, ſicut gratia à gloria non differt, quod fit, ut pro ſui latitudine mereatur ac recipiat latitudinem etiam gratiæ atque gloriæ; quare ſe-

quitur nullum esse fæcundius negotiationis genus cum DEO, quàm per mercimonium charitatis; Expedit ergo nihil agere sine charitate, expedit inquam omnem Actum cujuscunque virtutis, simul fieri Actum charitatis, fiet autem, si imperetur à charitate, si eliciatur propter charitatem, & denique si eliciatur cum charitate, non solum concomitante, & simul existente habitualiter in Subjecto, sed etiam cum charitate cooperante, imò operante Actum illum alterius virtutis, atque condiente & fermentante: quomodo cùm amico amicus, vel sponsa sponso servile licet obsequium præstet, facit illud cum charitate amici, cum charitate sponsæ, hoc est: facit ità ut illum Actum obsequii animet spirituali suo Amore. Sic ergo assero, expedire Actus aliarum virtutum omnium diversarum à charitate conjungi & informari Actu charitatis; Actu dico, non Habitu solo, & Actu *V. infra. §. 8.* per illam proportionem jam explicatam intenso, intensione rationali. Hoc enim & dignificabit Actus aliarum virtutum; nam eos ad dignitatem Actuum charitatis evehet. Omnis enim Actus illius Habitûs esse censetur, à quo imperatur, & in cujus finem dirigitur, eliciturque; & efficitur meritorius longè amplius gratiæ & gloriæ quàm fuisset, si in charitate quidem non ex charitate tamen fuisset elicitus. *Hæc P. Druzbicki.*

§ VII.

EX augmento Voluntarii, Deliberationis, Electionis, Propositi, crescere moralem bonitatem, & meritum in Actu salutari, *P. Druzbic: Negotiat: ati: Induſt: 25.* asserit *idem citatus Author* ita discurrens. Ubi plus voluntarii, & deliberativi, ibi plus boni & honesti, consequenter plus meritorii esse debet: augere ergo voluntarium, deliberatione, electione, voluntatis imperatione, & affectione, atque applicatione, est sementem facere, & messem augere; sic agere, est extra periculum mali successûs esse: etsi enim forsan successus non is erit actionis qui spectabatur, erit tamen agenti bonus, quia agentis prudens fuit modus, eventus autem actionum, & consiliorum non est sæpé in nostra potestate, neque ex eventu de consilio judicari potest, aut debet; Cùm sæpè optima consilia malè, pessima optimè cedant. Sic agere rarissimum est, etiam inter bonos & justos, etiam inter eos, qui videntur prudentes. Sic agere, o-

mnino

omninò est necessarium & maturè discendum. Sic agere, qui scit, qui docetur, qui cupit doceri, Beatus est: Hoc est enim esurire & sitire justitiam, prudentiam, bonitatem, scientiam, sapientiam, & omnem virtutem. Sic agere neque ipsi Magistri Sanctitatis, atque prudentiæ spiritualis Professores, sciunt, certè non solent: & denique quod pessimum est, non amant, utinam & in aliis non carpant. Sic agere, discet, curabit, assvescet, non erubescet, quisquis non dico humanè prudens, sed Christianè sapiens, hoc est, Sanctus, Deiformis, Perfectus, Fidelis DEI servus, bonus negotiator, & Athleta esse volet. Hoc autem assequetur, si assvescet agere omnia, ex præmeditatione, ex rationum in utramque partem dispectione, & ponderatione, ex rationis lumine, ex mediorum delectu, ex aliorum consilio, ex prævia oratione, ex affectûs omnis in alteram partem inclinantis denudatione, ex puro in solius DEI majorem Gloriam intuitu, ex oblivione sui solatii, honoris, commodi, spei, ex circumstantiarum circumspectione, & resignatione in DEUM ejusque voluntatem perfecta, ad omnemque eventum parata; Ex lumine & ratione fidei supernaturalis, ex rationibus sublimibus, heroicis, ex consilio DEI, ex constantia, & efficacia, & vigilantia, in executione & mediorum usu, & affectu voluntatis, prædictis omnibus, subsequente, & in eo, quod agitur, vel agendum est, qualecunque illud sit, dummodo DEO placere constet, sibi complacente, & sese contentante.

Rectissimè faciet qui examen conscientiæ facere consvescet, non jam super acta, sed super agenda à se. Quod genus examinis, in meditatione locum habere potest, sed svaserim alibi etiam, ex proposito factitandum esse. Rectissimè faciet, si quis singulis diebus unum opus aliquod (aut etiam plura successu temporis & praxi accedente) assumat, & de illo deliberet, juxta proximè dicta. An? quare? ubi? quomodo? qua perfectione? sublimitate? quibus occasionibus mali vitatis? quâ sui victoriâ? quo aliorum fructu? quibus occasionibus bonorum usurpatis? in quem finem? in cujus Sancti? in qua virtute imitationem? præsertim Christi, & pretiosissimæ Parentis, hoc, vel illud sit faciendum? sic etiam, si quis aliquamdiu factitet, perveniet ad eam prudentiam, cautelam, circumspectionem, integritatem in agen-

do in omnibus, ut defectus in eo ab aliis, vix sit aliquando reperiendus. Alias industrias doceat Unctio, doceat consideratio, doceat experientia. Hoc pro conclusione repeto. *1mò.* Neminem sciturum, ejus industriæ commoda, nisi qui eam exercere, & molestiam laboremq; in ea initio sese offerentem, devorare, svavitèr, prudentèr, constantèr, studuerit. *2dò.* Duos scopulos hic vitandos moneo ex defatigatione natam Desidiam, Actuositatemque, & scrupulositatem nimiam. *3tiò.* Faciat quod S. Ignatius qui (ut in ejus vita habetur) omnia negotia DEO per orationem sic commendabat ac si ipse nihil, DEUS omnia, solus acturus esset. Deinde verò sic omnia providebat & curabat negotia proposito opportuna acsi solus ille omnia, DEUS nihil esset acturus. Hæc sapientia est, qui legit intelligat & exerceat. *Hactenus P. Druzbicki.*

§ VIII.

V. Druzbicki. Negotiat spir. indust. 8.

INtensio & Fervor rationalis, quam inœstimabilem dignitatem & meriti ubertatem conferat Actui salutari, audi *Patrem Druzbicki* ità disserentem. Uix est ulla res, quæ valorē operum nostrorum, impetrandi efficaciam, satisfaciendi virtutem, ita enervat, quomodo tepiditas, & socordia actionum, sive operum. Quantumcunque enim opus sit, ex natura & objecto, seu specie sua nobile, & eximium, quantumcunque defœcatum & sublime, nisi sit fervore incensum, sit verò tepiditate infectum, nequaquam beneplacito Divino ad mentem complacere potest. Et causa in promptu est; quia cùm DEUS sit Actus purus, ejusmodi etiam actiones creaturarum suarum (præsertim eas, quæ sunt ad suum obsequium directæ) desiderat, ut sint quàm simillimæ puro Actui. Actûs verò puri proprium est, carere non solúm omni admistione extranei, non solùm defectuositate potentiæ, sed etiam remissione languoris, seu activitatis, quidquid enim admistum horum sit Actui, purus esse, & dici non potest. Nam si purus esset, totum quod habere potest, aut posset, ac deberet, re ipsa haberet. Remissus autem Actus, hoc ipso quod remissus sit, non habet id, quod debet, & quod potest. Quare remissus Actus ab Actu puro & consequenter à DEO longè est, ideòque DEO displicet, ac valoris parum, efficaciæ non multùm, dignitatis & fructûs vix aliquid obtinet. Eam ob rem, diligenti negotiatori, & inter alia

vel

vel maximè curandum incumbit, ut Actus suos remissos, DEO non exhibeat, potiùs autem quàm ferventissimos, atque intensissimos facere in conspectu DEI laboret, non tantùm ut DEO placeat (quod solum omnium instar est) sed etiam ut Actibus operibusque suis, quàm maximum valorem, pretium, efficaciam, dignitatem conciliet. Hoc igitur agit præsens industria, suadet homini negotiatori ut in operibus suis (quæ sunt negotiationes ejus) curet fervorem & intensionem non deesse. Quanti hoc sit momenti, quantùm hoc curari conveniat, à negotiatore avaro spirituali; si supradicta non sufficienter evincunt, vel illud evincat, communissimum dictum: *Unus Actus intensus, pro mille remissis facit.* Quis nollet ità operari, ut unico labore mille labores expleat & adæquet? quis nollet tales nummos quærere & lucrari, quorum unus æquivalet pro aliis mille? quis nollet tali labore occupari, & opere exerceri, quo uno mille labores exsolvat, mille opera expediat, mille laborum lucra obtineat? omnes vellemus dubio procul. Atque ecce in propatulo est modus, pro mille laboribus laborandi; unicum laborem faciamus, subeamus unum intensum & ferventem laborem, & ille pro remissis laboribus mille apud DEUM reputabitur. Idque maximè nobis ex hoc capite faciendum est; quia remissi Actus non raró, quin imò frequenter, ac ferè ordinariè, majore molestiâ, labore, nauseâ, fatigationeque tam animi quàm corporis, jacturaque temporis etiam à nobis fieri debent, quàm intensi. Et causa est in promptu, quia Actus remissi ordinariè ideo remissi sunt, quia fiunt ex tepida & per acediam gravata, consequenterque repugnante voluntate, quæ autem repugnante voluntate fiunt, ea & remissè; & cum molestia tædioque fiunt.

Atque ita habent omnia incommoda remissi & segnes labores, quæ habent intensi ac ferventes: & insuper hoc molestiæ habent, quod Conscientiam pigritiæ consciam arguunt, cum interea eandem intensi ex cogitatione & testimonio ferventis operationis exhilarent, & spe recreent, laboris molestias minùs sentire faciant, quin imò alacriorem ad ulteriores atque etiam majores labores perferēdos reddant; ita ut sibi operarii non laborare sed recreari, respirare nō fatigari videātur. Perinde ut mercatores magnis lucris partis, accēdi solent, ad conquisitionem majorum lucrorum.

Quæ res in vita ſpirituali majoris eſt momenti, quàm ut vulgo in plebe ſpiritualium hominum, frequenter deprehendi ſolet. Verior denique eſt quàm ut de ea addubitari fas ullo modo ſit. Quæ quidem nos, ſi veri Negotiatores Theſaurorum ſpiritualium ſumus, maximopere ad ferventer & intenſè operandum animare atque excitare debent. Cæterum in ea re dubium illud eſſe poteſt, quid ſit hæc intenſio operandi? atque laborandi? quam ità commendamus, & in ſanctis Patribus ſacriſque literis commendari non ignoramus? Pro qua re ſciendum; nomine Intenſionis intelligi Alacritatem & Vigilantiam, Accurationemque & Applicationem mentis in operando. Quæ ſi eſt in operatione dicitur fervor; ſi verò non tantum eſt, ſed etiam creſcit & augetur, mentis conatu ſemetipſum urgente & ſtimulante dicitur *Intenſio*, *ſeu intenſus fervor*. Atque ità quando operamur aliquid applicatè, ſeriò, alacriter, diligenter, inſtanter, dicimur tunc operari ferventer. Quando verò operamur ita aliquid, ut applicatio & alacritas & diligentia operandi, inter operandum in nobis creſcat, dicimur operari intenſè, & fervor operationis dicitur intendi. Quanquam hæc frequentisſimè apud nos inſermone confunduntur, ità ut pro eodem ſit ferventer & intenſè operari; licet revera, fervor, ſit calor quidam mentis atque æſtuatio; intenſio verò, ſit fervoris ſeù caloris, atque æſtuationis illius mentalis incrementum & progreſſus: ad eum plane modum quomodo igneus calor, cum eſt in juſta aliqua quantitate, dicitur fervor caloris, ſeu fervens calor, ratione cujus dicitur aqua fervere, dum eo calet, hujus verò quantitatis augmentum dicitur intenſio caloris. Sunt autem circa hæc advertenda aliqua, ut meliùs vis & ſcopus hujus induſtriæ intelligatur, meliusque etiam & alacriùs in praxim poſtmodum deducatur. Horum primum eſt: intenſionē ac fervorem ſpiritualem in operando, vel potius in homine operante, duplicem eſſe poſſe. Una eſt intenſio Senſibilis, alia Rationalis. Senſibilis intenſio dicitur, quando homo inter operandum ſentit, ſenſu corporeo ſenſibili æſtum quendam in ſe, in ſuo corde, pectore, capite &c: ſentit inquam ſenſibiliter, ex eòque ſenſu incaleſcit cor, intenditur pectus, & ejus venæ, atque oſſa capacitasque intumeſcit ac diſtenditur, ideoque ſentimus etiam in capite, in temporibus,

bus, in faucibus, in vertice: qualis sensus si excrescat & non cohibeatur, potest & solet in incautis valetudinem lædere, venam pectoris rumpere, ossium compaginem labefactare, caput fatigare, atque officere organis. Ob quam causam hæc intensio corporalis, sicut dum est moderata admitti potest cùm sponte advenit, vel etiam excitari potest, cùm ejus occasio est (advenit autem vel ejus occasio est, ut plurimum intensio & fervor Rationalis, de quo mox dicetur, licet eum aliquando etiam præcedat, aliquando simul sit, aliquando sequatur, aliquando post illum remaneat, nonnunquam etiam imò non rarò, præcipuè in eis, qui potentes affectus habent, sine illo veniat & sit, habetque annexas dulcedines sensibiles, svaves lachrymas, per ora & genas, vel per fauces, calida etiam & impetuosa suspiria, ac longa, membrorum etiam quemdam svavem langvorem atque dejectionem, sensuum suspensionem externorum &c.) moderanda tamen est, nec ei habenæ laxandæ, nè prout dixi valetudini noceat. Deinde non est illi insistendum, nec in ea ambitiosè conquiescendum, quia non in ea præstantia est laborum, operumque meritoriorum: & potest talis sensibilis intensio (quæ etiam vulgò devotio ac dulcedo sensibilis dicitur) reperiri etiam in peccatoribus, in infidelibus, in semisobriis, &c. proinde non hanc isto loco sensibilem intensionem in nostris operibus, neque hunc fervorem commendamus. Alia est intensio Rationalis, quam superiùs descripsi, quæ est in parte non sensibili, sed Rationali scilicet in Animo, in Intellectu, ac Voluntate, ut est Alacritas, Vivacitas, Vigilantia, diligens applicataque cura animi ad operandum aliquid cum augmento ejus, in eodem animo. Quod augmentum, sicut & tota alacritas, & est in Intellectu atque Voluntate, & provenit ab appretiatione æstimationeque operis, operationis, finis propter quem fit operatio v. g. DEI, Christi, Virtutis, Animæ, Beatitudinis, &c: quæ appretiatio atque judicatio Rationalis quantò est major, quantò ex majore lumine spiritûs, ex convictione intellectûs, ex affectu voluntatis, convictionem intellectûs sequente, tantò etiam operatio est diligentior, ferventior, applicatior, magis indefessa, magis succrescens, & vires sumens; tanquam ignis, qui ex se ipso vires sibi suppeditat, tantò majores, quantò ipse major est. Hæc inten-

ſio habet ſecum Attentionem, hæc intenſio eſt omnium virtutum vita, operum noſtrorum omnium pretium, meritorum ſeges, gratiæ illicium & invitatio, cibus DEI, quo libenter veſcitur, pingvedo medullarum animæ, irritatio avaritiæ, & guloſitatis ſpiritualis dilatatio, animæ fœnus & lucrum negotiationis Dominicæ. Hæc intenſio eſt omni Spirituali Viro unicè noſcenda, amanda, procuranda. Hâc intenſione Spiritualis Vir opera ſua condire, impingvare, imprægnare debet. Hæc intenſio differt ab intenſione qualitatum Phyſicarum, quòd illæ limitatæ ſint & ultra 8. gradum ex Philoſophorum placito aſcendere non poſſunt, iſta autem limitem habet præter eum, quem gratia & hominis conatus poſuerit, nullum. Hæc intenſio in hoc differt ab illa ſenſibili, quòd illa etiam ſit limitata imò debeat limitari à diſcretione, nè officiat valetudini, iſta verò non eget limite ullo, nec frangit vires corporis, quia non per corpus fit, ſed per animum, & poteſt fieri abſque ulla violentia nervorum vel virium, abſque ulla organorum fatigatione, ſolo duntaxat rationalis voluntatis imperio, amplius & amplius ſeſe ad appretiandum, & ex appretiatione, ad operandum perurgentis ſvaviter, lentè quoad ſenſibiles motus, efficaciter tamen & cum ſuccreſcentia, quoad voluntatis conatum. Hæc intenſio, ſi accedat operationi noſtræ, mirum eſt quantùm pretii ac valoris afferat eidem, mirum quantùm ad generandos in nobis habitus virtûtum, quantùm ad facilitatem operandi benè, virtuoſè, heroicequè in animo noſtro conferat: quapropter ab Amatoribus profectus ſui ſpiritualis, hoc intenſionis genus & cognoſcendum, & æſtimandum, & uſurpandum eſſet. Expedit declarare id, tum exemplis tum ſimul regulis in hoc ſervandis.

Si quis ergò faciat Actum Charitatis Divinæ, & eum velit condire intenſione, cùm Charitas conſiſtat in æſtimatione DEI, atq; prælatione ſuper omnia: is eliciet hanc æſtimationem atq; prælationem DEI ſuper omnia creata, elicitam continuabit aliquamdiu (prout ipſi placuerit) continuando, illam autem appretiationem, æſtimationem, prælationem majore & majore quodam mentis ſeu Rationalis portionis conamine, ſive ſemper continuè toto illo tempore, quo durat Actus, ſive interpolaris & diſcretis vicibus eliciat, ità ut ſi v. g. Actus ille Charitatis duret per 20. paſſus ho-
minis,

minis, aut 20. instantia discreta temporis, aut per unum quadrantem horæ, Actus sit quidem Charitatis, quoad substantiam & entitatem suam initio v. g. in primo passu, sed in secundo sit intensior, in tertio intensior, & sic deinceps usque ad 20. passum, vel instans, quadrantisve finem, & pars Actûs illius elicita in secundo passu, aut instanti, 20. veluti gradibus superet, primi instantis Actum; hoc verò totum potest fieri absque intensione sensibili & partium corporis, sed solo voluntatis rationalis imperio, conatu, intentione, adeo ut sufficiat, si voluntas sibi ipsa imperet. Volo 20. passus facere ex Charitate DEI, & ad singulos passus elicere Charitatis Actum (vel per omnes passus, dum ii durant volo continuare Actum Charitatis, ità ut singulis passibus major Charitatis Actûs portio & intensio respondeat) alium atque alium, alio ferventiorem & intensiorem, atque omninò talem ut quolibet Actu cuivis passui respondente magis appretiem & superexaltem DEUM. Tum si ità re ipsâ voluntas vel homo faciat solâ mente, vel etiam voce mentalem Actum exprimendo; dico quod Actus ille Charitatis in ultimo passu erit major apud se vigesies, & apud DEUM meriti majoris, & in mente nostra erit æstimatio DEI major in vigesima particula quàm fuerit in *1ma.* Et manifesta est ratio quia totum hoc pendet à nostræ voluntatis intentione seu determinatione. Sicut ergo quando voluntas in *1ma* parte, passu, instanti, intendit DEUM amare, illum amat, & quando illum intendit tantùm amare, tantùm illum amat, sic etiam quando in *2da* parte, intendit illum plus amare, quàm amarit in prima, plus amat re ipsâ, & quando plus intendit amare in tertia, quàm in secunda (& etiam prima) tum revera plus amat, & sic deinceps, quando intendit illum plus amare in vigesima parte, atque passu, quàm amavit in decima nona, vel in omnibus præteritis, defacto & reipsa amat plus. Quod luculentiùs apparet in Actu opposito odii Divini, nam si quis intendit DEUM blasphemare, vel contemnere, per viginti passus aut instantia, & ita intendit, ut in quovis passu & instanti velit intendatque majorem DEI contemptum in se esse & à se elici, nonne is per viginti illos passus eliciendo actus contemptùs Divini (vel certè actus plures) magis censebitur etiam apud suam conscientiam contempsisse DEUM in secun-

do quàm in primo, in tertio quàm in secundo, magis in vigesimo quàm in decimo nono? quod igitur hic sine controversia cognoscimus fieri posse, idem in Actu Charitatis & Divinæ æstimationis necesse est ut fateamur. Ex quo etiam apparet, quàm id facilè fieri possit, & absque ulla fatigatione virium animi & corporis, cùm enim id pendeat ex solius voluntatis intentione, intendentis tantùm & proponentis hunc Actum sic facere, tantam ejus partem sic in DEUM tendere, tantam plus, hâc parte tantum sui in DEUM affectus appretiativi exprimi, hac verò amplius, quàm præcedenti illâ, rursus amplius quàm præcedenti, &c. Intentio autem voluntatem non fatigat, quippe, quæ sit, & esse possit instantanea. Sequitur etiam intensionem non fatigare animum, nec intensione exhauriri vires, sed si quando exhauriuntur, id provenire vel ab inscitia modi intensionem hanc peragendi, vel certè ab ipsius actûs in entitate sua productione; à potentiis animæ atque corporis, quin imo potest Actus v. g. Charitatis, esse in sua entitate, & per omnes viginti passus, æqualis & intensionis, & proportionis, & tantùm per intensionem voluntatis, moraliter discerni in partes viginti, & cuique parti assignari major intensio per hoc solum, quòd Voluntas una quâque parte velit, & intendat DEUM amplius & amplius æstimare, cùm sit dignissimus majori & majori semper æstimatione, qúod si fiat Actus ille non plus fatigabit elicientem, cum hac intensione, quàm fatigâsset absque illa. Ex dictis.

Colligi potest, quod si quis flectat per horam in oratione, possit in hora illa assignare quadraginta v. g. instantia seu partes, consequenter quadraginta etiam partes in sua flexione, seu in sua molestia, quam habet in flectendo, & unamquamque partem molestiæ offerre DEO, in testimonium Charitatis, perpetique illa ex Charitate DEI, & quidem ita, ut quælibet pars succedens ex majori Charitate in DEUM sit profecta, & majoris Charitatis in DEUM affectus: si ità fiat ab aliquo, quadragesima pars molestiæ illius erit ex majori, & imperabitur à majori Charitate, à majori, inquam, quadragesies, quàm imperata fuit prima pars; & nunquid sine ingenti meritorum incremento? Facere similiter possunt ii, qui deambulatum animi causâ prodeunt, & passus suos vel ex

Cha-

Charitatis, vel ex Obedientiæ majore & majore affectu ſingillatim offerre, dum quotus numero ultimus erit paſſus ſic oblatus, tanto numero, & gradu intenſionis, Obedientiæ Actus, vel Affectus Charitatis ſuperabit ſuos actus præcedentes. Id ipſum facere poſſumus, cum ſingulis ſalutationibus Angelicis in corona, vel roſario, cum ſingulis pſalmi verſiculis, verbis, literis, in horis canonicis, cum ſingulis item Actibus animæ & corporis, verbisque ac literis, in miſſæ Sacrificio. Cum ſingulis literis, & voculis, in lineis, quas ſcribimus in lectione, vel dictamus in lectione, vel legimus in lectione, vel proferimus in exhortatione, vel Concione. Id ipſum fieri poteſt, cum ſingulis ictibus diſciplinæ, vel cum ſingulis aculeis cilicii, ſive catenæ. Denique id ipſum facere poſſumus, cum omnibus motibus noſtris ab hoc vitæ noſtræ præſenti inſtanti, usque ad finem vitæ, motibus, inquam noſtris, ſive animi, ſive corporis: itemque paſſionibus. Totum enim hoc pendet, ab arbitrio, deſignatione, intentioneque & reſpectu voluntatis noſtræ, quæ in hoc genere pleniſſimo jure eſt Domina ſui, & quantò eſt in hoc oculatior, tantò etiam ditior. Ex quo patet, quanti ſint meritorum Theſauri inter manus noſtras, quos quotidie infinities amittimus, & quanti Theſauri lateant, in intentione voluntatis noſtræ, cujus tamen cura eſt nobis propè poſtrema. Patet quanta ſint lucra intenſionis iſtius, de qua loquimur hac induſtriâ. Patet quanta ſit noſtra in negotiatione ſpirituali, vel inſcitia vel ignavia, qui tantam farraginem, meſsemque, vel ignoramus, atque non advertimus, vel advertentes negligimus ac diſſimulamus, & præ pigritia tam illum conatum adhibere nolumus, ut tanta animæ lucra conquiramus, tantòque ſingulis non dico diebus, ſed momentis vitæ noſtræ intervallo, gratiores DEO efficiamur, & DEUM viciſſim nobis gratiorem, digniorem, pretioſiorem efficiamus.

Qare Conſilium meum eſſet *I.* ut quiſque Negotiator Spiritualis aliquo tempore in Diem, vel ſaltem Hebdomadam inſtituat intentionem voluntatis ſuæ, quâ DEO offerat omnia inſtantia vitæ ſuæ, omneſque Actus à ſe quocunque modo perficiendos in vita ſua, & quocunque modo ſuos. Offerat autem ità, ut proteſtetur, ſe Actus omnes illos, intendere, facere majori, & maiori

 fervore

fervore intensionèque charitatis, æstimationis, humiliationis, obedientiæ, & cujusque tandem ipsi placuerit virtutis affectu. 2. Ut singulorum dierum actiones aliquas suas, eodem modo Divinæ Majestati offerat. Deligat autem actiones ejusmodi, quæ non planè minutæ sint, sed quæ sint ex genere à nobis supra positarum. 3. Si quis consvetudinem habeat singulos in menses, aliqua in virtute sese exercere, is poterit singulis quoque diebus aliquas certas certo tempore actiones suas eodem modo DEO offerre, ex motivo illius virtutis, ità ut quævis portio actionum illarum sit perfecta, ex majore, & perfectiore gradu, affectu, motivòque virtutis illius, v. g. charitatis resignationis, liberalitatis, gratitudinis, affectûs in Christum, in Beatam Virginem, in Sanctum aliquem &c. 4. Huiusmodi Actus nec minutos nec multos esse suaserim, ut minutiis & multitudine seipsam mens non impediat, fatigando seipsam, properando, vix quidquam benè faciendo boni, ut assolet evenire incautis, in omni exercitio spirituali; non est ergò festinatè agendum, sed cum moderatione, donec assvetudine res hæc complanetur, animusque labori huic assvefiat per partes, modo alias explicatô. 5. Si quis velit hâc industriâ uti, habeat aliquam formulam istius oblationis brevem, compendiosam, & tamen multa, latitudine suâ complectentem, v. g: *Domine DEUS offero tibi hanc actionem & omnes ejus partes (tot & tot) intendendo facere majori & majori intensione amoris tui, obedientiæ, humilitatis, contemptûs mei, &c.* 6. Si quis voluerit intensionem Rationalem adjuvare etiam intensione sensibili, poterit, sed discretionem servet, nec valetudini vim faciat, alioqui præstat sensibilem omittere. 7. Potest etiam hæc industria magis practicari hoc modo, assume tibi Actum aliquem pium v. g. hunc: *DEUS meus amo te super omnia,* eum Actum (vel mente vel etiam voce) in singulis Rosarii globulis, vel etiam absque iis pro libitu repete, ità, ut unumquemque Actum majori intendas conatu dicere, seu ex majori charitate proficisci. Hac ratione Actus repetiti per singulos, majoris erunt Charitatis, imò major erunt Charitas singuli, consequenterque DEO gratiores & animæ utiliores. Quæ de hac industria allata sunt ad ejus credo commendationem, & cognoscendam praxim sufficient: servient etiam industriæ sequenti, quæ ejusdem fermè erit

rationis cum hac, ac tantùm in uno puncto forsitan variabit.)) Nempe in hoc, quòd, sicut Actus Salutaris potest crescere in perfectione, & merito, per proportionem Arithmeticam, seu per partes & gradus æquales: ità eundem posse augeri, per proportionem Geometricam seu per partes & gradus inæquales, ad placitum operantis. V. g. absolvis Coronam Beatæ Virginis sexaginta tribus salutationibus Angelicis constantem. Igitur, si secundùm proportionem Arithmeticam intenderis, ut quælibet salutatio Angelica sit alterâ perfectior, & magis meritoria gradualiter, quò altior numerus fuerit, ut v. g. tertia salutatio supra primam sit duobus gradibus in perfectione ac merito altior, quarta salutatio superet primam tribus gradibus, quinta superet primam quatuor gradibus, & sic consequenter, 63. salutatio superet primam salutationem 62. gradibus, erit proportio Arithmetica, & tot sortietur gradus dignitatis & meriti illa Corona. Ità etiam, si intenderis ut secunda salutatio, in excellentia & merito superet primam 10. gradibus, 3. gradibus 100. 4. gradibus 1000. 5. salutatio gradibus 10000. 6. salutatio gradibus 100000. 7. salutatio uno millione graduum, 8. decem millionibus graduum, 9. centum millionibus graduum, 10. uno mille millionum graduum, 11. salutatio 10000. millionum graduum salutationum; & ità consequenter per multiplicationem: Erit hæc intensio juxta proportionem Geometricam: adeoque an non est ita operari in intensione penè Seraphica? *Hæc ex P. Druzbicki.*

V. Pat. Druzbicki Negot: spirit industr. 9.

§ IX.

INdustria prima & potissima proficiendi in augmento perfectionis & meriti Actûs salutaris, est, quatenus mens nostra sensum & notitiam actuum, affectuum, verborum, veram, formalem, vivacèmque habeat tunc, quando illos exercet: sine tamen nimia morositate immorandum, sed pro ratione circumstantiarum festinandum, at non festinatione assvetæ mentis ignavè & negligenter agere, verùm festinatione concalescentis cordis, & excedentis DEO mentis, quæ si festinat in orando, afficiendo, proponendo, festinat ideo, quia plena est, festinat quia plenè, ignitè ea quæ festinatè agit, penetrat; Alias festinatio illa vecors & properantia distracta in orationibus, aliisque exercitiis spiritualibus, quamuis

V. Druzbicki negotiat: spir: Indust: 28.

vis ſublimisſimis, vix aliquem fructum ſpiritualem permittet, nè dicam pœnas negligentiæ adaugeat. *Hæc ex P. Druzbicki.*

§ X.

PRoficit Actus ſalutaris in pretium & meritum per irritationem & applicationem ſenſuum, vel imaginationis, vel rationis ad ardua objecta. Quandoquidem ut P. *Druzbicki* ait: Inter alias rationes, quas ad exaggerationem excelentiàmque Meriti ac valoris in operibus, pasſionibusque humanis, tam homines, quàm etiam ipſe DEUS attendere aſſolet, eſt etiam difficultas objecti, & operationis, ſive pasſionis; quantò enim aliquid eſt difficilius actu, aut perpeſſu, tantò præſtantius cenſetur, ſi vel fiat, vel toleretur: in talibus enim actibus & pasſionibus elucet firmitas, conſtantiaque voluntatis in bono, & adhæſio ad DEUM ejusque voluntatem, legem, ac placitum, quæ in facilioribus non ità apparet. Apparet etiam in talibus, conatus voluntatis ingens, & pugna atque lucta pro bono, pro honeſto, pro virtute, pro DEO ejusque Gloria, contra ſenſum, contra naturam, contra timorem humanum, contra amorem proprii honoris, vitæ, & aliarum rerum amabilium & pretioſarum mortalibus. Eam ob rem DEUS, ut eſt in ſcriptura Sanctis ſuis dat certamen forte ut vincant: Delicatos ſuos, facit ambulare per vias difficiles, ut virtus in infirmitate perficiatur.

Ibidem Indu: 26.

Ob hanc cauſam virorum ſpiritualium ſolidè, & ſtrenuè proficientium, eſt conſvetudo atque induſtria laudabilis, & imitatione digna, ut Actionibus, & Pasſionibus ſuis, quærant Objecta difficilia, & ardua; ipſaque ſi non ſint, illi ipſi ſibi faciant talia, idque vel augendo eorum difficultatem, vel proponendo ea exactè ſenſui, imaginationi, intellectui, vel exaggerando illa, vel ſemetipſos irritando, ſenſusque ſuos, & affectus provocando objective, & tamen frænando, rationibus & lumine ſidei.

Præſens ergo Induſtria docet poſſe Spirituales Negotiatores, magnum ſibi parare lucrum, irritatione ſenſuum, & affectuum ſuorum per objecta propoſita exactè, & tandem eorundem ſtrenuâ compresſione & victoriâ. V. g: Si quid ab aliquo curioſi, novi, elegantis Domum afferatur, & ſpectandum proponatur: ſi quæ Perſona Illuſtris pertranſeat, ſi quod ſpectaculum hominibus

nibus gratum & novum exhibeatur, poteſt ſpiritualis vir, & proficiendi ſtrenuè cupidus, ſuum Appetitum & Curioſitatem irritare, laude, novitate, elegantia, illius rei, illius perſonæ, illius ſpectaculi. Poteſt deſperatione futuræ, occaſione ſimilis, & poteſt utilitate, & ſpe experientiæ, & notitiæ rerum, perſonarum; &c: & tamen poſt hæc omnia, poteſt ſibi imperare abſtinentiam aſpectus illius rei, ob purum Amorem DEI, ob odium & victoriam ſui, ob honorem Sancti, &c. Quæ victoria & abſtinentia ſic exaggerata, & irritatione ſenſuum cupiditatisque aucta, longè erit amplior, Deoque gratior, & ad merendum efficacior, quàm ſi abſolutè facta fuiſſet, ſine hac exaggeratione.

Similis irritatio eſſe poteſt, quando aliquid agendum eſt contemptibile confuſivum apud alios, derogativum honori, & reputationi. Tunc enim utile eſt, amanti ſui ipſius victoriam, ut Objectum illud ſibi ipſe exaggeret, proponat ſermones hominum, judicia, nutus, notationes, inſultationes æmulorum, ruborem ſuum & confuſionem faciei, compasſiones aliquorum, inquiſitionem aliorum de cauſa, &c. & his, aliis ſimilibusque propoſitis, ſeſe irritet, vincat, conculcet, Amore DEI, atque Odio ſui; talis enim vincendi ratio, non tantum ad magnitudinem meriti, ſed etiam plenitudinem Victoriæ, & pacificum de Amore ſui triumphum, valet quàm plurimùm.

Hujus irritationis per ejusmodi propoſitionem & exaggerationem, atque applicationem, habemus exemplum, in Chriſto Domino, qui totâ vitâ ſuâ, propoſitam habuit ſibi, omnem ſeriem pasſionis ſuæ. Cujus propoſitionis effectum in horto agoniſans, & ſangvinem ſudans, ſemel oſtendit, & deinceps ab illa hora usque ad mortem retinuit, cùm alioquin, nullo negotio, animum à ſenſu dolorum, & pasſionum omnium avertere, atque alienare potuiſſet.

Tali imitatione S. Alexius, S. Joannes Calibita vicit & triumphavit amorem Parentum. Tali irritatione Beatus Jacob bonus, gulam ſuam, bubulæ contemplatione irritans, ad cujus eſum à dæmone tentabatur, vicit. Id tamen monuerim, ut hanc induſtriam, non facilè Tyrones & adhuc vivos affectus habentes adhibeant; talibus enim conſultiùs eſt, non colludere cum hoſte, neque in-

firmas suas vires spirituales, validis sensualitatis viribus objicere. Industria ergo hæc benè proficientium, & perfectorum, aut propè perfectorum erit. Tyronibus non facilè, nisi de consilio Patrum spiritualium, quibus eorum dispositio interior nota sit, permiserim, ac svaserim. Tyrones enim ad sui Victoriam, potiùs propositione facilitatum, quàm exaggeratione difficultatum, inducendi sunt; talibus enim, lac dandum, non solidus cibus, nec eis omnia proponenda sunt statim; cùm non possint portare, ut Christus etiam de suis Apostolis dicebat. Porrò in materia lubrica, nulli quamdiu in carne est, hujus industriæ usum probaverim. Nimis enim est verum, illud Sancti Agonizantis jam, & tamen metuentis, atque clamantis: *Adhuc igniculus vivit Mulier, paleam subtrahe.* Item alterius, de hoc genere Athletæ; *Vivere non licet, & lascivire libet?* Itaque, cum hujus generis hoste non per irritationes, sed per fugas, & subductiones, pugnandum censeo. Itemque cum aliis hostibus nostris eodem ingenio præditis, si qui fortè sunt: uti fortassis sunt, maximè, si ad particularium Personarum speciales circumstantias attendatur: quippè contingere assolet, quòd aliquis sit in reliquis strenuus, solidus, robustus, & securus, in uno autem aliquo objecto, vel affectu, sit valde infirmus & labilis, & ideò, ab ejus occasione submovendus. *Hæc P. Druzbicki.*

§ XI.

Negot: spirit: Indu: 24.

QUantum augmentum perfectionis & meriti Actus salutaris sortiatur factus semel pro semper docet *P. Druzbicki*, dum inquit: Est mos inter homines, ut dum aliquid vel docent, vel explicant, vel petunt, vel promittunt, vel imperant, adiiciant, se id facere, docere, petere, semel pro semper: quo loquendi modo cùm alia intendunt, tum perseverantiam suam, in eo quod faciunt, dicunt, docent, rogant, imperant, monent. Ex quo intelligi datur Voluntatem nostram hoc quoque habere in natura sua reconditum, quòd possit unum aliquid aliquando velle unico Actu eòque brevi, & tamen pro omni tempore serrituro, quantumcunque entitas Actûs illius cessaverit pridem. Ità ut Voluntas non solùm ad plura Actuum suorum obiecta, sed etiam ad plura Actuum tempora (quibus Actus illos exercere, aut pati debeat

debeat, vel posſit) posſit ſe extendere. Ex quo fundamento illud Juris pronuntiatum natum videtur; quod ſemel placuit, ſemper placere debet. Per quod irrevocabilis conſtantia Voluntatis declaratur. In hac Voluntatis noſtræ proprietate, fundatur hæc præſens Induſtria, quæ ſvadet, ut Viri ſpirituales & meritorum Avari, quod ſemel faciunt,& amant boni, ſic faciant & ament, ut pro ſemper ament & pro ſemper faciant; ſicut & pro ſemper ſemel oderint malum: Certè eſt apud Theologos doctrina, quòd Intentio Habitualis ſufficiat ad bonitatem Actionum moralem conciliandam, & ſi Actualis aut Virtualis deſit, modò Habitualis illa non ſit aliquo Actu oppoſito explicito retractata. Igitur & præſens Induſtria rectè ſuadebit, ſi ſvadebit, ut quis quod facit boni faciat ſemel pro ſemper; per hoc enim propoſitum, non tantùm Actum bonum inſe eliciet, ſed etiam Voluntatem ſuam extendet, ad omne ſequens tempus, ejusque momenta; & præterea hoc propoſito, oſtendet ſe jam pro omni tempore ſequenti, idipſum facere non tantùm velle, ſed etiam Actu facere. Inſuper oſtendet hoc propoſito ſe firmam & conſtantem Voluntatem habere, & habiturum eſſe omni reliquo tempore in bono. Quod totum neque absque merito Voluntatis, neque absque dignificatione ac multiplicatione bonorum operum, neque abſque obfirmatione Voluntatis in bono, eſſe coram DEO poteſt, ac proinde, non abſque ingenti commodo operantis: quod commodum quotidie in omni Actu ſuo bono, poteſt homo Spiritualis lucrari tribus verbulis, ſolâ cogitatione conceptis *ſemel pro ſemper*; Itaque ſi quid agat boni, ſi quid perferat, ſi quid patiatur adverſi, ſi quem Actum eliciat virtutis, profiteatur DEO, ſe ità hoc facere aut pati nunc, ut paratus ſit agere patique ſemper, imò agere nunc, patique pro ſemper.

Poteſt ejus doctrinæ valor confirmari, veritaſque illuſtrari ex eo, quòd in perfectione Chriſtiana ſint quædam virtutes, quas habitualiter ſemper opus eſt in homine eſſe, etſi actualiter non item. Habitualiter autem eſſe in adultis virtutem aliquam, eſt meo judicio, non tantùm habere ejus habitum infuſum in Baptiſmo, vel in Sacramento aliquo, primam gratiam sanctifican-

tem conferente, ſed etiam habere habitum poſt Actum vel Actus relictum. Quos Actus non eſt opus continuâri, aut repeti, & tamen opus eſt habitualiter durare, ſeu habitus eorum eſſe. Quod ſi rectè attendimus eſt aliud nihil quam Actus illos ſemel pro ſemper elicitos eſſe ac exiſtere. Idque non eſt neceſſarium in omnibus virtutibus, virtutumque Actibus, quorum habitus infuſos habere poſſumus, poſſumus tamen Actus earum nunquam elicere, etiam per totam vitam ſine Salutis damno, aut ſi aliquando elicuimus, non eſt neceſſe, nos in eis perſeverare, nec illos in nobis habitualitèr durare ſi fieri poteſt dummodo Actꝰ eis contrarios nõ eliciamus: cujus contrarium eſt in aliquibus aliis virtutibus, quarum Actus elici à nobis debent, de neceſsitate Salutis (quando adulti ſumus) & in elicitis ſemper manere debemus, non actualiter (quia id nequit fieri in hac vita) ſed ſaltem habitualiter nunquam eos retractando, nunquam contrarios eis, aut impoſsibiles eliciendo, v. g. Actus fidei, ſpei, charitatis, ità à nobis debet elici aliquando, ut ſemel pro ſemper elicitus ſit, nunquam enim talis Actus retractari, nunquam ejus habitus amitti debet; Similitèr recta Actualis intentio, ſemper debet eſſe in nobis & durare non Actu (quia nobis impoſſibile eſt in hac vita) ſed habitu, hoc eſt, debet ſemel pro ſemper elici, nunquam retractari, quæ intentionis duratio in habitu, ſatis erit ad Actus, ad illam ſpectantes afficiendos. Vel enim intentio durat vel non durat habitu? Si durat operatur ergo, id eſt afficit Actus ſubjectos, & in ſua latitudine comprehenſos. Si non durat? ergo eſt retractata contra ſuppoſitionem, per intentionem oppoſitam malam, & durat mala: extra bonam enim & malam habitualiter intentionem, non videtur poſſe eſſe homo; niſi dicamus, poſſe dari indifferentes Actus individuè, qui nec boni, nec mali, nec otioſi ſint, quod an ſtare cum veritate poſſit? viderint alii; hujus loci non eſt diſputare. Durat ergo habitualiter: quod ſi durat, debet effectum facere qui eſt, Actus ſibi ſubordinatos afficere & ſua bonitate fermentare. Ex quo ſequitur non improbabiliter docere, intentionem Habitualem ſufficere ad operum bonitatem, de quo tamen Ego non contendo interim, quin imò libenter fateor Virtualem atque Actualem intentionem eſſe longè meliorem. Interim

rim meo proposito sufficit docere, quôd semel pro semper facere aut proponere aliquid boni, sit laudabile, possibile, necessarium, meritorium, insuperque compendiosum & facile. Hujus industriæ locus & usus esse potest quidem in omni bono Actu, præcipuè tamen potest esse in illis Actibus, qui sunt vel saluti nostræ, substantiales, vel perfectioni nostræ necessarii omnino ex vi status, vel heroici, & coram DEO insignes, ut sunt charitas, fides, vota Religiosa, intentio recta, resignatio, amor inimicorum, studium proficiendi, condonatio injuriarum, dolor pro peccatis. &c. Potest etiam hujus industriæ usus esse amplior, nempe in omnibus actionibus, passionibusqne bonis, possumus namque quantumlibet usitatissimas, atque imperatas, & omnino inevitabiles actiones ac passiones intendere, facere, ac pati, ad Gloriam, Gustumque, v. g. Divinæ Majestatis ac Voluntatis, ad imitationem JESU Christi passi, ad Honorem hujus vel illius Sancti, ad impetrationem hujus vel illius Doni, ad expiationem pœnæ hujus vel alterius vitæ, pro hoc vel illo, peccato nostro aut alieno, semèl pro semper, nisi alia expressa, vel intentio, vel retractatio accedat. Insuper ejusdem Industriæ usus, potest esse talis, ut quis faciat semel pro hora tota, pro die toto, pro mense toto; Certè enim qui manè surgens omnia sua dicta, facta, totius sequentis diei, honori Divino consecrat, nemo reprehendit. At quod iste facit tali consecratione, sat plerumque brevi, hoc nempe Actu consecrationis facta, cogitata, &c. quod aliud est nihil quàm consecratione unum Actum semel pro toto die facere, & extendere illum ad omnia dicta, facta, cogitata, acsi singillatim, novus & novus Actus consecrationis ab eo eliceretur. Nulli ergo mirum videatur ac insolens, suaderi hoc à me, vel ab aliquo fieri, quod alioqui omnes vel faciunt, vel facere deberent, sub aliâ formâ confusiore, ac implicita fortasse etiam incognita, & vi, efficaciaque ejus ignorara. *Hæc P. Druzbicki.*

§ XII.

REdditur Actus salutaris perfectior magisque meritorius, 1. si agatur id in *Puncto Temporis*, quod agendum est ex obedientia vel sponte, vel aliâ quâvis causâ, quia est hoc tum signum tum exercitium dominii super se, mortificationisque affectuum, etiam in

V. P. Druzbic: Negot: spirit: Indust: 29.

in rebus non illicitis, quæ est rara virtus. 2. Si agatur *Anticipate*: hoc est, etiam non exspectato tempore præscripto, vel sponte designato, nisi aliquid obstet, cuius sit ratio habenda. Quia anticipatio illa fervorem & alacritatem cordis designat in servo DEI. *Hilarem autem datorem diligit DEUS: & solutio anticipata gratissima est.* 3. Si agatur cum *prolongatione & protractione temporis*, quod agendum est, ità ut non tantùm in puncto designati temporis cesset ur (nisi aliud obedientia vel discretio jubeat) sed etiam ut paululum producatur, ut sit opus supererogatorium. Est enim hæc agendi ratio signum fervoris, fidei, charitatis, obedientiæ, infatigabilis animi, insatiati obsequio DEI cordis, perseverantis. 4. Si agatur aliquid cum *aliqua mora & dilatione*; *ac repugnantia aliqua*, quod locum habet in delectabilibus objectis, in patientibus commendationem, laudèmque in iis ad quæ inocdinatiùs nos propendere sentimus. Ejusmodi tamen mora ne sit affectata, fastidiosa, tum ut fiat salvâ obedientiâ, charitate fraternâ, exemplo bono, vitàque communi. 5. Si agatur *cum abbreviatione tum temporis tum actionis ipsius*, Hæc agendi ratio locum habet in proximè allatis, quæ sunt ægrè ad finem & quidem quamprimùm (salvis salvandis puta, obedientiâ, charitate, indemnitate) deducenda. In talibus, dum aguntur, gustus est subtrahendus, voluptas vel complacentia, vel impedienda, vel retundenda ac diminuenda, vel perpetienda tantùm, & quamprimum excutienda. Iuxta illam, S. Augustini in cibis sumendis (& eadem servari debet in reliquis delectabilibus) regulam, ait ille ad DEUM. *Hoc me docuisti, ut alimenta, tanquam medicamenta sumpturus accedam.* Hinc illa tædia Sanctorum super cibos, super officia honorata & prælationes; hinc fuga ab officiis, gestis; hinc fuga in loca ignota, si quando in suis inclaruissent, quàm vellent, &c. Fundamentum autem hujus totius in his quinque modis agendi, traditæ doctrinæ, est illud, quod alicubi S. Gregorius observat, docet ille, obedientiam aliquando habere debere aliquid de suo, hoc est de obedientis appetitu & inclinatione, aliquando nihil omninò; si obedienti imperentur vilificantia ipsum, molesta, ardua, laboriosa, ad hæc advolare, festinare, in his hærere, & morari spontè, & libentèr debet, hæc etiam ambire ex odio sui; & studio contemnendi affligendique sui potest, imò debet. At verò si obedienti imperentur delectabilia

ctabilia, ſpecioſa, grata, ab his fugere, ad hæc ægrè, cum repugnantia (ſubiectâ tàmen cui ſubiicienda eſt) debet in his affici tædio, his liberari cupere debet, & pro ſuo poſſe curare, & cum poteſt licitè excutere ac effugere. Fundamentum huius ipſius eſt, quia quæ ſunt moleſta, & vilia, ab amore proprio plerumque fugiuntur, ergo ſtrenuus pugil, ut amori proprio ægrè faciat, utque ſe ipſum vincat, ad ea feſtinat, eàque ambit, quæ ſenſui, honori, & voluntati, judicio, famæ, vitæ commodis, proprioque amori ſunt inimica, ſic enim ab amore proprio fit remotisſimus, & conſequentèr tutisſimus, Chriſtòque ſimillimus. Econtrà quæ ſunt nobilia, grata, honorifica, placida, hæc amorem proprium pelliciunt & irritant, ad hæc ille feſtinat, hæc amat. Strenuus ergo bellator, ut hìc quoque amori proprio Offam cupitam ſubtrahat, ab his penitùs refugit & repugnat, & niſi cogatur vel naturæ, vel obediendi vel charitatis neceſſitate, illa nè quidē attingit, & in his coactus ac gemēs hæret, hæc quandocunq; poteſt licitè excutit, ut à periculo ſeruiendi amori proprio, remotisſim9 ſit, inde eſt quòd ad ea quæ vel ſunt inimica proprio amori, vel nihil eicommodi afferunt, vir ſpiritualis & ſpontè & anticipatò & libenter vadit, in iiſque moras trahit, tanquam in ſuæ ſecuritatis Regno; ad ea verò quæ ſunt amori in deliciis non niſi tardè & cum mora, atque oſcitanter ac gemens vadit: ab his verò tanquam ex laqueis & retibus diabolicis libentisſimus evadit.

Quod autem dixi proximè de obedientia ex S. Gregorio, hoc ipſum dico de omni opere, quodcunque viro ſpirituali agendum eſt, vel ingratum ſenſui, amorique, vel gratum eidem; in illo enim multum de ſuo, in iſto autem nihil de ſuo conatu, affectuque debet habere; ad illud anticipare, vel in puncto ſcilicet temporis advolare, & tardè ab eo abire debet, ad iſtud ægrè pertrahi, ægrèque illud ſuſtinere, & denique, cum primum commodè, id eſt, licitè poteſt, excutere. *Hæc ex P. Druzbicki.*

§ XIII.

AUgetur valor ac pretium Actûs ſalutaris ex Voto facti. Verùm nè quis exinde loco profectus ſpiritualis, pericula, ſcrupulos, ſcopuloſque conſcientiæ incurrat; quomodo id in praxi ſervandum *Pater Druzbicki* docet: Ut hæc Vota non ſeſe extendant, neque *Negotiat: ſpir: Induſtria* 17.

que fiant in ordine ad opera non posita in nostra potestate; neq; ad opera diu & crebro à nobis factitanda; neque ad opera tardè post futura à nobis; neque ad opera, in quibus potest subesse periculum alicui, votum irritandi, sed ad opera obvia, quotidiana, & nullius irritationis voti periculo exposita. Ita v. g. si dicturus sum orationem Dominicam, horas canonicas, sacrum Missæ officium, Coronam; si sumpturus Evcharistiam, si facturus mortificationem corporis, Actum aliquem Virtutis, facturus autem sim ita, ut sim accinctus jam ad faciendum, possum talibus præmittere Votum, & statuere atque facere illa ex Voto. Ex Voto inquam tali, quod se extendat tantum ad præsentem Actum non ultra: & quod intantum me obliget adfaciendum, inquantum est in mea potestate facere Quodsi adveniat aliunde impedimentum factionis, hoc ipso cesset Votum. Atque hac ratione Votum si usurpetur in nostris operibus, nihil periculi afferet, plurimum lucri, & pietatis augebit animabus. Quod enim periculum sit animæ, si jam ad Sacrum procedens dicendum, concipio Votum faciendi illud, vel faciendi in hunc illúmve finem gloriæ DEI, &c. Item si dicturus Ave MARIA voveam me dicturum illud; vel dicturum in honorem Virginis MARIÆ. Quod si ità quidpiam inopinatè interveniat, ut interpellet me in ejus recitatione hoc ipso ex intentione mea Voti reus non sum, &c. Igitur si quis attendat ad hoc quod dictum est, in hac industria, tam multum potest esse utilitatis, quam nihil omnino periculi. *Hæc P. Druzbicki.*

§ XIV.

PErfectissima redduntur opera si ea per modum Sacrificii fiant. Sed hic quæritur quid sit & quomodo perfici possit hæc oblatio & sacrificatio nostri in operibus. Qua de re nihil brevius, nihil verius cum *Patre Druzbicki* dicere possum quàm hoc. Id negotium solius amoris sive charitatis esse, ipsa est ènim quæ nos Sacerdotes, quæ Altaria, quæ Hostias, quæ immolationem ipsam & immolari facit. Ipsa est enim, quæ & DEUM dignificat super omnia & nos annihilat propter DEUM, & coram DEO, & in DEO perdendo nos, & mori quodammodo morte spirituali, nobis scilicet ipsis, & amori nostro proprio, faciendo (quæ duo ad rationem Sacrificii requiruntur, ut nempe res aliqua crea-

Negotiat: Spirit: indust: 19.

ata

ata, perdatur, in honorem DEI, tanquam ſupremi *Principis*) Charitas ergo nos ſacrificat, Charitas immolat, ſed Charitas illa, quæ hoc eſt re, quod præſtat nomine, Charitas perfecta, Charitas, quâ nemo ſibi vivit, ſed vivit DEO. Cùm igitur quæritur, quid ſit in operibus noſtris Sacrificium fieri? Reſpondeo: Opera ex amore, cum amore, propter amorem DEI unius & ſolius, ſine ullo amore noſtri, ſine ullo commodo noſtro, quatenus noſtrum eſt: Hac enim ratione operandi, fit ut anima, vel potiùs totus homo perdat ſe, moriaturque ſibi, & moriatur in honorem & cultum exaltationemque DEI.

Hoc igitur ſvadeo viris ſpiritualibus omnibus, ut in omni opere ſuo, amorem, imò puritatem amoris ſectentur, Deoque ſeſe Charitate immolent, & quidquid tandem, ſive agunt, ſive patiuntur, id totum faciant, ut illi quidem annihilentur, DEUS verò glorificetur; illi pereant, DEUS ſit; ſibi pereant, DEO ſint & exiſtant & vivant. Itaque hoc ſpeciatim advertant in ſua Charitate, ut ſit ſacrificativa, requiri nempe, ut ſit ab omni humano (quà humanum eſt) commodo ſpirituali, ac temporali defæcata ac depurata, & quàm longisſimè ſemota, unique ſoli placere DEO cupiat, in opere, idque quàm maximè, idque quia DEUS dignus eſt, & debentur ei omnia, & ipſi placet ſuper omnia, & homini debetur nihil aliud præter ſolum nihil. Hoc totum negotium eleganter & ſolidè uti ſolet, comprehendit Thomas de Kempis, quodam in loco ſic ſcribens. lib. 3. cap: 37. de imitatione Chriſti: Fili, quomodo poteris eſſe meus, & ego tuus, niſi fueris ab omni propria voluntate intus & foris ſpoliatus? quantò celeriùs hoc agis, tantò meliùs habebis, quantò pleniùs & ſinceriùs, tantò mihi plùs placebis, & ampliùs lucraberis. Quidam ſe reſignant, ſed cum aliqua exceptione, non enim plenè DEO confidunt, ideo ſibi providere ſatagunt. Quidam etiam primò totum offerunt, ſed poſtea tentatione pulſati, ad propria redeunt, ideo minimè in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem & jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, niſi integrà reſignatione, & quotidianâ ſui immolatione prius factâ, ſine qua non ſtat, neque unio fruitiva. *Hæc ex P. Druzbicki.*

§ XV.

MAjor vel minor perfectio ac meritum Actus salutaris habetur *Imo* Ex objecto & fine nobiliori, seu meliori, vel minùs nobili: Unde virtutes Theologicæ summè præcellunt morales: quia illæ objectum habent increatum, hæ creatum. *2dò* Ex objecto magis vel minus arduo & difficili: sic præstantior Virtus fortitudinis superativa maximi boni in præsenti tempore, quod est Vita, alliciens ad sui conservationem, & superativa maximi mali, quod est omnium terribilium terribilissimum Mors: quàm temperantia, quæ superat minus bonum corporale. 3. Ex subiecto magis vel minùs excellenti, quod virtus perficit: & ità clarior virtus Justitiæ subjectata in Voluntate, illamque perficiens, quàm virtutes Fortitudinis & Temperantiæ manentes in appetitu sensitivo, & illum rectè disponentes. 4. Ex subiecti ad objectum renitentia superata, tum ex conatu promptiori. Sed de his audi *Negot: spirit: Indust: 10.* P. *Druzbicki* svadentem Actiones ad excellentiam Heroicam deducendas, potiusque tales paucas, quàm multas remissas fieri. Igitur inquit ille, est singularis crescendi industria in meritis, aliosque Thesauros comparandi, paucas aliquas Actiones elicere, sed eximiè & heroicè & in gradu excellenti intenso, defæcato à propriis commodis & laudibus. Præstat enim facere pauca potius, at ingenti conatu & fervore Charitatis & æstimationis DEI, quàm multa tumultuariè indeliberatè, festinè, præcipitanter, hoc solum ut expediatur attendendo & curando. Quo sensu præstat unam Orationem Dominicam recitare devotè, attentè, intensè, ardenterque, quàm totum decurrere Rosarium cursim, festinatè, lingvâ mentem præcurrente, &c. Hoc etiam sensu (licet in alia materia) præstat alicujus veritatis & assertionis rationem solidam, certis & indubitatis nixam principiis afferre, atque confirmare, quàm conglobare multas, nullam verò solidam. Hoc sensu dicitur vulgò quòd unus Actus intensus faciat pro mille tepidis: Facit revera, nam & plùs meretur, plùs impetrat, plùs satisfacit, plùs habitûs producit, plùs diaboli, sensualitatis, voluntatis propriæ, propriæ repugnantiæ, conatûs infringit, plùs tentationes omnes prosternit, plùs diabolo de victoria ex homine consequenda, desperationis injicit, plùs virium, plùs facilitatis, plùs animi, &

resolutionis & præparationis in futurum homini parturit, unus Actus strenuus & heroicus quàm mille remissi & frigidi. Semel S. Franciscus leprosum pauperem abhorrens, sese ad ejus osculum & complexum demisit heroico conatu, & imposterum sibi similem nauseam abstersit. Semel Catharina Senensis, semel Franciscus Xaverius purulentum ulcus, saniemque ejus corruptam triumphante ore ac linguâ suxit, & ab omni se imposterum nauseante molestia liberavit; quod non fecisset mille remissis circa hoc Actiunculis. Semel Thomas Aquinas lupam à se strenuo conatu & ausu abegit, & deinceps eam pacem à luxuria consecutus est, ministerio Angelico, quam plerique plurimorum annorum laboribus sudoribusque non assequvuntur: nimirum verum est; quòd unus Actus intensus pro mille remissis faciat. Essent hujus rei rationes de longè petendæ, sed hìc talium locus non est. Satis sit experientia tam ista Sanctorum adducta jam, quàm quotidiana eorum, qui id experiuntur semper, sive in tentationibus à carne, sive in conculcando proprio honore, sive in condonandis injuriis, sive in similibus occasionibus, in quibus una strenua victoria sui, æternam quandoque pacem adfert victori, maximè verò id quod asseritur hìc, probabit experientia cujusque, si volet eam cognoscere. Et quis nolit, unius momenti labore mercari æternam victoriam, perpetuamque ab hoste pacem, cum aliis recensitis commodis? Sed quæret aliquis ex me rationem strenuorum istorum, & heroicorum Actuum exercendorum. Ad quod quàm brevissimè respondebo. Heroici Actus atque strenui possunt aliquando esse ex solo conatu, aliquando ex solo objecto, aliquando ex solo subjecto, aliquando ex his omnibus aut etiam pluribus causis. Si sit aliquod objectum arduum, difficile, rarum, & quod vulgò asseritur apud omnes, non esse cujusvis mentis & animi & laboris præstare, quale fuit v. g. trium militum Davidis petentium aquam ex cisterna Bethlehem per medium castrorum hostilium, arduus sanè Actus fuit, ex objecto, & objecti circumstantiis, & ideo fuit heroicus amor ille in Regem. Si sit quidem objectum non adeo sublime & excelsum, sed subjecti abhorrentia gravis ab objecto, qualis fuit in Xaverio ab elephantiaci hominis sanie, eam abhorrentiam superare, heroicum fuit. Si neque obje-

ctum sit arduum, neque abhorrentia, animi gravis, sed tamen in animo ipso & Actu ejus sit conatus, sit ardor, sit diligentia & cura singularis, potest & tunc Actus esse heroicus, quantumlibet ille oculis hominum videatur esse ordinarius & communis. Sic aliquando silere ea, quæ in mentem veniunt, acutè, lepidè, &c. Sic aliquando exiguum aliquem defectum, vel irrationalem suam cogitationem, quæ etiam non voluntariè obrepsit, publicè coram Fratribus fateri; Sic aliquando flosculum non decerpere & naribus non admovere; Sic aliquando cupitum gulæ bolum, vel poculum negare, imò tantùm dum æstuat ejus desiderio, differre; Sic locum aliquem scopis verrere exactè, aut lances triclinii eluere, magno cum conatu devotionis, seu quod idem est Charitatis: poterit idem esse in hisce omnibus & similibus Actus heroicus: imò & in ipsis Actibus, purè internis & in nullum Actum externum prodeuntibus. Si verò prædicta omnia ad Actum, quomodo ad obedientiam Abrahæ concurrerunt universa: nam & objectum eximium, & animi lucta ingens, & conatus devotionis, & omnes aliæ circumstantiæ exaggeratæ, ad facinus illius Patriarchale accesserunt, ideo heroicum fuit, & tanti à DEO quanti notum est, æstimatum.

Praxis industriæ præsentis poterit esse pro varietate occasionum & animorum, varia, ac inter alias hæc V. g. assumat homo spiritualis actionem suam aliquam v. g. orationem horariam, Sacrum, horas canonicas, laborem culinæ, laborem docendi in schola vel discendi, & eam Actionem, circumspiciat undique ita, ut perspectos habeat defectus, qui ibi intervenire illi solent, perfectiones quas ibi adhibere posset (omittere autem forsan solet) quâ intentionis puritate, quâ sui humiliatione, quâ effusione sui totius in DEUM, in proximique Charitatem, propter DEUM, quâ constantiâ animi, quâ DEI præsentis reverentiâ, quibus affectibus cordis, &c. effecturus sit illam orationem horariam, vel aliud quodvis opus, & hæc omnia actu ingenti resoluto, parato etiam ad graviora & grandiora adhibenda, vel superanda, affectu facere primùm proponat, deinde re ipsâ facere aggrediatur, pergat, & ad finem peragat, ubi peregerit totam totalitèr DEO subdat, & solum sibi faciei confusionem reservet. Sic, qui oraverit

per

per horam, docuerit vel ſtuduerit, vel quidvis aliud egerit, omnibus licet commune, dico orationem, doctrinam, ſtudium, omnem eius actum illum, ſic factum heroicum fore. Utinam ſic vel unam in die actionem agamus (agere ſanè omne opus deberemus) & per ſingulas Actiones agere ſenſim conſveſcamus, ſanè longè plures in religioſis domibus, in cœtibus perfectionem profitentium, re ipsâ perfecti eſſemus. Ex hoc fonte profluxit, illud documentum, quod plùs habet in receſſu, quàm in exteriore ſenſu præferre videtur.

Conſimili ratione Vir ſtudioſus profectûs ſui, eligat aliquam Virtutem, eiuſque formalem Actum ex electione, deliberatè advertentèr eliciat, & eliciat in eo gradu, qui eſt in illius Virtutis ſpecie, vel ex animi diſpoſitione difficilis & ob habitum & uſum, attamen ſublimis & perfectus: & eliciat ſive tantùm interni animi ſingulari conatu, ſive inſuper externo etiam aliquo qui ſit imperatus abillo interiore, eliciat inquam illum, eſto circa obiectum non arduum, eſto abſque repugnantia, imò cum delectatione animi, eliciat tantùm ex propoſito deliberatè, ex pura placendi DEO intentione, eliciat perfectè & defœcatè, ſine intuitu ſui ipſius ullo, etiam hic Actus erit heroicus, erit ſtrenuus, & pro mille remisſis (certè pro multis) faciet. Quod ſi etiam ad Actum acceſſerit obiecti aliqua raritas & cum raritate difficultas, & averſio inferioris hominis, & ſolitudo cordis, & nuditas ſpei concupiſcentis, gratuita ſola Charitas DEI, ingens accedit cumulus tum perfectionis, tum dignitatis valoriſque Actui. Eſtque hæc ſingularis ratio proficiendi in Virtutum ſoliditate & perfectione, ſi præſertim tales Actus, fiant frequentiùs in diem, ejusdem Virtutis: Si per aliquod longiuſculum tempus exercitatio duret, puta unius, vel alterius menſis; deníque ſi accedat occaſionum, vel ſpontè ſe offerentium commoditas, vel ſi ſe ſponte non offerant, quæſitio, aut certè ſaltem imaginaria & conditionata. Ut ſi quis ſibi imaginetur gravem aliquam (reſpectu ſui) occaſionem & materiam contemptûs & eam ſibi veluti præſentem, in circumſtantiis aggravantibus proponat, loci, temporis, perſonarum, modi &c. & ad illum contemptum ſeſe odio ſui, & ſtudio confundendi ſeſe, ex debito ſibi cognito contemptûs, & æſti-

matione DEI, ob quem contemni exaltari eſt, adeò ut hoc omnem hominis indignisſimi ſtatum ſuperet, ex Chriſti Domini quàm proxima imitatione &c.: ſeſe reſolvat puro DEI gloriæ, ardentisſimoque intuitu, erit actus iſte heroicus. Atque hujuſmodi Actus, ſi fuerit aliquoties in diem per unum merſem, ingenerabit in hominis animo contemnendi ſui, humiliandi habitum excellentem, magnamque ad contemptus devorandos inducet promptitudinem, adeo ut etiam plus poſtmodum periculi ſit futurum, ex ambitioſa cupiditate contemptuum quàm ex fuga illorum: & quod in una hac Virtute dixi, idem poteſt fieri in omni alia, militantibus quoque aliis induſtriis.

Alias hujus induſtriæ praxes prudentia, experientia, & inprimis Unctio Spiritûs Sancti docebit, haſce duas vel tres attuliſſe ſuffecerit. Sub finem monuerim ad rectum ejus induſtriæ uſum conferre plurimùm. *1.* Si quis omnium aut ſaltem potisſimarum Virtutum naturas, ſpecies, gradus, occaſiones, actuſque formales cognoſcat. Sic enim faciliùs ex earum indole ac ingenio, actus elicere poterit, magno cum lucro, parvo cum labore. 2. Proderit etiã ſi quis ſciat perſpectaſq; habeat rationes Virtutum & Actionum, communes omnibus, ac ideo ſervituras etiam omnibus; per quas Actiones tam Virtutum, quàm aliarum occupationum, fiant puræ & DEO gratæ atque guſtabiles, modo non plebeio, nec ordinario, quas rationes ſuperiùs quidem perſtrinximus in explicatione induſtriæ. Nunc eas attingo pauculis: Ac *primùm* ſuppono hominem eſſe debere in gratia DEI, & amicum, hoc enim niſi fiat, fruſtra ſunt omnia. *Deinde* oportet eſſe Actum Humanum, hoc eſt, liberum, deliberatum, voluntarium, ex electione, tam Actûs, quàm circumſtantiarum ejus. Poſt hæc oportet eſſe Actum Supernaturalem ex motivo, fine, atque quoad fieri posſit, mediis ſupernaturalib9, ex fide notis atq; revelatis, profectnm & exercitum. Inſuper, oportet eſſe ActumSupernaturalem ut dixi & quidem ex motivo ſublimi. Sublime motivum vocatur illud, quod abſtrahit valde à creaturis omnibus: quod adſtrahit valde, ab omni creaturarum amore, guſtu, ſpe: quod abſtrahit ab ipſius operantis commodo, non tantùm ſenſibili, ſed etiam rationali, etiam ſupernaturali, niſi propter ipſum DEUM

ſit

ſit illud ipſum commodum: quod abſtrahit ab omni omnis creaturæ etiam Sanctæ guſtu, præterquam propter DEUM: quod abſtrahit ab omni libertate propria, & delectu proprio, & ſeſe in ſolius DEI nutum, & ſi quod minutius ſignum, Divini placiti poteſt eſſe, ipſo nutu, deponit, reſignat, ſepelit, demergit: quod abſtrahit ab omni cura, & inquietudine, &c. Hoc ſolemus vocare motivum ſublime, defœcatum, purum, nudum, ſolitarium, gratuitum, quod eſt ſolius Charitatis & reſignationis puræ in DEUM, quæ in merito neque meritum quærit, neque volendo mereri vult mereri, ſed meriti quæſitione guſtum DEI implere, &c. 3. Proderit noſſe, quòd non ex difficultate operandi, vel facilitate, atque ſuavitate pendeat ratio excellentiæ heroicæ in Actibus: nam ſi ſit difficultas, ex imbecillitate virtutis in animo, atq; ex parvitate conatûs ad eliciendum Actum, ex tepore Charitatis in DEUM, propter quem fiat Actus, &c. Difficultas non tantùm non facit ut ſit, ſed potiùs facit ut plurimùm, ne ſit Actus heroicus. At verò, ſi ſit difficultas ex parte quidem ſenſibili aut inferiori hominis, promptitudo autem ex parte voluntatis ſuperioris rationalis, cum aliis ſupra exquiſitis, tum difficultas hæc facit, ut ſit Actus heroicus. Cæterùm in perfectis viris, & virtutes poſſidentibus in gradibus eximiis, actus heroici eſſe poſſunt, etſi cum ſumma facilitate, ſuavitate, & hilaritate eliciantur: facilitas quippe illa fructus eſt victoriarum præteritarum, & Triumphus de adverſario homine in ſeſe victo, qui proinde promovet & facit excellentiam heroicam in Actibus; cùm hoc ipſum ſit heroicum, magnos magnarum virtutum Actus facere, non tantùm libenter, non tantùm faciliter, ſed etiam delectabiliter, atque connaturaliter: alioqui ſi hoc non eſſet, tunc non eſſent Actus virtutum exercendi, neque per eos eſſent parandi habitus intenſi virtutum, ſiquidem habitibus ex facilitate impediretur excellentia heroica, aut certè in Actibus heroica ſublimitas, nihil laudabile contineret, quod tamen contra omnem rationem eſſe conſtat. Denique ſequeretur in Chriſto Domino nullam fuiſſe heroicam virtutem, quia in eo nulla fuit difficultas, ſumma verò facilitas exercendi Actus virtutum; âtque conſtat in eo plùs quàm heroicas fuiſſe virtutes omnes. Facilitas ergo ſtat cum excellentia he-

heroica, atque illam adjuvet, ac proinde ad eam conandum est in eo exercitio virtutum assiduo, ita ut ex facilitate, heroica sublimitas, & ex heroica sublimitate facilitas exercendi, nascatur. *Hæc P. Druzbicki.*

§ X V I.

NUllus modus, nullaque industria est adeò possibiliter elevativa Actus salutaris ad tantam sublimitatem perfectionis, dignitatis ac meriti, sicut hæc sequens, quâ toto DEO seu potius Voluntate & Affectu DEI aliisque eius perfectionibus opera nostra peragere intendimus. Praxim quâ id debeat fieri, tradit *P. Druzbicki* præmissis nonnullis cautelis.

Negot: spirit: Indust: 33. Vide in simili hic §. 3.

Vna cautela est, ut in tali operatione quando in DEUM toto DEO ferimur; Ut vel sit, vel quia est DEUS id, quod est; feramur Affectu, qui DEO quatenus DEUS est, conveniat, hoc est, tali, quo DEUM in sese ferri, afficique competat, & non indignum sit. Nam v. g. dicere DEO: *Toto Te, DEUS adoro Te, humilio me, oro Te, timeo Te, doleo pro peccatis*: Parum cum Divinis Affectibus, quibus DEUM in se affici par est, congruens videtur; DEUS siquidem se ipsum non adorat, neque timet, neque orat, &c. sed hæc creaturis competunt erga DEUM, esto ista, DEUS operetur in eis, erga se in Gloriam suam & salutem nostram. Sed non competunt DEO, quà talis est erga se ipsum. Hæc porro Cautela, ut sine errore tum intelligatur, tum observetur.

Observanda est alia Cautela, totius huius industriæ rationem exponens. Advertendum ergò, hanc industriam, duo præscribere. 1. Cujus nomine & Affectu, Personâque operandum sit. 2. Quo fine, Motivoque. Quantùm ergò ad primum, præscribit industria, operandum esse homini quidem, non tam se ipso, nec suo nomine & personâ, sed Nomine, Personaque ipsius DEI, & ipsomet DEO, eapropter, qui juxta hanc industriam operatur; dicit. *Toto Te Domine JESU*, & planè acsi homo sui ipsius oblitus, vel exuens, ac transcendens, DEUM verò indutus, ipso DEO in DEUM feratur, ipsoque DEO agat, nec jam sit homo, qui agat, quique tanquam homo agat, sed tanquam DEUS ipso DEO, perque ipsum DEUM agat: ideo dicit *Toto Te, DEUS ago, amo, volo* &c: Et quantùm ad hanc primam partem: valet observatio,

prima

prima, ut quando dicimus: *Toto Te Domine*, hoc illud ago &c. Id, quod agere intendimus, sit ejusmodi, quod DEUM non dedeceat, juxta dicta in Cautela prima. Ex dedecentibus autem duplicia sunt, quædam, quæ à DEO fieri simpliciter, DEI dignitati, & Personæ, Essentiæque repugnant, eò quòd involvant imperfectionem DEO non convenientem, ut sunt illa, quæ in Cautela prima notantur; alia, quæ à DEO fieri repugnant quidem, tanquam à se solo, non repugnant tamen fieri, Affectu DEI fieri, cujusmodi sunt, tum omnia bona simpliciter, & non involventia imperfectionem, DEO simpliciter repugnantem, tum indifferentia quidem per se, Affectu tamen sublimi aliquo vel Intentione dignificabilia. Quomodo possumus dicere: *Domine DEUS, Toto Te laboro, scribo, studeo, milito, ambulo, cibum sumo &c.* Cujus dictaminis sensus est: *Domine tuo Affectu, tua Charitate, tuo Fervore, imò tuo Intellectu, Voluntate tuâ, tuâ Personâ, tuâ Entitate id operor* &c. Quantum verò ad secundum, quantum scilicet ad Finem, & Motivum quo operandum est, nihil peculiariter observandum est; nisi, quod nullum intentionis genus absolutius esse possit, tali intentione, quæ operatur propter DEUM, ut sit DEUS id, quod est, seu, quia DEUS est id, quod est, & quidem suâ ipsius gratiâ, atque propter ipsummet DEUM. Ut enim nec in ipso DEO est quidquam melius cogitabile, ipso DEO; ità etiam, nec à nobis est quidquam melius optabile, amabile, desiderabile, ipsi DEO, ipsomet DEO, propter ipsummet, proinde nulla potest intentio Divinior cogitari, quàm velle DEO DEUM, & agere aliquid DEO, propter ipsum DEUM. Quod si contigerit, utrumque hoc caput conjungi, ut scilicet agamus ipsomet DEO, propter ipsum DEUM, jam quò altiùs, & perfectiùs pergat intentio, & actio nostra nihil videtur reperiri posse; quandoquidem etiam in ipso DEO, sive ad extra, sive ad intra operante, nihil invenire possumus aliud, præter hæc duo, scilicet DEUM, seipso, propter seipsum operari, Toto se, propter se, ut sit id, quod est, & quia est id, quod est: quare nihil mirum etiam creaturas altiùs progredi in perfectione operationis, ac nè aspirare quidem posse.

Tertia Cautela est, ut hanc operandi, seu tendendi in DEUM, per ipsum, propter ipsum DEUM, rationem & modum u-

ſurpemus, pro noſtro, ut ſic loquar, ſtatu, & gradu, quem in via perfectionis & coram DEO habemus.

Nam imperfectisſimis, & necdum purgatis, à ſui amore, à ſenſuum concupiſcentia, à rebellione pasſionum, à vitiorum impotentia mentibus, vix aliquando congruet, uſurpare hunc modum operandi; necdum enim tales ſe exuerunt, imò necdum norunt, quid ſit exuere ſe, perire ſibi, & deſinere eſſe id, quod ſunt; multò ergo minùs ſcient, aut poterunt induere DEUM id, quod eſt, aut quia eſt id, quod eſt propter ipſum. Iis etiam mentibus, quæ vel parum omninò, vel non adeò multùm in virtutibus profecêre, eſto profecerint aliquid, maximè in Fidei, Spei, Charitatis, Paupertatis Spiritûs, Reſignationis, & ſimilium Excellentia: iis inquam, etiam non temerè ad eum eri, operandi modum proſiliendum, non quòd aliquando non posſint, ſed quia plus talibus utile eſt, in Exercitium Actuale crebrumque Particularium virtutum incumbere, ſeſeque in minimis vincendo, in minimis tanquam in maximis heroicè proficere, & omni virtutum genere per Exercitium ſpeciale coram DEO exornare, & per hoc puritate dignos, & Divini Eſſe capaces reddere, quàm hac manifeſtâ diſpoſitione, tumultuariè & temerariè ad hunc ſupremum modum proſiliendo, temeritatis pœnas dare, cùm illa anima, quæ cùm necdum, aut vix dum deſveviſſet paſcere hœdos ſuos, volebat ſubitò indicari ſibi, ubi Sponſus paſceret, & cubaret in meridie: cui tam meritò, quàm aſperè reſponſum eſt. *Si ignoras Te, ò Pulcherrima, egredere & abi poſt veſtigia gregum & paſce hædos tuos, juxta tabernacula paſtorum.*

Porrò, quæ multum in ſtudio virtutum omnium, Actuali Exercitio, & Heroico conatu promoverunt, his omninò ſecurè licebit, in hæc Sacra ſeſe inferre, maximè ſi etiam trahi ſpontè ex alto contigerit, & aliis ſuis ſolitis Exercitiis, hunc operandi modum primùm quidem verecundè ſuperaddere, illaque per hunc veluti condire & perficere ac conſummare; deinde etiam, faciente Animos Charitatis audaciâ, crebrò, creberrimeque uſurpare, ac planè frequentare, ut ſic Anima conſveſcat, & nihil quærere niſi DEUM, & per nihil aliud niſi per ipſum DEUM, & propter nihil aliud niſi propter DEUM, quia ſcilicet eſt DEUS id, quod eſt,

eſt, atque ut ſit DEUS id, quod eſt. Vt item conſveſcat Anima, nobilisſimo modo, ſibi & omnibus creaturis perire: non ſolum per viam Receſſûs à ſe, & ab aliis creaturis, quod quidem fundamentale eſt; verùm etiam per viam Intuitûs, & Tranſitûs, ſeu Transformationis in DEUM & in Eſſe Affectumque DEI; quod eſt, conſummata perfectio: quo ſenſu, ac modo, jam Anima revera non Ore tantùm ſed etiam Corde, atque Opere dicere poteſt in veritate: *Vivo Ego, jam non Ego, vivit verò in me Chriſtus.* Quo item ſenſu, Anima non tantùm ſibi perit, ſed etiam DEO vivit: DEO inquam non tantùm, quia propter DEUM, ſed etiam, quia per DEUM, & ipſimet DEO, imò etiam ipſomet DEO, facta unus Spiritus cum eo, vivit. Itaque incipientibus, cenſeo, ad hunc aſpirandum, proficientibus deguſtandum, multùm proficientibus frequentandum, eximiè perfectis planè eo ſolo vivendum, & omnem ſuam Vitam, omnemque Actum, & Exercitium, hoc Exercitio condiendum, fermentandum & transformandum, ut impleatur in eis, atque ab iis, illa Sancti Bernardi vox, Epiſt. ad Fratr. de Monte DEI. *Sic Affici, Deificari eſt:* & illa Dionyſii Areopagitæ optatio: *ut Deiformes efficiamur.* Hic eſt enim ſupremus modus, & Gradus Unionis cum DEO, quando ſcilicet ſpiritualiter creatura deſinens eſſe id, quod eſt moriensque ſibi, & omni ad ſeſe intuitu, plenè ac perfectè, & indeſinenter (ut in hac vita fas) DEO eſt & propter DEUM, & nihil præter DEUM, & quaſi DEUS, nihilque intuetur niſi DEUM propter DEUM, quia eſt, & ut ſit DEUS. Cujusmodi unionem vocant Contemplativi, eſſentialem ſeu cum voluntate DEI Eſſentiali, quæ ſcilicet eſt ipſa Eſſentia DEI, & DEUS.

Gal: 2.

Jam quod ad praxim attinet. Et hoc erat ex propoſitis Tertium, eam quidem meliùs Unctio, quam doctrina docebit: attamen in ſpeciem aliquos dare Actus, utile erit, ex quibus Anima, juxta menſuram ſuam, iuxtaque ſui eſſe coram DEO modum dirigi poterit.

1. Actus ſeu Praxis. *Sanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, Spiritus Sancte, unus, ſolus, ſummus, verus DEUS, Toto Te amo Te, æſtimo Te, benedico Te, concupiſco Te, dignifico Te, glorifico Te, gaudeo Tibi, laudo Te, magnifico Te, prædico Te, ſanctifico Te, volo Te, zelo Te, quia es id,*

quod es, utq; sis id, quod es propter Te. Hanc praxim juxta ordinem Alphabeticum factam, memoriæ causâ licebit, breviare cuilibet prout libuerit.

2. *Toto Te, Gloria Tibi, Patri & Filio & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc* &c.

3. *DEUS meus, Toto Te desidero, & dono Tibi Te, ut sis id, quod es.*

4. *DEUS meus, Tibi studeo, doceo, cibum sumo, deambulo, lego, dormio, colloquor, operor, taceo, confessionibus operam do, sacrum facio, emo, vendo, servio, obedio, impero, ut Tu sis id, quod es, quia Tu es id, quod es, propter Te, toto me, toto universo, Toto Te.*

5. *Toto Te, gaudeo de omnibus bonis tuis, quia es id, quod es.*

6. *DEUS meus, Toto Te, desidero exaltare, amare, laudare, magnificare Te, Toto Te.*

Acturus quidlibet usurpare potes, corde vel ore hæc verba. *Propter Te, Domine, propter Te, Toto Te, ut sis id, quod es, quia es id, quod es.* Quæ verba expedit, ut toties in corde habeat pia Anima & DEI exaltandi cupida dignè, quoties spirat, respiratque.

Atque juxta hasce Praxes, hujus industriæ, usus esse potest perpetuus, intuendo, & retinendo, quoad fieri poterit, Affectum ipsius DEI, quo ille est, erga se ipsum, propter seipsum. Quomodo affici est summum bonum, non tantùm nostrum, sed etiam Divinum.

Divinum quidem, quia nullum est majus bonum DEO, ipsomet DEO. Nostrum verò, quia etiam nullum est nostrum, & nobis majus bonum: quàm ut DEUS sit DEUS, seu sit id quod est. *Hæc P. Druzbicki.*

§. XVII.

SUblimatur ad summum perfectio meritumque Actuum salutarium, dum uniuntur Actionibus, Passionibusque Christi Domini, DEIparæ, ac per eorum manus Sanctissimæ Trinitati offeruntur; hæc *Pater Druzbicki* sic proferens: Constat satis inter fideles nihil Ecclesiam habere dignius, & pretiosius, quo vel placere, vel demereri, vel placare possit faciliùs DEUM suum, quàm IESUM Christum, Matremque ejus dignissimam. Non est opus, hoc libro à me recenseri, quantos in Christo thesauros habe-

Negot: spirit: Indust: 12.

habemus, quantam fiduciæ causam in Christi Matre; hæc tractare non est instituti præsentis, supponimus hæc aut nota aliàs lectori harum industriarum; aut certè aliunde horum notitiam petendam, hìc tantùm dicimus, docemusque singularem commendatissimam & usurpandam esse à spiritualibus mercatoribus hanc industriam, ut quidquid tandem agant, quocunque modo, & quâvis potentiâ suâ, id totum IESU Christi humanitatis concursantis actionibus, meritis, gratiæ, uniant, unitumque DEO offerant, vel certè manibus IESU Christi humanitatisque benedictum, sangvine respersum, meritis unitum, gratiâ illustratum, actionibus Theandricis sigillatum: Per easdem illas Christi manus conspectui Sanctissimæ Trinitatis præsentari petant. Huc facit illud, aliquibus & commendatum & usitatum spiritualibus hominibus, actiones nempe suas, imò & potentias & denique totos se cum corpore & anima IESU Christi vulneribus, nunc pedum, nunc manuum, nunc cordis, seu lateris immittere ac immergere, inibi se purificare tanquam immundissimos, calefacere tanquam frigidissimos, confortare tanquam debilissimos, dignificare tanquam vilissimos, se inquam, & sua omnia tam dicta, quàm cogitata, quàm potentias istorum omnium causas. Itá Sanctum Franciscum legimus, sibi solitum factitare balneum ex Christi Domini vulneribus, & in eo quotidie, teste S. Bonaventurâ animam suam lavare, in quo S. Virum imitari, nescio quid nos prohibeat? Cùm Christus sit melior Iordanis, nos verò magis leprosi, quàm Naaman; cùm Christus sit Petra foraminata, in qua nos simplices columbas ab ungvibus infernalis Herodii, abscondi saluberrimum est. Huic etiam vicina est illa consvetudo S. Virginis Gertrudis linguam suam locuturam, immergere solitæ in Christi sangvine, quòd ne à nobis per omnia opera, perque omnes potentias & particulas nostras fiat, sanè nihil prohibet, modò ne negligentia & dilatio prohibeat. Huc quoque faceret, si id quis sibi familiare faceret, omnia opera sua facta, vel facienda cordi Christi IESU (vel alicui vulneri) immittere, ac in illo veluti in Alchimistico instrumento detinere, atque sublimari cupere, sicque sublimata & Theandrica quodammodo effecta, per manus Christi, SS. Trinitati offerre. Non pote-

poterunt non reddi opera noſtra, per illas manus fæcundisſima, quia illæ ſunt manus, inter quas pauci piſciculi & 5. panes in quinque millia hominum multiplicati ſunt; illæ ſunt manus, quæ cum aperiuntur implent omne animal benedictione, &c. Sic ſe & ſuas potentias ſuaſque actiones Chriſto unire, hoc eſt illud quod Salvator deſiderat, hoc inquam eſt, in Chriſto manere, Chriſti palmitem eſſe, Chriſti membrum eſſe, de Chiſto vitam, robur, & ſpiritum haurire. Hujus induſtriæ nunquam non poteſt (dicere debueram non debet) uſus eſſe inter ſpirituales viros, ac inter cætera tempora ſvaderem; ut conceſſuri cubitum lavaremus animas noſtras ab omni inquinamento delicti, in ſangvinis & vulnerum Chriſti balneo: ſvaderem ut omnia quæ de manu DEI accepimus opera, potentias, ſubſtantiam totam noſtram, ſeu nos ipſos reſtituamus DEO, ſemper, & in vulneribus Chriſti IESU aſſervandos deponamus. Svaderem ut omnia opera, agenda, vel etiam acta Chriſti ſágvine, meritiſque reſpergeremus, & ornaremus & cum talibus tantùm Divino in conſpectu verſari eidemq; morientes ſiſti laboraremus. Hoc enim puto eſſe, laviſſe ſtolam ſuam in ſangvine Agni.

Plura de hac operum noſtrorum cum Chriſto communione, deque modis, & ſublimitatibus, ſubtilitatibuſque eam faciendi, non affero, nec enim deſunt alii qui hæc tractârunt, ex his quiſque alias formabit ad ſuum guſtum praxes. Hæc quæ de Chriſto attuli, dicta volo, & de pretioſisſima Parente MARIA, per cujus etiam merita ornari noſtra opera non abſque ingenti fœcunditate poſſunt, imò debent per ejus manus offerri Divinæ Majeſtati omnia. Majeſtas quippe illa gaudet totum à nobis haberi per MARIAM, quæ etiam nihil nos habere voluit niſi per MARIAM; Quidquid ergo offerre paramus, MARIÆ commendemus, ne fortè patiamur repulſam. Et aliàs quidem ſemper omnes, quoad fieri poteſt, Actiones SS. Trinitati per manus MARIÆ offerendæ ſunt, tum verò ſvaſerim id faciendum ſtatim ac ſurgimus, & cùm proximè dormituri ſumus, hoc, vel ſimili modo.

Pretioſiſſima Parens mea MARIA, Tibi Ego omnes actiones meas, totius diei (Veſpere dic noctis) menſis, anni, vitæ meæ præſentis, præteritæ, & futuræ

futuræ commendo, easq; Tuis sanctissimis manibus & meritis, & gratiis, & donis exornandas, atque SS. Trinitatis conspectui pro me offerendas committo, quatenus enim à me sunt, indignissimæ ejus conspectu sunt &c. Qui Actus ipse, unà cum unione operum nostrorum, cum meritis Christi, depositioneque eorum, in manus tàm Christi, quàm pretiosissimæ Parentis, repeti & conjungi sæpius potest in die pro libitu, hâc vel simili formulâ. *In manus tuas Domine JESU, & in tuas pretiosissima Parens commendo omnia opera mea: hoc præsens opus meum, illudq; utriusq; vestrum meritis, & toti in mundo conversationi, unio, ornandumq; & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado.* Vel hac aliâ: *Omnes Actus meos mi JESU, in vita, vulneribus, & corde tuo depono, quatenus in eo detenti sublimentur, & sic dignè Sanctissimæ Trinitati, tuis & pretiosissimæ Parentis manibus offerantur. Hactenus P. Drùzbicki.* Simili modo, suo tamen sensu, & de unione actionum & passionum nostrarum ad merita Electorum DEI dicendum. Sed notandum ejusmodi unionem Actionum tuarum, ad Actus & merita Christi, Deiparæ, ac Electorum posse fieri, ità ut tibi illa appropries (imò & omnium quarumvis creaturarum qualescunque Actiones & passiones) acsi tuæ essent genuinæ. Illisque utetr pro medio nobilissimo, & efficacissimo ad fines supernaturales ponendos & obtinendos. Id enim pulchris rationibus svadet practicandum *Pater Druzbicki*, & potissimum in appropriandis sibi meritis & gratiis Christi, qui si ulla res in universo, tum Christus nobis natus, nobis datus in usum & omne bonum nostrum, utpote, qui juxta Symbolum Nicænum, propter nos homines & propter nostram Salutem Homo factus, ac quidquid egit, passusque est, nobis id totum impendit. Simile quid vide de ejusmodi Appropriatione Actuum meritorumque alienorum &c.

Negot: spirit: Induſt: 13.

Supra hac sect. 2. §. 2.

§. XVIII.

PRoficit in multum augmentum meriti, bonas Actiones & Passiones intendere in Ratihabitionem Actionum & Passionum omnium creaturarum etiam DEI paræ, tum DEI hominis, imò ipsius DEI, sicut docet *P. Druzbicki* dicens: Ars ratas habendi Actiones, Passionesque omnes nostras, juxta & alienas, profi-

Negot: spirit: Induſt: 21.

cua

cua exercenda est, nec facilè negotiationi spirituali negligenda, & quin imò frequenter quoad fieri poterit, exactiùs, minutiusq; exaggeranda, ut Actus ratihabitionis, per multiplicata Objecta, quæ complectitur, etiam quodammodo multiplicetur, quantò enim multiplex magis erit, tantò & magis utilis ac meritorius. Nam sicut quis malos Actus suos, vel aliorum in DEI contemptum factos, approbet omnes & singulos, intentione deliberatæ voluntatis, fieret omnium & singulorum reus, & censeretur per omnes damnabilis; cur non id fiat in opposita bonorum Ratihabitone, cur non inquam per tot, & pro tot Actibus, mereatur gratiam apud DEUM, quot Actus DEO, & in DEI gloriam factos voluit, ratumque habuit? Magna igitur hic est messis bonorum & quidem sine magno labore comparanda.

Quod si ista Ratihabitio Actuum ità fiat a viro spirituali, ut cupiat omnes Actus (& id dico de Passionum omnium toleratione ab omni creatura) & singulos factos majore & majore millies proportione fervoris, Charitatisque in DEUM in unione Meritorum Christi Domini: Non dubito, quin hæc praxis longè sit evasura fœcundior, & coram Dominicæ Majestatis oculis acceptior. Valet etiam hæc Industria, tum ad alia commoda, tum, ut homo particeps fiat actualiter, omnium omnino bonorum creatorum, utque DEUM in omnibus laudet, utque nihil vacuum DEI esse laude vel fuisse, vel fore sinat in ulla creatura, utque ex omnibus fructum percipiat, non unum, neque semel, sed quotiescunque & qualemcunque libuerit.

Potest etiam hæc industria extendi ad rata habenda ipsa bona DEI, quatenùs in DEO sunt, & quatenùs ex DEO ad nos fluunt jugiter, & quatenùs à creatura in DEUM refluunt.

Praxis hujus industriæ.

Ratas habeo omnes Actiones & Passiones meas quocunq; modo habitas, & quocunq; modo bonas: ratas etiam habeo easdem omnium omnino Creaturarum, incipiendo à Christo Domino ad ultimum usq; atomum creatum: ratas habeo in specie etiam illas quæ sunt occasione meâ, aliquo modo in Te DEUM meum exercitæ. Et ratas habeo omnes, ac singulas, in omni earum Latitudine, Sensu, Circumstantiis, in Vnione meritorum JESU Christi, pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum majori quàm unquam Fervore spiritûs

*ritûs, millies*que *millies, proportione Fervoris Dignificationis, Charitatis, quia hæc est voluntas Tua & Dignitas voluntatis Tuæ Sanctissima Trinitas, DEUS meus, Amen.* Hactenus P. Gaspar Druzbicki.

§. XIX.

INdustria singularis crescendi per Actum salutarem in perfectione ac merito est, si Actionis bonæ exercitio plurium Actionum vicem intendamus. Quam industriam affert *P. Druzbicki* *Negot: spirit: Indust: 23.* dicens: Hæc est voluntatis nostræ, ac multò magis gratiæ Divinæ natura, ut quemcunque locum calcet pes ejus, ejus fiat, modò usus, tam voluntatis, quàm gratiæ, nobis sit tam familiariter notus & usurpatus, quàm commodè potest, naturâ suâ esse, si nobis nos deesse nolumus. Inter alias ergo voluntatis nostræ liberas divitias, divitesque libertates, est hæc una; quòd unico Actu, ac motu, sive opere suo externo, aut interno, imperato, aut elicito possit plurimorum, ac audeo dicere, infinitorum, possibiliumque vicem supplere, ac meritum, valorem, præmiumque obtinere. Habemus ejus rei aliquod veluti simulachrum, imò exemplum in notis numericis, quas homines ad placitum inventas designârunt, ad tantam vel tantam summam, tantumve numerum significandum, v. g. statuerunt, ut C. significaret centum, D. quingenti, M. mille, hoc quod fecit placiti humani libertas, in hisce & similibus notis, potest eadem facere in Actibus vel passionibus suis internis, externisque, ab internis imperatis, potest inquam voluntatis humanæ libertas id facere, id sibi imperare, ut si faciat unum talem actum, aut talem, cum hac intentione atque proposito, censeatur fecisse decem, 500. 1000. Actus &c: potest sibi imperare, ut libenter quidem hîc & nunc si posset faceret, si locus, occasio, tempus, circumstantiæ paterentur, mille millia talium Actuum, & talium, in DEI laudem, sed quia id prudenter nequit, substituit unum Actum Charitatis, spei, timoris, zeli, resignationis, quem cupit, vult, ac intendit vicem illorum mille millium tenere, & supplere. Maximè cùm ut aliàs dixi, omne pondus Actionum nostrarum, quod eis ex parte advenit à voluntatis libertate, sive ab intentione & deliberatione, advertentia, conatu, designationeque proveniat, ità ut quòd hic actus meus valeat tantùm, alterius verò, vel alter meus ampliùs, tertius etiam ampliùs, id non sit aliunde ex parte nostra,

quàm à voluntatis noſtræ intuitu, & ſtudio, & arbitrio, ex parte inquam noſtra; nam ex parte gratiæ habitualis, ex parte objecti, quid accedat, nunc non attendo. Quia verò ità valor actionum à voluntate noſtra, valorem talem, vel talem intendente, dependet & promanat manifeſtum eſt, licere nobis apponere actionibus noſtris ex parte noſtra valorem quantumcunque volumus, at ſi appoſuerimus parvum, parvus erit, ſi magnum, magnus erit, ſi majorem major, ſi omnem, omnis. Neque eſt periculum ut hac ratione Chriſtum ipſum, aut beatam Virginem, aut Sanctos omnes, meritis adæquemus, vel ſuperemus, & quidem unicâ brevi actione, per ſolam voluntatis intentionem, non inquam hoc periculum eſt, quia hæc adæquatio non ab hac ſola voluntatis noſtræ affectatione dependet, ſed plura ad eam alia concurrere eſſet neceſſe, quæ ſolam voluntatem affectantem non ſequuntur. Cæterùm ad præſens inſtitutum ſatis eſt, verum eſſe, quòd dicimus voluntatem tantum mereri, quantum vult, & tantum pondus pro ſuis Actionibus dare, quantum vult dare, ſiquidem pondus illorum eſt illud ipſum velle ex quo fiunt vel imperantur. Ex his patet, quòd initio hujus induſtriæ dixi, voluntatis noſtræ fœcunditas patet, quantus cumulus meritorum in noſtra voluntate ſitus ſit, modò velimus; patet, quanta quotidie damna faciamus per meram vel ignorantiam, vel negligentiam: nam aut neſcimus, aut negligimus uti voluntate, cujus exercitium infinitæ fœcunditatis eſt, ut non immeritò jubeat DEUS ſe diligi ex tota anima, mente, viribus, fortitudine, corde, quæ omnia nihil ſonant aliud, præter voluntatem liberam & ejus conatum, quem DEUS totum ſibi, & ſuo amori ſervire vult ac impendi, quia ſi totus impendatur infinitum quoddam impenditur.

De quo vide infra § 21.

Exercitium igitur hoc, atque induſtria piis negotiatoribus ſpiritus debet eſſe valde commendata; parvo enim compendio maxima lucra ſpiritualia facere poſſumus, unâ aſpiratione, uno ictu oculi, unâ tunſione pectoris, unâ genu flexione, uno actu amoris DEI, proximi, tantum mereri poteſt, pro quot actibus illum voles valere, modò alia requiſita ad merendum non deſint.

Si vellet aliquis centum actus gratiarum DEO pro beneficiis præſtare, & non poſſet ob circumſtantias prudenter aut commode,

dè, eliciat unum pro omnibus, valebit pro omnibus. Vellet aliquis toties DEUM actu amoris prosequi, quoties offensus ab illo est, vel ab omnibus peccatoribus, ab origine mundi? non potest? eliciat unum actum, vel alterum, quos intendat valere pro omnibus; valebit quantum ex voluntate est, pro omnibus; vellet aliquis adorare DEUM cum omnibus, pro omnibus, affectu omnium Sanctorum in Cælo & in terra DEUM adorantium? unum actum, affectùmque cum hoc & ex hoc proposito eliciat, quantum ad voluntatem ejus (etsi non quantum ad actum adorationis, & alias forsan circumstantias) valebit totum, quod intendet: ex his, faciat prudens conjecturam de reliquis.

Antequam huic industriæ finem imponam, hoc addam, ut nemo miretur, me tantam de voluntate nostra præsumere; miretur potiùs seipsum, quòd insveuerit tantam voluntatis suæ fœcunditatem, tantumque, apud DEUM pretium, & pondus, vel ignorare vel negligere; verè enim mira res est, quòd homines etiam prudentes, doctiq;, ac de rerum naturis, optimè discurrentes, naturam voluntatis *suæ* adeo ignorent, adeoq; negligant, ut nihil sit apud eos ignotius, negligentius, usu voluntatis: quæso qui hæc mirantur, respondeant. Si quis esse vellet ità malitiosus, ut apud animum suum statuat, dicat, decernat, juret, voveat, se quoties pedem, manum, oculum moverit, quoties respiraverit, se toties velle & intendere, Deum actu odisse & blasphemare; imò quolibet tali motu, & actu, millies millies, & intendere actus odii DEI elicere, & dictos motus pedum, manuum, oculorum, respirationum velle esse, & signa, & actus odii, & singulos eorum pro mille millibus odiorum actualium esse, si quis, inquam, tam perditus esset, & in hac perversa voluntate persisteret, & ex hac voluntate dictos actus pedum, oculorum, manuum &c: faceret, quæso, inquam, & quæro, motus illi manuum, pedum, oculorum, hujus hominis ex intentione tali ejus voluntatis eliciti, essentne mali, & malitiam odii Divini haberentnè? an non? quantam haberent? nonne tantam, quantam ille impius voluntate intenderet? ità sanè. Jam quæro? cur voluntas hominis istius tam fœcunda ad peccandum, & voluntas pii hominis, cur non potest esse tam fœcunda etiam ad merendum, si adsint cætera requisita? Consimili ratione sit aliquis

 tam

tam impius, qui uno actu odii hominis alicujus velit, velle omnia mala ea evenire ei, quæ dæmon aliquis vult evenire mortalibus, vel quæ dæmones volunt; eliciatque actum illum odii cum tali proposito, & pondere voluntatis, simplexnè malitia illi actui inerit, an inerit diabolica? sive æquivalens diabolicæ? & quidem ideò, quia eliciens vult actum illum æquivalere malitiis diabolicis? Si ità est, uti reverà est, & esse convincit liberæ voluntatis intentio, atque ponderatio, cur hoc miramur asseri de bona voluntate, quod evidens videtur inesse malæ voluntati ab ipsamet voluntate?

Memini me aliquoties jam usum hac explicatione, & promitto usurum me, cùm locus, & materia poscet, idque ideo quia contraria juxta se posita meliùs dignoscuntur, & quia non dubito, omnibus notum esse voluntatem nostram DEI gratiâ adjutam non minùs capacem & fœcundam esse ad bonum, quàm malitiâ impulsam proruere ad malum. Neque enim DEUS minoribus nos instruxit ad bonum præsidiis, quàm nos iisdem donis DEI uti possumus perversè, ad perniciem salutis nostræ.

Cæterùm haud desunt alia, quæ eandem fæcunditatem nostræ voluntatis ostendunt, nostrisque oculis ingerunt, si nos videre possemus, vel vellemus. Nam cui dubium est unum Actum nostrum si fiat ex spontanea electione ac deliberatione hominis, plus habere valoris & ponderis, quàm Actum ejusdem licet speciei, si is fiat casu, à non cogitante, à dormiente, à coacto &c. Unde autem ille valoris excessus? utique à libertate voluntatis, hic absente, ibi præsente, à qua fit, ut ille sit laude, vel pœnâ dignus, hic merito Item unde est, quòd vulgò asseritur, & sanè veraciter; Actus ex unius virtutis imperio factos, nobiliores esse & plus meriti laudisque habere quàm factos ex alterius? Nonne ideo, quia unus est a nobiliori virtute, alter ab ignobiliori? At quæso, quid est ista virtutum nobilitas? certè, si ad principia voluerimus pervenire, nusquam illam ponemus, nusquam deducemus meliùs, quàm à voluntatis nostræ præstantiore exercitio, & puriore libertatis impulsu, atque ponderatione. Nam cur Charitas præfertur omnibus virtutibus? non ab objecto, quia & aliæ in idem tendunt; Fides, Spes, Timor, Religio; sed ab eo, quia voluntas

nostra,

noſtra, meliùs ſeſe effundit in DEUM, & adglutinat DEO, Charitate, quàm aliis virtutibus; quomodo autem meliùs? quia liberiùs, quia liberaliùs, quia defœcatiùs, quia amiciùs, & benevolentiùs, quia à ſuis commodis alieniùs; uno verbo, ideo quia amat, ut amet, amat, quia illi DEUS placet, & ut illi DEUS placeat, & ut DEO placeat, placeat verò, quia id placitum eſt DEO: hoc autem totum, quid eſt aliud? niſi voluntas, niſi volitio, niſi voluntatis ponderatio? & intentio?

Voluntatis ergo defœcatio, eſt Charitatis commendatio. Item cur vitium vitio, peccatum peccato, eſt gravius? nonne ex eo quia eſt liberius? unde quando peccata excuſamus, ignorantiam & nolitionem prætextimus, inadvertentiam obtendimus, indeliberationem, affectum impotentem, præoccupationem, alienam ſvaſionem, coactionem adducimus; quod fruſtra faceremus niſi agnoſceremus pondus malitiæ à voluntate noſtra eſſe in peccatis. Ut ergo levia peccata faciamus, voluntatis noſtræ pondus illis detrahimus in alia omnia, aliquando in diabolum, aliquando in ipſum DEUM (ut Adam fecit) cauſam conjicimus. Similiter cur opera ex voto facta, pluris æſtimari à DEO aſſerimus, quàm eadem ſine voto profecta? nonne ideo, quia in opere ex voto facto, plus voluntarii, hoc eſt plus à voluntate libera ponderis ac meriti agnoſcimus? hoc autem quomodo? eo ſanè, quia voluntas voto obſtricta, libertatem ſuam liberè conſtrinxit, & quaſi immolavit; nemo autem quidquam liberiùs facit, quàm qui liberè cogitur, ſeu quàm qui ità liberè, libenterque facit, ut non facere nolit. Utque velit non poſſe non facere, ſed coactus eſſe ad faciendum; hic enim non tantùm facit, non tantùm liberè facit, ſed etiam libertatem ſuam, in alterius gratiam ex libera ſervam facit, atque immolat libertatem ſuam, & veluti annihilat, atque prodigit Unde etiam pretioſum illud opus reddit, quia totum pretii ejus fontem in illud profundit, totam arborem cum radice illius, & fructu, ſimul offert.

Similiter cur etiàm opera parva, ſi citò, promptè, hilariter diligenter, conſtanter, ſponte fiant, gratiora ſunt? quàm ſi, eſto aliquando majora fiant, tardè, invitè, coactè, ex timore, ex præmio, ex ſpe, ex prece, inconſtanter, perfunctoriè, oſcitanter, tepidè, acedioſe?

diose? nullam causam afferemus horum nisi à voluntatis pondere petitam, quòd ibi est, elucet, agit, placet: hic deest, retardat, impedit, displicet.

Maneat ergo voluntatis nostræ pretium & pondus, maneat illud verum esse: *Amor meus, pondus meum, quocunque feror, amore feror: pretium meum, voluntas mea.* Maneat & illud consultè & prudenter fieri, quando unum actum, pondere voluntatis liberæ, piæ, devotæ ita imbuimus,& impinguamus, ut ille à nobis substitui possit, ac offerri DEO, pro multis æquivalenter, non solùm, quoad valorem & meritum,sed etiam quoad multitudinem & numerum, dummodo ille debitus non sit, sed arbitrarius, aut certè debiti explicatio excusetur, per aliquod impedimentum, ità ut voluntas non solùm per intentionem, & intensionem; sed etiam, per extensionem, unum actum pro pluribus, brevem pro longis facere, atque supponere possit piè, meritoriè, cum profectu.

Illud tamen addiderim, quòd si unus actus debitè substitutus pro pluribus facit, & apud DEUM gratiosus est, longè sint futuri gratiosiores,si tales plures fiant à nobis,qualium unus possit esse pro multis.

Hæc quæ diximus in commendationem voluntatis liberæ nihil præjudicare gratiæ Divinæ, sive actuali, sive habituali, nihil Christi meritis, nihil aliis ad merendum requisitis, volumus. Magnum est pondus liberæ voluntatis, magnum gratiæ, omnium requisitorum. Negotiator spiritualis nihil negliget, & ea quæ nos benè suademus, re ipsâ meliùs faciet. *Hæc P. Druzbicki.*

§. XX.

Ex variorum finium compatibilium intentione quanto fructu perfectionis & meriti actiones & passiones humanæ fœcundētur audi *P. Druzbicki* ità differentem: Ea est Divinæ mentis liberalitas, tum Actionum nostrarum (ut ità dicam) tractabilitas, ut unam Actionem nostram (dummodo non malam ex se) ad multos fines applicare possimus. Consequenterque multos effectus unius operis & fructus consequi; DEO non tantùm manum suam non arctante, sed etiam liberalitate suâ Divina planè dilatante. Non comprehendam hac industriâ totum, quidquid eâ includi posset, aliis id industriis servabo explicandum. Hic tantùm exponam

Negot: Spirit: Indust: 4.

nam, quos ad fines, & ex quibus rationibus, una eademque Actio, applicari, non absque utilitate, & profectu animæ possit. Possumus ergò actione nostrâ qualibet. 1. DEUM laudare atque exaltare. 2. Possumus imitari eundem. 3. Possumus gratias agere eidem. 4. Immolare nos, & dedicare seu offerre ac donare eidem. 5. Mereri bona tum Spiritualia, tum temporalia. 6. Impetrare nobis seu aliis. 7. Satisfacere pro nobis & aliis. 8. Satis pati pro nobis & aliis pro futuræ vel præsentis vitæ pœnis. Rursùm, possumus similiter, qualibet Actione nostrâ, nihil præjudicando proximè positis, laudare, honorare, Christum, Beatam Virginem, Sanctos omnes & certos: imitari eosdem, agere iisdem gratias, ornare & adiuvare actiones nostras meritis, gratiis, precibus illorum; easque efficaciores reddere ad impetrandum, ad satisfaciendum, ad satispatiendum. Possumus gratiores reddere gustui Divino, per eadem merita & gratias, atque preces Christi, DEI Matris, & Sanctorum. Mitto alia interim, aliis industriis, ut prædixi explicanda, hæc quæ attuli ostendere possunt, quantas utilitates ex qualibet nostra Actione percipere possemus, si actionibus nostris uti sciremus, quantis econtra commodis privamur, dum actionibus nostris, non ità prout possumus, utimur: quantis item in tenebris versentur illi, qui nimis multum se facere, nimis diligentes esse negotiatores spirituales putant, si Actiones bonas suas, bonavè intentione Actuali, vel Virtuali facere laborent. Etsi hi enim malè non faciunt, neque in eo quòd faciunt reprehendendi sunt, non tamen ideo quia hoc faciunt, jam diligentes planè omni ex parte censendi sunt. Curandum potiùs ut aperire oculos velint, & ad thesauros, quos in suis actionibus latentes habent, quosque sibi sine fructu perire sinunt, & exiguo labore ervere, atque suos pro omni æternitate reddere possent, aliquando advertere, & veternum excutere, & ignorantiam ab animo abstergere. Quotus enim quisque est, qui cùm aliquid facit, non est benè contentus, opus suum ad DEI laudem dirigere, vel illud pro suis peccatis offerre, vel per illud aliquid à DEO impetrare, ità quidem ut de eodem opere ad alios usus dirigendo nihil cogitet? atque certum est, posse unum opus bonum ad multos fines dirigi & fines illos, per illud obtineri, sine impedimento mutuo illorum finium: V. g. potest uno iejunio & DEUS laudari, & Christus imitatione ex-

primi

primi, & Beata Virgo honorari, & Sanctus ille vel ille coli, & obediri præcepto Ecclesiæ, & satisfieri pro animabus in purgatorio, & obtineri indulgentia, & impetrari aliquid Ecclesiæ, nobis, aliis; & meritum gratiæ haberi, & sobrietatis virtus augeri, & caro mortificari, atque spiritui subdi, & expiari pœna peccatis debita, & impetrari aliquid temporale, si DEO *ità* videatur. Hæc omnia unico actu jejunandi possunt obtineri: neque unus finis alterum impediet, imò etiàm adjuvabit. Hic jam judicandum relinquo, si quis jejunium suum offerat ad solam DEI gloriam, vel ad solam satisfactionem pro peccato, & de aliis finibus nihil cogitet, sitne ille reliquis istis spiritualibus commodis privatus necne? negari non potest privatum esse, quoniam supponimus, intenta ab illo in opere jejunii non fuisse: quòd autem quis non intendit, seu non vult, id promereri non potest, in præsenti præcipuè materia. Si ergò privatus est illis commodis, quæ habere solà intentione voluntatis, seu actus applicatione potuisset, nunquid hoc parvam jacturam homo spiritualis & diligens Negotiator reputabit? minimè verò. Quid igitur faciendnm? hoc quod ex iam dictis facilè colligi potest. Ut nostra opera omnia & singula, maioris præsertim momenti, illâ finium jam explicatorum varietate imbuantur à nobis, sitque id quotidianum, ac si fieri potest, sæpiùs in die frequentatum exercitium, istiusmodi finium applicationem ad opera nostra omnia & singula facere, & quasi extensionem quamdam operibus, cujus sunt capacia, facere, extensionem, inquam, in valore, non in duratione, aut in aliqua alia ratione. Quòd autem dixi faciendum operibus, aut actionibus, hoc ipsum faciendum censeo passionibus, seu molestiis (animi vel corporis) quæ se nobis nunquam non ingerunt, etiam non advertentibus: & has enim eodem modo condire supradictis finibus possumus, simulque ad lucra animabus nostris parienda fœcundiores facere. *Hactenus P. Gaspar Druzbicki.*

§. XXI.

Confirmatio nonnullorum dictorum antecedentibus paragraphis.

IN re maximi momenti, qualis est modus augendi perfectionem & meritum actus salutaris, adest & Angelicus Doctor: &

& R.P. Franciscus Suarez, quà virtute quà doctrinâ in Ecclesia DEI eximius: Quorum multiplici & gravi authoritati nixi Negotiatores æternorum non esse vanas spes suas & labores in coacervandis animæ bonis, consolentur. Itaque *Suarez* docet In uno ,, *Ita Suarez*
& eodem actu augeri meritum ex augmento proprietatum seu ,, *lib. 12. de me-*
conditionum, quæ ad meritum de condigno concurrere possunt ,, *rito cap. 20. n.*
aut debent. Et *Primò* augetur meritum ex bonitate actus; quia ,, *6. 7. & 8.*
cùm fundamentum meriti ex parte actus sit bonitas ejus, quò ,,
hæc major fuerit in ipsamet essentia & specie actus, eò dignius ,,
erit præmium, si in cæteris sit æqualitas. *Secundò*, probat hæc ratio ,,
idem esse dicendum de omnibus circumstantiis augentibus mo- ,,
ralem dignitatem operis, sive augeant illam quasi intensivè in- ,,
tra eandem bonitatis speciem, sive extensivè addendo novam ac- ,,
cidentalem speciem. Quia priori modo est augmentum quasi ,,
intensivum in morali bonitate operis, posteriori autem modo ,,
est quasi extensivum & æquivalens multitudini operum. *Tertiò* ,,
erit hoc augmentum longè certius, si fuerit in relatione charita- ,,
tis; nam quò hæc fuerit major, tantò crescet ex eo capite meri- ,,
tum operis; & ideo actualis, seu formalis relatio magis auget, ,,
quàm sola virtualis; & intensius charitatis imperium, seu ex ar- ,,
dentiori affectu procedens magis quàm remissius. Et eadem ,,
ratione quodlibet imperium distinctæ virtutis augebit actum al- ,,
terius in merito, magis quidem, vel minus juxta suæ perfectio- ,,
nis gradum, & secundùm modum in superioribus declaratum. ,,
Et hac ratione, dixit D. Thomas: Opus ex voto factum cæteris ,, 2.2. *quæst. 88.*
paribus magis meritorium esse, quàm sine voto factum. *Quartò* ,, *art. 6.*
etiam difficultas, quæ ex objecto nascitur, meritum operis auget ,,
juxta doctrinam D. Thomæ. Et ratio est, quia talis difficultas ,, 1. 2. *q.* 114.
per se auget operis bonitatem. *Quintò*, meritum non parum au- ,, *art. 4. ad 2. &*
getur ex augmento voluntarii, quod omnes etiam fatentur, nam ,, 2. *q. 2. art.* 10.
quò actus magis fuerit voluntarius, eò, cæteris paribus, est ma- ,, *ad 3 & in di-*
gis meritorius. Loquuntur enim de voluntario, prout forma- ,, *cta lect. 2.*
liter distingvitur à libero, & sic magis voluntarium dicitur, quòd ,,
majori affectu, & conatu voluntatis fit: at verò quod fit majori ,,
conatu, & affectu, fit etiam actu voluntatis intensiori, quia ex ,,
majori conatu oritur major intensio, nec illa major affectio po- ,,

„ test in alio augmento ipsius actus consistere. Ergo illud majus „ voluntarium auget meritum, quia intensio actûs ex se meritum „ auget, quia auget ipsam entitatem actûs, & consequenter etiam „ honestatem. Addo verò *Sextò*, etiam majorem libertatem a- „ ctus augere meritum ejus, si cætera paria sint, quod videtur e- „ tiam extra controversiam esse, tum ex illa regula, quòd sicut „ simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; at libertas mul- „ tùm conducit ad meritum, imo ad illud est simpliciter necessa- „ ria; ergo major libertas de se augebit meritum: tum etiam quia „ major libertas per se auget laudem benè operantis, sicut è con- „ trario in opere malo auget culpam, seu demeritum ejus, & fa- „ cit peccantem magis reprehensibilem, & minùs veniâ dignum. „ Sicut etiam ignorantia aliquo modo excusat, quia minuit liber- „ tatem. Hæc certa & clara sunt. *Septimò*, duratio actûs interni meritorii auget ex aliqua parte meritum seu præmium illi respondens. Quia unus actus diuturnus moraliter æquivalet pluribus similibus actibus eodem tempore factis: sed illi plures actus augent meritum: ergo & continuatio actûs. *Octavò*, assertore D. Thoma, *Meritum non solùm pensatur ex genere actûs, sed magis ex animo operantis.* Unde illud vulgare apud Spirituales: *DEUS non tam respicit quantum, quàm ex quanto.* Hinc Suarez docet. 1. cum communi sententia: Suppositâ æqualitate actuum internorum meritoriorum in Petro & Paulo, non esse majus meritum Petri quamvis actus internus prodeat in externum, quàm meritum Pauli etsi in solo actu interno sistat, si tamen vel physicè vel moraliter actus ille externus est ex aliquo accidenti impossibilis Paulo: Unde D. Chrysost. *Vidua illa* inquit *quæ duo minuta miserat pro alacritate voluntatis nihil minus divitibus intulit.* Imo ut D. Cyprianus habet: *Dominus non de patrimonio sed de animo opus ejus examinans & considerans, non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit: Vidua ista plus misit in dona DEI.* Dixi autem, si actus exterior fuerit impossibilis: alioquin si est possibilis & omittitur, majus est meritum Petri compositum ex actu interno & externo quàm meritum Pauli situm in solo actu interno: majus inquam non ratione actus externi, sed ratione efficacioris voluntatis Petri, cujus signum est actus externus, istius verò signi carentia in Paulo denotat minus

Ibid. Suarez cap. 21. n. 2.

2.2. q. 152. art. 4. ad 1.

Vide Suar: de Divin. gratia lib. 12. c. 6.

Homil. 3. in Epist. ad Timoth.

In tractat. de opere & eleemosyn.

efficacem voluntatem, quæ cùm possit prodire in actum externum, illum omittit. 2. Ex parte hominis vel (ut ita loquamur) ex parte operantis, tantum meritum esse posse in Martyrio in „ voto, sicut in Martyrio in re. Cæterùm tamen de Martyribus „ aliquid amplius dicendum est, idemque suo modo de Virgini- „ bus, & Doctoribus; nimirum ex peculiari privilegio & ordi- „ natione Divina, aliqua dona vel præmia esse promissa ex libera- „ litate Divina actui externo Martyrii, quasi ex opere operato, „ quæ non dantur propter solam voluntatem Martyrii, etiamsi „ magnam & magis meritoriam esse contingat. Similiter de Ba- „ ptismo aquæ, vel de Communione Eucharistiæ, si præcisè spe- „ ctetur meritum operantis, tantum esse potest in Baptismo in vo- „ to, sicut in Baptismo in re, & in sumptione Eucharistiæ merè „ spirituali, ac sacramentali dignè facta; & nihilominus cæteris „ paribus, plus gratiæ & gloriæ confertur recipienti exteriùs Sa- „ cramentum, quàm non recipienti, cùm illud sit speciale privilegi- „ um Sacramenti & opus operatum.)) 3. Etsi quis desiderio ferretur infinitè amandi DEUM, vel cuperet tantum mereri apud DEUM vel servire illi, quantum Apostoli aut Beatissima Virgo meruit vel servivit, non sequitur hoc inconveniens quòd re ipsâ infinitè amaret DEUM, vel tantum re ipsâ mereretur. Quia „ docente Suarezio in istis exemplis voluntas interior non est com- „ mensurata objecto, neque in re est tam efficax etiam de se, quan- „ ta fuisset si conditio sub qua fertur, potuisset expleri, aut esset „ expleta. Nam desiderium infinitè amandi DEUM habet pro „ objecto infinitum amorem DEI, & ideo quantocunque conatu „ in præsenti fiat, nunquam potest esse adæquatus tali objecto, „ neque habere illam vim, quam ille amor haberet ad amandum „ DEUM si in re poneretur, sed infinitè distat ab illo, & ideo ta- „ le desiderium nec æquale nec infinitum meritum habere potest. „ Deinde licet merita Apostolorum, aut B. Virginis, quæ sunt obje- „ cta illius affectus, non sint quid infinitum simpliciter, includunt nihilominus plurimos & perfectissimos actus internos volunta- „ tis, quibus impossibile est illum affectum in efficacia benè ope- „ randi aut volendi adæquari.)) *Nonò.* Quomodo concupiscentia augeat vel diminuat meritum ita discurrit *S. Thomas*: Magnitudo con-

Suarez de grat: lib: 12. c. 6. n. 21.

Ita Suarez de Divin. Grat lib. 12. c. 6. n. 22

2. 2. quæst. 155. art. 4. ad 2.

„concupiſcentiæ, ſeu debilitas ejus, ex duplici cauſa procedere po-
„teſt. Quandoque enim procedit ex cauſa corporali. Quidam e-
„nim ex naturali complexione ſunt magis proni ad concupiſcen-
„dum quàm alii. Et iterum quidam habent opportunitates de-
„lectationum concupiſcentiam inflammantes magis paratas quàm
„alii. Et talis debilitas concupiſcentiæ diminuit meritum, ma-
„gnitudo verò auget. Quandoque verò debilitas vel magnitu-
„do concupiſcentiæ provenit ex cauſa ſpirituali laudabili: puta,
„ex vehementia charitatis vel fortitudine rationis, ſicut eſt in ho-
„mine temperato. Et hoc modo debilitas concupiſcentiæ auget
„meritum ratione ſuæ cauſæ, magnitudo verò minuit.

Praxes utendi ſupradictis perfectionibus & modis ad ex-
cellentiorem magisque meritorium Actum virtutis reddendum
infra ſub Intentione Sect: 4. § 9. *vide.*

SECTIO III.

De Gradibus & Incitamentis Actuum ſalutarium virtutis.

GRadus virtutis eſt duplex 1. *Neceſitatis* ſive necesſitate medii,
ſive necesſitate præcepti, ad ſalutem. 2. *Supererogationis* juxta
Luc: 10. illud: *Quodcunque ſupererogaveris reddam tibi.* Quod nimirum
non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, niſi ſecundùm melius
eſſe. Item vocantur hi gradus *1mus*: *Præcepti*, quòd nempe obli-
get ſub peccato. *2dus*: *Conſilii*, nullam importans culpam. Item
Vide D. Thom: *1mi gradûs ſunt* virtutes tranſeuntium, & in Divinam ſimilitudi-
1.2.q.61.art.5. nem tendentium: & hæ virtutes vocantur purgatoriæ; ita ſcili-
cet quòd prudentia omnia mundana Divinorum contemplatione
deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in Divina ſola dirigat:
temperantia verò relinquat, inquantùm natura patitur, quæ cor-
poris uſus requirit: fortitudinis autem eſt, ut anima non terrea-
tur propter exceſſum à corpore, & acceſſum ad ſuperna: juſtitiæ
verò eſt, ut tota anima conſentiat ad hujuſmodi propoſiti viam.
2di gradûs ſunt virtutes jam aſſequentium Divinã ſimilitudinẽ, quæ
vocantur virtutes jam purgati animi: ita ſcilicet quòd prudentia,
ſola Divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates neſciat;
forti-

fortitudo passiones ignoret; justita cum Divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando: quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.

Incitamenta virtutis. Imum. Encomium virtutis à quadruplici Causa; à Causa efficiente quæ est DEUS. Unde Apostolus: *Quid habes quod non accepisti? Et: DEUS est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* A Causa materiali, in qua est: quia nonnisi in bonis inhabitat. Non est autem sic de bonis naturalibus & fortunæ, quia talia pluit DEUS super justos & injustos. A Causa formali, quæ est decor spiritualis: *Omnis gloria ejus filiæ Regis* &c. A Causa finali. *Augustinus* ait: Prœmium virtutis est ipse qui virtutem dedit.)) *1. Cor: 4. Philip. 2. Psal: 44.*

Secundum. 1. *S Bernardus* inquit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes: quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. 2. Virtus vera hominis nobilitas est: Id insinuat *S. Ambrosius* dicens: Nôe non genere sed justitiâ laudatur: probi enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines; ita animarum genus virtutes sunt. 3. Virtus summa animi pulchritudo est: Hinc *B. Augustinus*: Quid est aliud justitia & virtus nobis quàm interioris hominis pulchritudo? Et *Philo*: Virtus non pulchra tantùm sed ipsius Pulchri idea est.)) Ratio est: quia sapientia & virtus est summa participatio DEI. DEUS autem in se pulcher est adeòque ipsa increata, essentialis, & immensa pulchritudo, quam qui videt, non potest non summè adamare, ut patet in beatis, qui toti in eandem rapiuntur & absorbentur. DEUS ergo sapientiæ & virtuti suam pulchritudinem præ cæteris rebus communicavit & indidit, atque in ea suam speciem & decorem ostendit. 4. Propheta ait: *Dicite justo quoniam benè: quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.* Et *S. Chrysost.* inquit: sicut malitia etiam ante gehennam eos, qui hic eam participant, cruciare consuevit; ita virtus etiam ante regnum eos, qui hic eam operantur, præparat voluptati, & cum spe optima & delectatione perpetua vivere facit. 5. Virtus post DEUM optima; unde effatum illud: *Auro quid melius? Jaspis. Quid jaspide? Virtus. Quid virtute? DEUS. Quid Deitate? Nibil.* 6. Quia virtutibus nostris hostis antiqvus torquetur, profli-

S. Bernardus serm. 4. S. Ambrosius de Arca & Noe c: p: S. August: Epist: 222. Phi: lib: de vita Moys: ex Plat: in conv: Isai: c: 3. Ioan. Chrysostom. Hom. 35. in Io. Tom. 3.

S. Bernardus serm. 3. in Dedicatione tēpli, profligatur: *Ita S. Bernardus*: Induite vos armaturam DEI ait Apostolus &c. Quid enim putamus fratres? gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longè gravior illi oratio nostra. Læsit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multò ampliùs nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur. 7. Qui in virtutibus non conatur proficere semper, vitam beatam non attinget. Audi *S. Augustinum* ita disserentem: Quantumcunque hic vixerimus quantumcunque hic profecerimus, ne dicas sufficit mihi, justus sum: qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire; ubi dixerit sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum cui non sufficit; *Fratres ego me non arbitror apprehendisse.* Et rursum dicit: *Qui se putat scire, nondum scit quemadmodum eum oporteat scire. Unum autem quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Ille ergo currit; tu hæsisti? Ille dicit nondum se perfectum, & tu jam de perfectione tua gloriaris? Confundantur qui dicunt tibi: Euge Euge.))

S. Aug. in Psal. 69.

Philip. 3.

1. Cor. 8.

S. Bonaventura lib. 5. de Grat. Sanctification.

Tertium. Stupendi virtutis effectus, quos *SeraphicusDoctor* disertè enumerat dicens: Virtus operatur mira multipliciter, scilicet in Cœlo cui vim facit. Unde in Matthæo: Regnum cælorum vim patitur &c. In mundo: quia hominem custodit, ne comburatur igne concupiscentiæ, & ne mergatur in aquis voluptatis, ne inquinetur luto incontinentiæ, & ne laceretur spinis avaritiæ. In corde humano: quia vulneratum sanat, inquinatum mundat, mortuum vivificat, excæcatum illuminat. In inferno: quia ignis infernalis non potest lædere virtuosum, sicut nec ignis materialis salamandram. Virtus rationabilem illuminat ad cognitionem veri, concupiscibilem excitat ad amorem boni, irascibilem confortat ad detestationem mali. Item, DEO assimilat: quia Patri per virtutis vigorem, Filio per veritatis splendorem, Spiritui per charitatis fervorem. Conformat Angelis; Hieronymus: In carne præter carnem vivere naturæ est Angelicæ, non humanæ. Mentem jucundat, ornat, sublevat, honorat, sanat, vivificat, cibat, ditat, mundat. Item, virtus mala præterita expellit, præsentia impugnat, & à futuris præmunit. Item, virtus mentem benè instituit,

ſtituit, dilectum DEO hominem facit: Fructum tam præmii quàm meriti adducit, temporalia diſcretè diſponit. Opera quæ dicta ſunt, declarant nobis effectus virtutum generales; ita etiam ſunt ſingularum virtutum effectus aliqui ſpeciales. Sicut eſt, quòd humilitas DEO ſubjicit, pænitentia reducit, juſtitia deducit, obedientia conducit, patientia perducit, perſeverantia introducit, puritas jungit, charitas DEO unit))

Quartum. DEUS ipſa Sanctitas & perfectio omnis virtutis quod ſit, oſtenditur *infra*, *Par. 3. Theol: Spirit:* Ipſum autem eſſe præcipuum motivum nobis ad ſuas imitandas virtutes patet: quia filios neceſſe eſt imitari mores paternos, ut non modò illum repræſentent naturæ imagine, ſed & morum ſimilitudine: alioquin filios fore degeneres à paternis moribus, ac proinde dignos exhæreditari. Ita & nos, niſi fuerimus DEO ſimiles non modò in ſua imagine, verùm & in ejus virtutum ſequela, audituri ſumus: *Nunquam novi vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Simile enim ſimili gaudet, prout à disſimili horret. *Matth. 7.*

Quintum. Ab exemplo Chriſti qui factus eſt nobis Principium ſeu Princeps omnis virtutis. Audi *S. Ambroſium*: Principium noſtræ virtutis eſt Chriſtus; principium integritatis, qui docuit Virgines non viriles exſpectare concubitus, ſed integritatem mentis & corporis ſancto magis dicare Spiritui, quàm marito. Principium parsimoniæ Chriſtus, qui pauper factus eſt, cùm eſſet dives. Principium patientiæ Chriſtus, qui cùm malediceretur non remaledixit, cùm percuteretur non repercusſit. Principium humilitatis Chriſtus, qui formam ſervi accepit, cùm Patrem DEUM majeſtate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium. Et ideo ut hæc virtutum genera diſceremus, Filius datus eſt nobis, cujus Principium ſuper humeros ejus. Principium illud crux Domini eſt, principium fortitudinis, quo via ſanctis eſt reſerata Martyribus ad ſacri ſangvinis pasſionem.)) *Lib. 3. de fide c: 4.*

Sextum Beatisſima Virgo MARIA Idea omnis virtutis, quam nobis venuſtisſimè delineavit *S. Ambroſius* dicens: Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas vitaque Beatæ MARIÆ, in qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis *S. Ambr: de Virgin: lib: 2.*

tutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius DEI Matre? quid ſplendidius eâ, quam ſplendor elegit? quid caſtius eâ, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed DEUM quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit propinquis? quando faſtidivit humilem? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? eos ſolos ſolita cœtus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: ut ipſa corporis ſpecies, ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum: ut mens noſtra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus poſita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hìc congeminatos iejunio dies. Etſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas quàm neceſſitas fuit. Et tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænuntiat. Prodire domo neſcia, niſi cùm ad Eccleſiam conveniret, & hoc ipſum cum parentibus aut propinquis. Domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu

mitatu, nullo meliore tamen sui custode quàm seipsâ: quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Et tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet, quia quidquid egerit, disciplina est. Sic MARIA intendebat omnibus quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret quàm doceret. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint, quæ digna fuit ex qua DEI Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam ubi revisere solebat invenit, & Angelum MARIA quasi viri specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primo titubaverat aspectu, postea promisit obsequium. Quàm verò religiosa in propinquas fuerit scriptura Divina significat: nam & humilior facta est, ubi se à DEO cognovit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit, non utique ut exemplo crederet, quæ jam crediderat oraculo: Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti enim intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exiliens puer Matrem Domini salutavit, prius compos devotionis quàm naturæ. Inde tot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, ex spectaret Simeon, sydera nuntiarent: MARIA mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: *conservabat*, inquit, *hæc omnia in corde suo.* Quamvis Mater Domini, discere tamen præcepta

N Domini

Domini desiderabat: & quæ DEUM genuerat, DEUM tamen scire cupiebat. Quid quòd annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solemni die Paschæ, & ibat cum Joseph? Ubique in Virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur MARIA sine pudoris sui custode processit. Hæc est imago virginitatis: talis enim fuit MARIA ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur author non displicet, opus probemus: ut quæcunque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum: Quantæ in una Virgine species virtutum emicant! *Hactenus D. Ambrosius.* Et *S. Bonaventura* hæc ex D. Hieronymo affert: Fiebat ut B. Virgo in vigiliis inveniretur prior, in sapientia legis Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Davidicis elegantior, in charitate gloriosior, in puritate purior, in omni virtute perfectior. Erat enim constans & immobilis, cùm quotidie meliùs transisset. Hanc irascentem nullus vel vidit vel audivit. Omnis sermo ejus ita erat gratiâ plenus, ut cognosceretur in lingva ejus DEUS. Semper in oratione, & scrutatione legis DEI permanebat. Et erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis in ullo sermone peccaret, ne aliqua in risu vocem suam exaltaret, ne aliqua injurias aut superbiam contra parem suam exerceret. Sine intermissione benedicebat DEUM, & dum fortè in salutatione sua à DEI laudibus tolleretur, si quis illam salutabat illa pro salutatione sua, DEO gratias, respondebat. Denique primum ex ipsa exiit, ut dùm salutantur homines Sancti, DEO gratias: dicant. De esca quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur: quam vero à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quasi charissimæ sorori vel matri obtemperabat ei. *Hucusq; Hieronymus.* Ecce Christiferæ MARIÆ lucidissima exempla virtutum, quæ capiat quisque proportionatè ad suum statum.

D. Bonav. meditat: vitæ Christi c: 3.

Septimum. Sanctissimus Joseph Sponsus Virginis Matris quàm præclaris emicuerit virtutum radiis, audiamus grave testimonium ipsius Matris DEI apud *S. Brigittam* hæc asserentis: Joseph nullum verbum non bonum protulit, nec otiosum, nec murmurationis; erat enim patientissimus, diligentissimus in labore,

S. Brig. lib. 6. revel. c. 59.

&

& paupertate, mansuetus injuriantibus, obedientissimus obsequiis meis, constans contra meæ virginitatis impugnatores, fidelissimus testis mirabilium DEI, mortuus carni & mundo, nonnisi cælestia desiderabat: dicebat; si velit DEUS me vivere, ut ejus voluntatem videam adimpletam: rarò erat in hominum congregatione; solùm desiderabat DEI voluntati obedire, ideo ejus gloria modò magna est.)) *S. Bernardus* de Beatissimo Joseph ita disserit: Verè de domo David, verè ex regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius David non degenerans à Patre suo David, prorsùs inquam, filius David non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione)). In hunc modum quisque proponat sibi S. Patronum suum pro Exemplari virtutum, quas tanquam in speculo limpidissimo relucentes, in actiones proprias ad imitandum desumat. *S. Ber. Homil: 2. super Missus est.*

Octavum. Angelici Spiritus sunt exemplaria virtutis. Unde *Seraphicus Doctor* inquit: Vult Dominus ut Angelis assimilemur, ut ardeamus amore cum Seraphim, Divinorum scientiâ fulgeamus cum Cherubim, spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus cum Virtutibus, regnum animæ in pace gubernemus cum Potestatibus, provideamus cum Principatibus, magna proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus subsidia impertiamur cum Angelis.)) *Pater Lohner* quoque ait: In agendo cum proximo, quantùm fieri potest Angelos imitemur; quemadmodum S. Ignatius à suis Operariis requisivit. Consistit autem, hæc imitatio in tribus potissimùm capitibus. 1. Ut sicut ipsi nobis purissimè propter DEUM inserviunt, atque adeò nullum respectum personarum faciunt, sed cuivis etiam vilissimo homini tam libenter inserviunt, ac pluribus, iisque præstantissimis operam suam impendunt, nihil intereà de sanctitate sua, ac familiaritate cum DEO remittentes; ità idem quoque Asceta faciat, aliosque ut faciant, doceat & hortetur. 2. Ut sicut illi omnem conatum & dilgentiam adhibent in nostra salute procuranda, ut suo modo illud Davidis dictum usurpare possint: Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, sed DEO; ità similis cura ab *S. Bonav: opusc: de 7. itin. æter:* *Bibl: manu: tit: Angel:* *1. Paral: 29. v. 21.*

Asceta salutis alienæ studioso adhibeatur. 3. Ut sicut illi quocunque eventu secuto, in suavissima DEI voluntate conquiescunt; ità idipsum etiam imitari Asceta studeat, memineritque ipsum etiam DEUM non semper optatum operum suorum successum sortiri.

Nonum. Sanctorum hominum infra in particulari sub singulis virtutibus exempla ponuntur: modò in genere de Sanctis ex *Apostolo* hæc accipe, quòd scilicet Sancti Prophetæ et alii justi *per fidem devicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt.*

Epist: ad Heb: c. 11.

Decimum. Imitare igitur Magnum Antonium, qui alios præcellentes in aliqua virtute videns, illos in seipso exprimebat. Ità & tu sequere eos Beatorum, qui insignibus sanctitatis & perfectionis emicuêre. Placet afferre de vita S. Antonii, qui relatore *S. Athanasio* sic vitam instituens ab universis fratribus puro diligebatur affectu: & omnibus, ad quos studio discendi pergebat, obediens, proprias singulorum gratias hauriebat: hujus continentiam, jucunditatem illius sectabatur: istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam: istum jejunantem, illum hu ni quiescentem mirabatur: alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat. Omnium quoque vicariam erga se retinens Charitatem, atque universis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum universa pertractans omnium in se bona nitebatur exprimere. Neque verò adversum coævos aliquando movebatur, sed ea tantummodo flamma egregio viro crescebat in pectore, nè secundus cuiquam in prædictis operibus inveniretur. Et hoc ità faciebat

S. Athanas: in vita S. Anton.

ciebat, ut cùm omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen charus esset.

SECTIO IV.

De PRAXI Actuum Supernaturalium seu Salutarium Virtutis.

ADverte Primò. Virtutem in arduo esse positam: ad eamque perdifficilem ascensum. Hinc ipsa Veritas exclamat: O! *quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Quàm verò eadem via Cœli sit aspera expressit in seipso Dux noster Christus, qui Ideam Heroicorum actuum nobis repræsentans, eâdem viâ præcessit *in laboribus à juventute sua; in dolore deficiente vitâ suâ & annis in gemitibus*: denique medius inter catenas, atrocia flagella, horridos sentes, clavos, lanceas, per Crucis patibulum, totus vulneratus, laceratus, convulsus, consputus, conculcatus, opprobriis saturatus, intolerabili denique cruciatu interno externoque exanimatus est. Audi & Beatissimam Christi Matrem, quæ de seipsa ad S. Elizabeth proferat: Pro firmo scias, quòd ita me reputabam ream, & vilissimam, & gratiâ DEI indignam, sicut tu. Propterea petebam sic gratiâ & virtutes. *Et iterum*: Filia tu credis, quòd omnem gratiâ, quam habui, habuerim sine labore? sed non est ita. Imo dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem, habui à DEO, sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lachrymis, & multa afflictione; dicendo, cogitando semper placita sibi, sicut sciebam & poteram; exceptâ sanctificationis gratiâ, quâ sanctificata fui in utero Matris. *Et addidit*: Pro firmo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem. Postquam autem dedimus DEO quæ per nos possumus, licèt sint pauca, ipse venit in animam, secum ferens ista altissima dona, quòd videtur anima in seipsa deficere, & perdit memoriam, & non recordatur se fecisse, vel dixisse aliquid DEO gratum, & tunc videtur sibiipsi vilior, & despectior, quàm unquam fuerit.))

Matth. 7.

Psal: 87.

Psal: 30.

V. apud S. Bonaventuram meditat: vitæ Christi c: 3.

Adverte Secundò. Nè terrearis arduitate viæ virtutis, neque sis ex illis, de quibus *S. Bernardus* inquit: Vident cruces nostras, &

& non vident consolationes nostras.)) Scias Christi jugum, & onus; esse quidem jugum & onus sed suave, & leve: *suave*; ob unctionem internam oleo balsami Cælestis, lenitionum solatiorumq; Spiritûs S.

S. Bern. In Dedicat. Eccl. Serm. I. „Hinc idem *Mellifluus Doctor*: Necesse est, ut vnctio spiritualis gratiæ „adjuvet infirmitatem nostram; observantiarum, & multimo„dæ pœnitentiæ cruces, devotionis suæ gratiâ liniens: quia nec „sine cruce sequi Christum, & sine unctione crucis asperita„tem ferre quis posset? Hinc est quòd multi abominantur & fu„giunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam „unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux „nostra inuncta est, & per gratiam Spiritûs adjuvantis, suavis & „delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo „nostra dulcissima.)) *Leve onus* Christi propter certas industrias in vita spirituali facilitantes & sublevantes pondus laboremque virtutis. Ejusmodi verò sunt: *1ma*: Memoria inexplicabilium malorum ex peccato in præsenti vita orientium; tum in futura

Sap: 5. gehennalis cruciatûs: juxta illud lamentum damnatorum: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Et

Matth: 25. illud Christi: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quantùm hoc verbum durum & asperum non leniet asperitatem pœnitentiæ, & mortificationis? *2da*; Memoria felicitatis & jucunditatis justorum vitæ hujus & futuræ quas non àbsterget amaritudines virtu-

2. Cor. 4. v. 16. tis? Quare Apostolus: *Propter quod non deficimus; sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur: tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* *3tia*: Memoria Summæ Majestatis, & Bonitatis Divinæ, dignissimæ, cujus honore, & amore, promptissimâ alacritate curratur via mandatorum ejus: Ubi enim amor ibi dulcis labor & do-

S. Bened: in prolog: Regulæ. lor. Unde *S. Benedictus*: Via salutis non est nisi angusto initio incipienda: processu verò conversationis, & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum DEI.)) *4ta*; Memoria Christi, Deiparæ, tot millionum Martyrum, Confessorum, Virginum, omnis ætatis, sexûs, statûs; qui regiam viam

Cæli

Cæli nobis planam exterentes, æternum triumphaturi, ingressi sunt Regnum Cælorum. 5ta; Discretus modus exercendi sese in virtute, ejus onus multùm alleviat, maximè in imperfectis; nimirum si non in pluribus simul, nisi in una priùs te perficias, deinde in secunda, posthac in tertia, & sic in aliis: quanquam perfectum exercitium unius virtutis includit & alias virtutes, propter intimam connexionem earum inter se. Deinde non in ipso mox initio perfectos, & heroicos actus illius virtutis practices: alioquin sublimitate rei oppressus manebis. A minimis incipe, & sensim ad perfectiora progredere. Nemo enim teste D. Bernardo *repente fit summus, sed gradatim quisq; ascendit.* Denique, ut brevibus claudam, consuetudo mala consuetudine bonâ vincatur, dicente eodem S. Doctore: *Quid non evertat consuetudo? quid humilit: non assiduitate duretur? quid non usui cedit? Primùm tibi importabile videbatur aliquid; processu temporis, si assuescas, judicabis non adeò grave; paulò post & leve senties; paulò post non senties; paulò post etiam delectabit.* *S. Bernardus Tract. de grad.* *S. Bern. de considerat. lib. 1. cap. 2.*

Adverte Teriò. Via, seu media virtutum quibus tendendum ad finem supernaturalem tum inchoatæ tum consummatæ (quæ est solius Patriæ, ad eamque & perfectissimi magis tendere & semper proficere debent) perfectionis, sanctitatis, beatitudinis, præsentis, & perennis; tum Cœlitum, ac Gloriæ DEI; aliqua omnibus, aliqua non omnibus, nec eodem modo omnibus conveniunt. Omnibus est necessarium exercitium Fidei, Spei, Charitatis, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, vel externo vel saltem interno actu, ubi, & quando opus fuerit; quanquam non omnibus congruat exercere externos actus aliquarum virtutum contentarum sub iisdem generalibus virtutibus. Sic v. g. Religiosus non valens exercere actus externos Misericordiæ corporalis, Magnificentiæ, Liberalitatis, &c. Sufficit actu interno illas datâ opportunitate practicet. Et quanquam sive omnibus, sive quibusdam, pro suo statu vel officio, idem genus virtutis prosequi conveniat, non tamen eodem modo. V. g. omnibus Sacerdotibus incumbit Divinum officium persoluere; sed aliis sine cantu, aliis cum cantu qui obligantur ad chorum; alii perfectiori, alii minùs perfectâ intentione peragunt. Deinde omnibus est necessaria Patientia, verùm non eodem modo exer-

cenda. S. Iob opulentus, patientiâ excelluit in damnis rerum temporalium; S. Franciscus pauper, talem patientiam exercere nequivit: cùm ex suppositione statûs Religiosi divitiis caruerit. Deinde Providentia Divina sicut in ordine naturali, ita potissimùm in supernaturali ex diversitate gratiarum, virtutum, donorum, eorumque varietate Modi, suavissimam inter electos concinnat harmoniam, ad inæstimabile decorum & oblectamentum supernæ Beatitudinis, & patefaciendam magnitudinem suæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis. Unde alios electorum in illis virtutibus, alios in aliis excellere voluit, alium in dilectione proximi, alium in patienta, alium in humilitate, alium in S. paupertate, vel obedientia, vel abstinentia &c. ut legentibus vitas Sanctorum manifestum patet. In solis Tentationibus quàm varius modus habeatur, appositè magnus ille spiritualium Director hæc affert: Quidam in principio conversionis suæ, graviores tentationes patiuntur, quidam autem in fine. Quidam verò, quasi per totam vitam suam, malè habent. Nonnulli satis leniter tentantur, secundùm Divinæ ordinationis sapientiam & æquitatem; quæ statum hominum & merita pensat, & cuncta ad electorum suorum salutem præordinat.)) Hæc ideo attulimus, quia licet ho c Opere Theologiæ spiritualis, virtutes, dona, aliasque DEI gratias, in genere & specie, quoad substaniam rei ferè omnes explicuerimus, ut quisque pro suo statu, officio, instinctu Spiritûs S. habeat in parato, quod ad exercitium virtutis assumat: Modos tamen earundem virtutum practicandi (quanquam horum plures in universali & particulari insinuaverimus) omnes, cùm sint innumeri, impossibile fuit, imo nec opus fuit hic porrigere. Id enim sibi reservavit Spiritus S. qui ubi vult, & *quomodo*, & quando vult, spirat ac inspirat, indicibiliterque in cordibus & actibus Electorum operatur.

Thom: à Kemp: de imitat: Christi c: 13.

Adverte Quartò Actus salutares practicari seu exerceri à Christianæ vitæ cultoribus solitos; quosdam esse Prioris, & Posterioris temporis; quòsdam Indeterminati temporis, quosdam Determinati; quosdam Omnis, quosdam Alicujus temporis; ut *infra* explanatum habes. Quare ex modo sequentibus allata ad praxim, modò omnia ad aliqua exercitia virtutum servire poterunt, modò plura, modò

Subsec: I. § 9. circumstantia Quando.

modò pauciora, prout opportunitas sese porrexerit, & prudentia determinaverit.

Adverte Quintò. Ea, quæ ad Praxim virtutum prodesse poterunt, in tres classes distinximus: Nempe in Antecedentia Praxim, in ipsam Praxim, & Consequentia Praxim actuum salutarium; quæ cùm sint omni vitæ melioris & beatioris dedito summè scitu necessaria, de iis paululum fusiùs agims.

Adverte Sextò. Etsi eadem antecedentia & consequentia praxim virtutum dirigantur ad aliquod aliud exercitium virtutis, quasi media ad finem, illudque consequuntur quasi accessorium suum principale; sunt tamen & ipsa Exercitia seu Actus virtutum, beneque & meritoriè fieri possunt, imo indefesso conatu & vigilantiâ nitendum, ut ita fiant, nè quid laboris & pretiosissimi temporis infructuosè ad æternitatis immensa lucra comparanda elabatur.

Adverte Septimò. Servientia ad Praxim, quæ sunt Generalia, seu quæ fere pro omnis virtutis exercitio valere possunt, hìc posuimus: Particularia verò cuique virtuti propria sub iisdem, suis locis infra vide.

SUBSECTIO I.

De Antecedentibus Praxim Actuum Supernaturalium seu Salutarium Virturis.

HÆc Antecedentia sunt Actus virtutis, quæ dicitur Studiositas (ut colligitur ex *D. Thoma*) nempe verbi DEI Auditio, 2. 2. q. 166. a. 1. Lectio, Studium, Meditatio: His enim actibus cælestis sapientia addiscitur: Tum actus Religionis, qui est Oratio: Tum actus fidei, & Spiritus S. donorum, intellectûs, scientiæ, & sapientiæ, qui actus sunt Contemplatio, seu Cognitio DEI & Divinorum, ac Cognitio suiipsius: nec non Memoria DEi & Divinorum. Tum denique Bona voluntas, quæ est universalis actus seu propositum serium omnium virtutum. Ratio ejusmodi dispositionis datur; Nam v. g. *Invocare DEUM*, qui est actus Religionis, quomodo exercebitur in praxi, seu juxta Apostolum: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei,* Rom: c. 10. eumque cognoscent per actus fidei & donorum Spiritus S. *quem non audie-*

audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? tum ipso per se loquente ad cor hominis intus, tum per suos prædicatores jam voce, jam scripturis ab extra ad sui cognitionem, amorem, cultumque invitante? Verùm quid prodest audivisse, vel legisse verbum DEI, si contingat illud non intellexisse? Necessaria est proinde *Meditatio*, & *Studium*, quo deveniatur in *Cognitionem DEI ac Divinorum, tum Suiipsius*; quam cognitionem insuper opus est impetrare per *Orationem*, ac tandem in ea cognitione morari per *Contemplationem*, imo assiduò esse *Memorem DEI* & legis Divinæ, ut in ea meditetur die ac nocte, quantùm fas homini in hac vita; At quia juxta Apostolum *non auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur*, ideo progrediendum ad *Bonæ voluntatis* pia proposita, tum eorum per actum Prudentiæ Coordinationem, ac tandem ad Virtutum in particulari ipsam Praxim & Operationem. Sed de horum singulis esto distinctiùs.

Epist. ad Rom. cap. 2.

§ I.

De Auditione, & Lectione verbi DEI.

AUditio verbi DEI, est *Actus intenti animi, quo percipiatur id, quod ore Prædicatoris profertur, tanquam Divino ore prolatum, ad mysteria fidei credenda, & recta operanda.* Etsi clara hæc sunt, tamen placet aliquid adjicere. Dicitur: *Ad mysteria fidei credenda, & recta operanda.* Nam ut mellifluus Doctor supra illud: *Qui ex DEO est, verba DEI audit*, ita discurrit: Nonnullos enim sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, nè fortè quod audiunt dictum sit propter eos. Magis autem si forte sermo DEI vivus & efficax (qui suo & non ejus qui loquitur arbitrio fertur, quocunque voluerit) si inquam, manifestè adversus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor, ne fortè propterea *non audiunt verbum DEI quia non sunt ipsi ex DEO.*))

S. Bernar: ser: 1. in septuag: Joan: c: 8.

Lectio, est sedula scripturarum animi intentione inspectio: Ita Hugo Carthusianus.

In scala Claustrali inter oper: S. Bern:

Incen-

Incentiva diligenter & fructuosè audiendi legendique verbum DEI. *Prim.* Ut consolatoria ita terrifica sunt illa quæ Christus dicit: *Qui ex DEO est, verba DEI audit* (id est efficaciter usque ad opus) *propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.* Et illud: *Non auditores legis justi sunt apud DEUM; sed factores legis justificabuntur.* *Johan: 8.*

Secundum. Verbum DEI admirandos effectus ipsamque beatitudinem operatur, ut patet ex modo dicendis à S. Bernardo supra illud Luc: c. 11. *Beati qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud.* Vultis nosse, quam beati? Primum quidem sonans in auribus animæ vox Divina conturbat, terret, dijudicatque; sed continuò si benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoque & consummatio nostra.)) *Serm: 25. de verb: Volo primum fieri obsecrationes.*

Tertium. Verba DEI instar stimulorum urgent ad bonum, & altâ mente reponuntur. Unde Eccl. dicitur: *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.* Clavis ac stimulis verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. *Eccl: c. 12.*

Quartum. Verbum DEI est cibus animæ Hinc scriptura. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore DEI.* Et *B. Gregorius* ait: Verba DEI quæ aure percipitis, mente retinete: cibus enim mentis est sermo DEI, & quasi acceptus cibus â stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur: sed quisquis alimenta non retinet, hujus profectò vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est alimenta justitiæ in memoria non tenetis.)) *Matth: 4. S. Greg. hom: 15. in Evang.*

Quintum. Verba DEI sunt fructus vitæ, imber cælestis. Eleganter de his *S. Bernardus* disserens ita: Verùm ego unum timeo, ne toties audita verba salutis vilescere nobis incipiant tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aërem verberat, unde & verbum dicitur; & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & non est qui considerat. Nemo vestrum Fratres sic accipiat, imo nemo sic despiciat verbum DEI. Dico enim *Serm: 2. in fest: SS. Petri & Pauli.*

vobis: bonum illi fuiſſet ſi non audiiſſet homo ille. Fructus vitæ ſunt verba DEI non folia: & ſi folia ſed aurea ſunt. Proinde non parvipendantur, non pertranſeant, non prætervolent. Ipſa quoque colligite fragmenta, ne pereant. Terra enim quæ ſæpius ſupervenientem ſuſceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba eſt, proxima maledicto. *Et paulo post*: Hæc idcirco dicta ſunt Fratres, ut noveritis, quàm benignè audiendum ſit, quàm devotè ſuſcipiendum, quàm ſollicitè conſervandum, quidquid ad animarum ſalutem pertinet, & non ſicut verbum hominum, ſed ſicut, quod verè eſt, verbum DEI, ſive illud conſolatorium, ſive commonitorium, ſive increpatorium audiatur.))

Sextum. Multiplicia bona quæ affert lectio. Nam juxta
Greg. regiſt. D. *Gregorium* ſi ad conſolationem noſtram ſacra ſcriptura parata
lib. 2. ind. 10. eſt, tantò magis debemus legere, quantò nos conſpicimus ſub
c. 37. cir. me. tribulationum faſce laſſari. *Idem.* Scriptura ſacra mentis oculis, quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interna noſtra facies in ipſa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus quantùm proficimus, ibi docemur, à profectu quàm
Idem lib. 2 longè diſtamus. *Idem*: Scriptura narrat geſta Sanctorum, & ad
mor. c. 1. in imitationem provocat corda infirmorum, dumque illorum victri-
prin. cia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia noſtra confirmat. Lectio docet quid caveas, lectio oſtendit, quò tendas,
S. Auguſtinus lectione ſenſus augetur, & intellectus. *S. Auguſt. inquit*: Tanta eſt
in Epiſtol: Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.))

Septimum. Ab Exemplo Chriſti: quem duodennem Beatiſ-
Luc. c. 2. ma Virgo cum S. Joſeph invenerunt in templo *in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*

Octavum. Ab exemplo Deiparæ: quæ juxta eundem Evangeliſtam *conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo* (id eſt à Chriſto audita.)

Lu. 10. *Nonum. Maria Magdalene ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* Unde collaudata a Domino dicente: *Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Deci-

Decimum. B. Fulgentius Ægyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, institutionum simul atque collationum spirituali meditatione succensus memoratas terras navigio petere statuit, ut vel ibi sub regula viveret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. *Bollandus in vita I. Jan.*

Undecimum. Quidam frater dixit ad senem: Ecce Abba frequenter interrogo seniores Patres ut dicant mihi commonitionem pro salute animæ meæ, & quidquid dixerint mihi, nihil ex ipsis retineo. Erant autem seni duo vasa vacua; & dixit ei senex: Affer unum ex illis vasis, & mittens aquam lava illud & effunde, & pone illud nitidum in locum suum. Fecit ergo ità Frater semel & bis. Et dixit ei senex: Utraque vasa simul affer. Et cùm attulisset, dicit ei senex: Quale ex utrisque mundius? Respondit Frater: ubi aquam misi & lavi. Tunc Senex dicit ei: sic est & anima fili, quæ frequenter audit verbum DEI: quamvis enim nihil retineat ex his quæ interrogat, tamen plùs mundatur, quàm illa quæ non requirit. *Ex lib. sent: Patrum § 168.*

Aliud. Narrat Iacobus de Vitriaco: quòd erat quidam rusticus, qui nunquam volebat audire verbum DEI. Qui cùm esset mortuus & ad Ecclesiam delatus, & sacerdos, & alii clerici officium funerale legendo & cantando facerent, imago Crucifixi cœpit obturare aures suas manibus à cruce retractis. Quod cùm omnes circumstantes aspicerent, & mirarentur, ait sacerdos ad populum: Vos scitis quòd iste nunquam voluit audire verbum DEI, & ideo est nunc in manu diaboli, propter quod DEUS obturavit aures suas, nè audiat preces, quas pro eo fundimus. Sicque intermittentes orationes pro eo tanquam damnato, corpus eius in agro cum bestiis sepelierunt. *Jac: de vitriac: ser: 180. & Raulinus ex eo.*

Aliud Infirmo facto quodam magno Prædicatore, diabolus in specie Fratris hospitis superveniens, obtulit sese ad faciendam concionem. Unde aliquantùm se præparans iubet dari signum ad convocandum populum. Quo facto, & populo innumerabili congregato, ascendit frater diabolus ambonam. Advenerat autem tunc ad prædicationem vir Sanctus, qui videns ascendere illum pulpitum, & cognoscens esse diabolum, obstupescit: nihil tamen alicui dicit, sed expectat finem videre. *S. Antonins par: 2. sum: Theol. tit: q. c. II. § unico.*

Cœpit frater diabolus prædicare de bonis Paradisi, de pœnis inferni, de peccatis & miseria mundi, & illa perduntur, & inferna sequuntur: & cum tanta efficacia & rationibus, quòd omnes commovit ad lachrymas & compunctionem. Finitâ prædicatione, illi occurrit vir sanctus & vocans eum ad partem, ait: O miser & deceptor hominum te agnosco, quomodo præsumpsisti tantum officium Christi & Apostolorum usurpare? Et si specialem causam nesciam scio tamen, nisi ob malam intentionem non egisti. Unde adiuro te per Deum vivum; ut dicas causas huius operis. Tunc frater diabolus ait: Adiuratus tacere non possum causam, assumptâ, ut vides, specie fratris & prædicatoris populo prædicavi. Causa autem est ista: Ecce audisti, quot & quanta bona dixi de gloria Paradisi, & de pœna inferni, & de peccatis horum populorum, & vidisti, ad quantum luctum permoti sunt: scio mores eorum, sed parum temporis transibit, & obliti omnium verborum, nil facient de his, quæ proposuerant se agere. Et inde omnia verba audita erunt eis ad maius iudicium. Quo dicto evanuit.

Praxis Audiendi vel Legendi verbum DEI est 1. Ad DEUM præmittere ferventem oratiunculam pro captu & intelligentia verbi Divini, ex eoque fructum capiendi: quod sub ipsa quoque auditione vel lectione brevi aspiratione subinde faciendum: ac in fine quoque oratione concludendum. 2. Humiliter & diligenter auscultare, vel lectioni incumbere; ac lecta juxta modum infra positum ruminare. 3. Ex auscultatione vel lectione Divinorum magis fructuosa & sibi proportionata in memoria recondere; & Actus Affectusque pios elicere modo infra sub meditatione dato. Hoc pacto est fructum decerpere spiritualem ex auscultatione vel lectione sacrorum eloquiorum.

§. 3.

§. II.
De Collatione Spirituali.

Hæc & sequentia P. Iulius Nigronius. Tra: Ascet 3. c: 1.

C*ollatio est collocutio plurium, de rebus ad salutem ac perfectionem pertinentibus, à præfecto spiritus directa.* Collatio dicitur: Quia est in genere mutui sermonis. *Plurium*, ut distinguatur à dialogo, qui duorum est colloquium. Verba sequentia, *De rebus ad salu-*

salutem & perfectionem pertinentibus, tum exprimunt materiam collationis, tum distingvunt à collatione tractante res, quibus vel oblectatur ingenium, vel mens eruditur, vel instruitur animus ad res agendas. Additur, *A præfecto spiritus directa*: quia spiritualis hæc collatio benè fieri vix potest, nisi Magister intersit, & verò etiam præsit, qui rem totam, interrogans, respondens, tempus cuique ad dicendum præscribens, dirigat, ordinet, moderetur. Atque ut hæc clariora reddantur, subjiciam hoc loco rationem ac formulam hujus collationis, quam majores nostros secutos video, non dissimilem à multis paradigmatibus, quæ dedit in literas in Belgio Joannes Crombetius in opere de studio perfectionis. Dato signo conveniunt omnes in designatam exedram: ubi consederint, Magister spiritualis, qui huic exercitationi præest, quæstionem aliquam primùm discutiendam proponit. Exempli gratiâ: Quibus armis vincatur hæc, vel illa tentatio dæmonis? Quâ ratione fraterna charitas inter domesticos Religiosos, sine ulla simulatione alatur? Quibus fulcimentis regularis disciplina in pristino vigore retineatur? Quæ incitamenta studium orationis promovere atque accendere queant? Quibus nutrimentis conservetur tyrocinii fervor in probationis domicilio conceptus? Quâ comparetur arte patientiæ virtus? Quo fræno cohibeatur insana lingvæ volubilitas? Quot sint, quamvè magni fructus silentii Religiosi? Deinde interrogat singillatim non omnes, sed quos aptiores ad respondendum duxerit quid ea de re legerint, audierint, sentiant? Non enim Philosophi tantùm, Pythagoras, Socrates, Arcesilas sciscitando docebant, & tanquam obstetrices ingeniorum ad pariendas res conceptas provocantes adjuvabant; sed etiam Christus mundi Salvator & Doctor; qui puer senes Doctores interrogabat, non discendi gratiâ, cùm omnia nosset, sed erudiendi, quemadmodum Origines observavit: quòd ab eodem fonte sapientiæ fluat scientia benè interrogandi, & scitè respondendi. Sive, ut loquitur B. Alchuinus, de hoc Pythagoræ ac Salvatoris more disserens: Sapientèr interrogare, docere est. Tum idem Magister præsidens, quasi obstetrix spiritualis, dicentem adjuvat, aliquid suggerendo; metuentem laude confirmat; interpretatur in meliorem sensum, quæ minùs scienter enunciavit; reducit in viam rectam ab ea deflectentem, lucem dat obscuris, roborat

Joan. Cromb. lib. 2. de stud. perf. cap. 32.

Plato in Theæ. Cic. lib. 2. de finib.

Orig. hom. 29. in Luc. 2.

roborat benè dicta, rationibus novis, aptis exemplis, scripturæ sacræ testimoniis. Postremò colligens atque expendens omnium sententias, definit, quid sit sentiendum & exequendum (quemadmodum faciebat S. Antonius,) addens, si placuerit, ac per semihoram licuerit, brevem adhortationem ad ea præstanda, perficienda, & exequenda diligenter, quæ discussa & definita fuerunt.

Luc: c: 2. *Cassiod: lib: 1. de amic:*

Motiua ad Collationem spiritualem faciendam. Præter exemplum supra allatum de Christ *sedente in medio Doctorum, audiente illos, & interrogante eos:* Casiodorus hæc de Paulo & Barnaba refert: Gratissima erat Fratribus Antiochenis Pauli & Barnabæ præsentia corporalis, quorum doctrinâ, quorum collatione & disputatione, formabantur in fide. *S. Chrysostomus:* Quoniam se quisque per seipsum emendare non facilè potest, faciamus sodalitia, & collationes; & quod in conviviis pauperes faciunt, quoniam non potest quisque solus convivium exhibere perfectum, convenientes omnes ex symbolo convivium conferunt. Hoc & nos faciamus, postquam per nos ipsos torpidi sumus, collationes facientes inter nos, consilium spondeamus conferre & monitionem, & exhortationem, & increpationem, & minas, ut ex singulorum studio omnes rectè agamus. *Cassianus:* Sæpè autem accidit sive illusione diaboli, sive intercessu erroris humani, quòd nullus est in hac carne, qui falli, velut homo non possit; ut ille interdum, qui acrioris ingenii scientiæque maioris est, aliquid falsum mente concipiat, & ille qui tardioris ingenii, ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusque persentiat. Et idcircò nullus sibi, quamvis scientiâ præditus, inani tumore persuadeat, quòd possit collatione alterius non egere.)) *P. Nigronius citans Carolum Scribanum* ait eodem assertore, quòd Conferentia facit habiles colloquiis spiritualibus; tum in animi relaxatione cum domesticis, tum in congressibus extraneorum, cùm illi vel nos adeunt, vel vicissim adeuntur. Inde sperat remissiones animi & collocutiones Religiosorum fore simillimas Collationibus veterum Patrum: congressionesque cum externis fore pariter fructuosas: quia mens excitata, & lingua exercitata spiritualibus sententiis audiendis dicendisque per omnem occasionem effundet sapientiam spiritualem, & audientes ad Divinum amorem inflamma-

S. Chrysost: hom: 11. ad pop:

Cass. Coll. 16. c. 12.

Nigron: Tract: ascet: 3. c. 3. Car: Scrib: l: 2. super relig: c: 14.

ma-

mabit. Insuper alia utilitas ab eodem indicatur, si superior collationi præsit. Cognitio scilicet intima subditorum, quæ tantoperè gubernationi rectæ necessaria est. Intelligit enim ex unius cujusque sententia, quis sit eius animi sensus; quo spiritu ducatur; quàm peritus doctrinæ spiritualis, quàm amans perfectionis, num rectâ viâ probatorum magistrorum calcatâ, vestigiis gradiatur; & alia his similia; quibus cognitis potest cænobii rector unumquemque vel errantem in viam reducere; vel recta pergentem incitare ad majorem perfectionem; vel benè peritum aliorum præficere magisterio. Aliam denique utilitatem asserit esse facilitatem meditandi. Nam in collatione nascitur ampla materia piorum affectuum, sanctorum sensuum copia & exemplorum, cùm documentis, quibus mentes rudes, & ad inuentionem steriles fœcundantur. Plura videantur apud eundem optimum magistrum. Addo pro corollario videri adesse in collatione omnia ferè commoda exhortationum, & abesse incommoda quædam, cuiusmodi est molestia ex unius oratione continuata. Varietas enim conferentium maximè delectat, tollens similitudinem matrem satietatis. *Hactenus Nigronius.*

Ad Praxim spiritualis conferentiæ præter dicta in eius descriptione, hæc aptissima *ex citato Authore* accipe. Ut enumerati fructus colligantur, nonnulla Præfecto collationis obseruanda sunt; pauca item aliis congregatis. Præfecto quidem tria sunt attendenda, præter ea quæ dixi *de exhortatione* quorum multa cadunt aptissimè in hunc moderatorem collationis; ut delectus argumenti tractandi, decori ratio, simplex locutio, sermo corda invadens, & alia ejusmodi. 1. Est, ut brevis sit & præscriptum tempus non excedat. Legimus quidem apud Cassianum collationem de discretione, Beato Antonio præside ac Magistro, protractam fuisse à vespertinis horis usque ad lucem sequentis diei, & circa eam quæstionem maximum noctis spacium fuisse consumptum. Apud S. Dorotheum tres horæ in hujusmodi exercitationibus positæ dicuntur. Verùm anachoretæ illi raro conveniebant ad collationes; & monachi sibi tantùm attendentes, plus temporis habebant, quod in eas impenderent. Religiosi nostri ævi vitæ mistæ, proximis quoque serviunt, student doctrinis impensiùs

Julius Nigro: ibidem c. 4.

Idem ibidem Tract: 2. n. 23. & seq.

Cass: coll: 2. c: 2.

S. Doroth. ser: 11.

ùs ac diutiùs: proinde parciores eos oportet temporis esse, ut nulli muneri suâ parte desint. Clerici Regulares sancti Pauli horam collationi tribuunt, alternis tamen hebdomadibus. Nos semihoram illi damus ordinariè, ubicunque fiant; quæ tamen in Domo probationis frequentiores sunt, & interdum longiores in tertia probatione. 2. Monitum est, ut collatio quàm maximâ prudentiâ condiatur, habitâ ratione loci, temporis, personarum, gravitatis, ac doctrinæ. Loci quidem habenda est ratio, quia materia tractanda, & modus ipse tractationis diversus esse debet pro varietate locorum & domiciliorum; spectandumque sitne domus, ubi novitii educantur, an ubi probantur sacerdotes? utrum sit studentium adolescentium seminarium, an senum domicilium? Non omnibus omnia conveniunt. Tempus quoque spectandum est à prudente Præfecto, qui præsenti necessitati Religiosorum prospiciat, occurrens per collationem impendenti alicui periculo, vel relaxationis disciplinæ, vel teporis in spiritualibus exercitiis, vel otii sese insinuantis, prout viderit expedire. In personas quoque intendendus est animus, cum interrogentur: ne si vir simplex, aut idiota per inscitiam aliquid perperam dixerit, & in conferentibus risus excitetur, & ipse risum videns nimio rubore suffundatur. Quam ob causam Præfectus, ut gravitatem eam in collatione retineat, quæ rebus seriis debetur, sit accuratus & diligens in confirmandis metuentibus, in contentionibus avertendis, & in iis omnibus præstandis, quæ supra diximus in paradigmate collationis. Denique in sententiis seligendis, in re proposita sequendis; sequatur doctrinam sanam, tutam, communiter à Theologis receptam; non singularem, non abstrusam, nec à Majoribus in rebus spiritualibus reprobatam. Ut prædictorum omnium faciliùs habeatur ratio per prudentiam; & vitentur significata incommoda metus, ruboris, risus, non idonei omnibus argumenti, quæ in collatione doctorum & indoctorum, clericorum & laicorum existere possunt: exoptat Scribanus, ut collationes in tres classes dividantur. Prima constet è Sacerdotibus, & paulo post sacris initiandis: secunda è clericis junioribus, qui doctrinis student: tertia sit laicorum. Quàm verò necessaria sit in collatione Magistri docti præsentia & authoritas, intelliget lector ex hac Jose-

phi

Cler: S. Pauli l: 2. Const: c: 10.

Reg: 71. 72. mag: novit:

Scrib: lib: 2. sup: Relig: c: 14.

phi apud Casſianum narratione: Cum in unum convenientes, „ sententias noſtras promere cœpiſſemus (*de moralibus diſciplinis &* „ *ſacris ſcripturis*) quædam communi examinatione diſcuſſa, pri- „ mum ab altero falſa ac noxia notabantur, mox deinde ut pernici- oſa communi pronunciata judicio damnabantur, quæ in tantum „ prius infuſa à diabolo velut luce fulgebant, ut facilè potuiſſent „ generare diſcordiam, niſi præceptum ſeniorum, velut quod- „ dam Divinum oraculum cuſtoditum ab omni contentione nos „ revocaſſet. Hactenus Joſeph. Unde habemus impendentem di- ſcordiam è diverſitate ſententiarum, à docto aliquo ſeniore per anticipatam definitionem à collatione fuiſſe repulſam. 3. Moni- tum eſt, ut in collatione Religioſorum, qui Marthæ miniſteriis addicti ſunt, ſervetur documentum Umberti præcipientis; ut ex iis quæ ſunt accommodata captui eorum, *Semper pauca dicantur eis una vice.* Rectè monet: quia quæ captum excedunt, non capiun- tur; præ eorum, quæ capere queunt multitudine, adeò non implen- tur anguſta vaſa, ut etiam parum, aut nihil accipiant. *Et paulò in- fra:* Nec deterioris conditionis eſſe poteſt, doctrina Chriſti quàm Philoſophorum: de qua L. Seneca *Plurimùm proficit ſermo, qui mi- nutatim irrepſerit animo. Pauca ſunt quæ dicuntur; ſed ſi illa animus be- ne exceperit, convaleſcunt & exurgunt.* Condit & confirmat omnia prædicta S. Gregorii Nazianzeni ſententia qui quærens de qui- buſnam rebus Divinis & quatenus eſſet coram aliis diſputandum ſibi ipſe reſpondens ait: De his ſolùm, quæ ingenii noſtri modu- „ lum, atque audientis captum non excedunt: ne alioqui, ut nimia „ novis intentio, atque immodicus cibus aures & corpora labefa- „ ctat; itemque ſarcinæ viribus graviores bajulorum humeros, ac „ crebriores pluviæ terram opprimunt: ita etiam auditores, quæ- „ ſtionibus gravioribus ac durioribus oppreſſi atque confecti, „ priſtinas quoque vires amittunt.))

Caſſ: Col: 16 c. 10.

Umb: l: de in- ſtr: offic: c. 6.

L. Sen. Epiſt. 38.

S. Nazian. orat. 33. § 15.

Cæteris conferentibus tria ſervanda propono, præter ſi- lentium, attentionem, vigilantiam, modeſtiam, alacritatem, & ſimilia, quæ in auditione exhortationis præſtanda ſunt: Pri- mum ent, ut qui ſententiam rogati loquuntur, magnâ ſimplici- tate atque humilitate utantur: Omnem prorſus vitantes oſtenta- tionem & doctrinæ, & eloquentiæ. Colligitur hoc monitum

ex veteribus monachis apud Philonem, qui narrat ab illis consuevisse fieri qnandam spiritualem exercitationem â prandio, quæ nostram collationem adumbrare ac referre videtur; ubi habet

Philo. li. de vita contemp.

„ hæc verba: Proponit quispiam quæstionem è sacris literis, aut „ soluit ab alio propositam, nihil de solutione solicitus. Nec „ enim captat laudem argutiarum, aut eloquentiæ. Hoc tantùm „agit, ut rem diligentius perspiciat, tum perspectam non invi„ deat minùs perspicacibus, sed non minùs discendi cupidis. Pla-

Cassi: coll. 14. *c:* 9.

„ nius apud Cassianum Nesteros: Nihil itaque in collatione se„ niorum proferre audeas, nisi quod interrogare te aut ignora„ tio nocitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit; ut qui„ dam vanæ gloriæ amore distenti, pro ostentatione doctrinæ ea „ quæ optimè norunt interrogare se stimulant). His congruen-

Cleri. S. Pauli lib. 2. *const. c.* 10.

ter Clerici S. Pauli constituunt, ut *Interrogati non tanquam scholastice disputantes, sed ad vitam & usum quotidianum accommodatè respondeant.* Alterum est, ut æquo animo ferat, ac sine stomacho, imo & sine ullo gestu corporis nutuve oculorum, qui contemptum, aut nauseam significet, si quando sæpius audita & decan-

Cass. coll. 14. *c.* 15.

tata repetantur. Idem Nesteros apud Cassianum nos hujus rei „ monet his verbis: Illud omni observantia custodire te convenit, „ ut etiamsi ea, quæ optimè nosti, fortè audieris in collatione „ proferri, non ex hoc, quòd tibi jam nota sint, aspernanter fa„ stidiosèque suscipias, sed ea cordi tuo illâ aviditate commen„ des, quâ debent desiderabilia salutis verba, vel auribus nostris „ indesinenter infundi, vel de nostro jugiter ore proferri. Quam„ vis enim adhibeatur sanctarum rerum crebra narratio, nun„ quam tamen animæ sitim veræ scientiæ sustinenti satietas gene„ rabit horrorem, sed ea quotidie velut nova ac desiderata susci„ piens quantò frequentiùs hauserit, tantò avidiùs vel audiet, vel „ loquetur; & confirmationem potius perfectæ scientiæ ex eorum „ repetitione, quàm ullum ex frequenti capiet collatione fastidium. Hactenus Nesteros, qui subdit, hanc nauseam teporis ac su„ perbiæ indicium esse cum ait: Evidens namque est tepidæ ac „ superbæ mentis indicium, si verborum salutarium medicinam

Prov. 27. *juxta LXX.*

„ quamvis studio nimiæ aviditatis ingestam, fastidiosè negligenterque suscipiat. *Anima enim quæ in satietate est favis illudit; animæ autem*

autem egenti etiam amara dulcia videntur. Eadem æquitas animi, & vultus ſerenitas retinenda eſt, cùm aliquis è ſodalibus conferentibus lingvâ memoriâve lapſus fuerit, aut cùm per imprudentiam, vel inſcitiam rem quampiam minus aptè feliciterve explicaverit. Poſtremum eſt quod monet S. Iſidorus, contentio in collatione vitetur omninò, quæ illud boni deſtruit, quod conſtruit ipſa collatio. Verùm ſi Præfectus adſit, & non niſi unus loquatur ab eo juſſus, nec altercatio verborum, nec contentio in collatione poteſt exoriri. *Hucusq; Nigronius.* *S. Iſid. lib. 3. ſent. c. 14*

§. III.

De Meditatione, ſeu Oratione mentali.

MEditatio, *eſt diſcurſiva inquiſitio veri, tùm boni ſupernaturalis; ad ei inhærendum intellectu, & affectu.* Dicitur; *diſcurſiva inquiſitio*, ſcilicet dum ratio aliquam veritatem inveſtigans, eam nititur reperire per viam ratiocinationis, unum inferendo ex alio. Dicitur; *veri tum boni ſupernaturalis*; quia hoc eſt objectum circa quod verſatur meditatio ſpiritualis, nempe verum & bonum, hominis vires excedens, pro homine tamen à DEO deſtinatum. Et tale verum & bonum ſunt ea, quæ continentur in Myſteriis fidei. Dicitur; *ad ei inhærendum intellectu, & affectu.* Et hic eſt ſcopus & potiſſimus fructus Meditationis, nempe agnitæ veritati ſupernaturali intellectu per aſſenſum fidei, vel alium, inhærere, tum agnitum bonum ſupernaturale affectu amoris, deſiderii, &c. complecti, *ac exindè falſum, & malum morale, refugere.* Jam verò quia arduum eſt quærere & invenire Vera & Bona ſupernaturalia, ablegatisque apparentibus, bonis & veris inhærere; ideo ubique Oratione opus pro Cæleſti lumine, & ardore, ante, ſub, & in fine Meditationis, pios affectus Orationis, Amoris, Deſiderii, &c. eliciendo ad DEUM, Deiparam, ac Cælites. Unde hanc ob intermixtam Meditationi Orationem, aliosque affectus, ſeu mentis in DEUM elevationem, Meditatio ſpiritualis vocatur Oratio mentalis.

Incitamenta ad Studioſè & utiliter mentali Orationi incumbendum. I. Pſalmiſta ait: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit: ſed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac no-* *Pſalm. I.*

ctę. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Et folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Item: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Ignis inquam non consumens, sed illuminans, sed suaviter ardens, sed potenter sursum ad cælestia ferens.

Psalm. 38.

B. Isid. de sum. Bon. lib. 3. c. 8. *2dum.* Quia ut *B. Isidorus* asserit: Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit, quæ enim nescimus ex lectione discimus, meditationibus conservamus.))

3tium. Quia ad Contemplationem, in qua est sita tota felicitas & beatitudo nostra, viâ ordinariâ non pervenitur nisi per meditationem. Stat quippe indefectibiliter Divina sententia: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Contemplatio verè panis cælestis confirmans cor hominis, solidusque perfectorum cibus. Unde labore meditationis & mortificationis conquiri debet.

Gen. cap. 3.

4tum. Ob accensa in Meditatione desideria major in Cælo requies possidetur. Hinc *S. Gregorius* ait: Stude quæso, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor DEI in verbis DEI, ut ardentiùs ad æterna suspires, ut mens tua ad cælestia gaudia majoribus desideriis accendatur. Tantò enim tunc major ei erit requies, quantò modò ab amore Conditoris sui requies nulla fuerit.))

S. Gregorius in regist. lib. 4. ind. 13.

5tum. Ab exemplis: De Isaac Patriarcha scribitur, quòd *egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die.* Et Rex David de seipso: *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Item: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.* Item: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Denique Israelitico populo demandatum. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Quæ hìc excusatio non dico Spiritualibus personis, verùm & occupatissimis Secularibus Christianis ab exercitio Meditationis? ponderet quisque

Gen. cap. 24.
Psalm. 62.
Psalm. 142.
Psalm. 18.

ex

ex allatis exemplis Isaac Patris familias, David bellis & gubernatione amplissimi Regni plurimùm distracti, Populi Israel planè carnalis, terræ & mundo affixi. Videant Christiani, nè in illa die seuerissimi Iudicii eos confundant Iudæi, quòd adeo necessarium salutis medium propriæ Recollectionis, & Meditationis mandatorum & legis Divinæ, Mysteriorumque fidei Christianæ minùs curaverint.

Praxis Circa mentalem orationem est. 1. Ante Meditationem præfigere sibi scopum & fructum quem intendit capere ex meditatione. 2. Prælegere & parare materiam meditandi quæ sit proportionatum medium ad illum fructum assequendum: ut V. g. si odium peccati adipisci quis cupiat; ad illud excitandum conveniens motiuum adhibeat uti gravitatis & fœditatis peccati, &c. 3. Initio meditationis summâ reverentiâ & fervore DEUM, B. Virginem invocare pro felici successu meditationis. 4. Sub ipso decursu meditationis, evagationes mentis placidè rejicere; ubi gustum fructumque in aliquo puncto meditationis senserit, ibi immorari diutiùs, etsi alia puncta proposita meditationis contigerit non perficere: pium affectum, quem intendit assequi, tum alios exorientes devotionis motus subinde elicere. 5. Sub finem meditationis elicere illos actus & affectus quos antea intendebat pro scopo & fructu meditationis habere; nunc ad DEUM, nunc ad DEIparam, modò ad Cælites colloquia sacra instituendo in proponendo, orando, gratias agendo, obsecrando: modò seipsum excitando, increpando, animando: &c. juxta similem formam, quam sequenti Puncto subnecto. 6. Jn Communitatibus videtur magis proficuum esse, quòd unus materiam meditationis & fructus (incipiendo à via purgativa, per illuminativam, ad unitivam) punctatim & clarè ac distinctè prælegat aliis meditantibus. Quotusquisque enim est, cuius sub tempus meditationis anima præ tædio & torpore non dormitet? vel sciat materiam meditandi congruam seligere, fructum ex ea decerpere? Nisi sint omnes perfecti; vel singulis Superior aut Magister spiritualis Materiam, Formam, Fructum meditationis præscribat, eiusque rationem & effectum deinde à meditantibus exquirat.

quirat. 7. Peractâ meditatione, breviter examinare; sin benè successerit, DEO gratias agere, sin minùs, deprecetur offēsam DEI, & imperfectionem suam accuset. 8. Applicatos quinque sensus, aut communem sensum habere ad meditata per diem, & aliàs usque ad alteram meditationem: ut V. g. si instituěras meditationem de inferno, postea reliquo tempore, ut commodè poteris; imaginaberis tibi quasi oculis videres stagnum illud ignis & sulphuris stridentibus flammis latisſimè in sublime ebulliens, innumerosque damnatorum iam in altum jam in profundum vi ignium rotantes. Applica auditum, ad horrendisſimum quasi tonitruum mugitum ac strepitum, stridores & collisiones flammarum, horrisonos clamores, gemitus, lamenta, totumque ac si perciperes auribus rugire infernum. Applica gustum ad fel aspidum & venenum insanabile, quo potantur illi infelices ex calice iræ DEI. Applica odoratum ad foetores intolerabiles: Tactum, quasi sentires cruciatus & ardores ignis penetrantisſimi inextinguibiles. 9. Fructus Meditationis seu actus & affectus illius virtutis subinde per diem elicere in ordine ad quam virtutem comparandam vel exercendam eos adhibueras pro motivo meditationis.

Materiam Meditationis pro via Purgativa, Illuminativa, Unitiva, dispositam infra in Indice pro Spiritualibus invenies.

Punctum unicum.

Modus Fructum decerpendi, seu Actus & Affectus pios eliciendi, sub, vel post Meditationem, aut Lectionem Spiritualem.

AD Lectionem, aut Meditationem Viæ Purgativæ, seu Incipientium propriam, eidem Viæ convenientes Actus & 1.2.t.2.c.5. Affectus virtutum (quarum cur talis sit hìc facta combinatio & coordinatio alibi vide) in similem formam excitabis.

I. *Ad Lectionem, vel Meditationem de ultimo Fine hominis* (qui est sua Beatitudo in Patria Cælesti, ad quam refertur Judicium DEI favorabile, & carentia Purgatorii) *pii Actus & Affe-*

Affectus. Quid eſt ò anima mea? itane tota mundi creatura condita eſt propter hominem, in ejus moderatum uſum, & multiplex ſubſidium; homo verò creatus, Chriſti ſangvine redemptus, gratiâ DEI juſtificatur, ad posſidendam cæleſtem Beatitudinem, tum ad promovendam Gloriam DEI & ſuorum Electorum? Igitur ò homo! cucurriſtine ad hunc finem tuum ultimum per ejus rectam intentionem, & per praxim ſalutarium virtutum? Heu! non cucurri: quomodo enim currerem, qui in tenebris ignorantiæ meæ neſcivi, *Quò* mihi, & *Quomodo* pergendum? imo, ut adverto, aberravi à Regia Cæli via, in devia & præcipitia peccatorum, ut mirum ſit, quòd necdum me abſorbuerit urgens os putei ſeu abysſi infernalis. Quaſi unus è ſtultis (quorum nunc cerno infinitum eſſe numerum) putabam me optimè procesſiſſe, & ecce verè pergebam quò neſciebam, donec perveni ad portas inferi. O Finis meus! O gloria cæleſtis beatitudinis! cur te penitiùs non cognovi? Cur te quaſi per umbram quandam vix ſomniavi? cur te vix frigidè, vix unquam deſideravi? Tu es omnium bonorum pelagus immenſa: tu ſummum & infinitum contines Bonum: tu omnis amoris, deſideriorum, gaudiorum centrum, conſummatio, perfectio. O infelicitatem meam! O extremam ſtultitiam meam! deviare à perenni felicitate ad perenne exitium. Quid ergo? Nonne contremiſcis, ut priusquam reducaris ab errore tuo in viã rectam, interim DEUS erumpat vitam tuam, & deſcendas promeritum in infernum? Hinc noli nectere ampliùs moras, ſed jam ab hoc momento cum illo Publicano Evangelico ne ceſſes pectus tuum percutere dicens; *DEUS propitius eſto mihi peccatori.* (Omnis enim quicunque invocaverit Nomen Domini ſalvus erit) Et progredere ad ſequentia ſacrarum Lectionum & Meditationum, actuumque & affectuum eliciendorum aliaque virtutum exercitia, quibus illuminatus & permotus, cognito clariùs errore ac exitio tuo, quantocyus reducaris ad Regiam Cæli viam. *Rom. 10.*

Ad Lectionem, vel Meditationem de Puritate, II.

(qui eſt ſupernaturalis Finis intermedius: reſpectu quidem actualis exercitii virtutum eſt Finis; reſpectu vero ultimi Finis homi-

nis est Medium) *pii Actus & Affectus.* Hæccine est via & non est alia in Patriam cælestem? hoccine Medium Puritatis à peccatis & non aliud ad capessendum meum ultimum Finem æternæ Gloriæ? Quid? perrexinè in hac via? usus'nè sum adeo præclaro & efficaci medio? minimè. Quin potius & ego cum illis, qui in inferno lamentantur, magno dolore ejulare debeo: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.* Antequam igitur hæc in illo tetro igneoque carcere æternùm ingeminare deberem, ad Te clamo DEUS meus non tam vocis quàm doloris intensi affectu dicens: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & ostende mihi clariùs & clariùs vias vitæ, semitas justitiæ, quibus evadam horrendum gehennæ præcipitium, & perveniam feliciter ad Terminum meum Patriam Regni Cœlorum.

Sap. c. 5.

Actus & Affectus Resignationis & Obedientiæ.

Actus Resignationis sui in DEI voluntatem & Obedientiæ. Domine quid me vis facere? Paratum cor meum: Paratum cor meum, ut custodiam mandata tua. Doce me facere voluntatem tuam & per Teipsum & per Magistrum ac Patrem meum spiritualem, cui ut Tibi, quia tuo nomine loquenti in omnibus morem geram &c: *Plures Affectus sub iisdem virtutibus reperies.*

III. ***Ad Lectionem, vel Meditationem de Peccatis.*** *Actus & Affectus Timoris DEI.* O quanta gravitas, fœditas peccati! O quanta malitia indignitas offensæ DEI! Anima mea quid faciemus, quia multùm offendimus DEUM? Quid si ipse iratus permiserit me ampliùs corruere in profundum peccatorum? quid si subitò in puncto abreptâ vitâ detruserit in infernum? Heu heu me infelicem! Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ &c. *Actus & Affectus Contemptûs mundi, & S. Paupertatis.* O Seculum nequam, tu es causa tantorum malorum! Fallaciæ, blanditiæ tuæ allexerunt, deceperunt me miserum. Jam ab hoc momento atrox tibi indico odium, & bellum. Quod tuum est, nempe concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorũ, & superbiã vitæ, devoveo tartareis flammis. Propinqui, amici, sodales, vestra inanis &

carnalis

carnalis converſatio quia poſſet eſſe mea perennis reprobatio, ſit maledicta in æternum. O paupertas ſancta! victrix inordinati appetitus honorum, divitiarum, deliciarum mundi, & per conſequens multiplicis peccati, tu mihi prædilecta Mater ſemper es &c. *Actus & Affectus Humilitatis, Odii, & Contemptus ſui.* Homo cùm in honore eſſet non intellexit. Quid ergo? propter beſtialem & feralem vitam, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quin adhuc tu jumentum computruiſti in ſtercore peccatorum tuorum. Pudeat te ergo pene ex pari Angelis prærogativa degeneraſſe in ſtolidum brutum: pudeat putidi ſterquilinii tui. Et quia DEO, odio eſt impius, & impietas ejus; profectò me impium nimis odi, deteſtor, abjicio, contemno. *Actus & Affectus. Pœnitentiæ.* Præ rubore & confuſione peccatorum meorum non audeo elevare oculos in cælum, ſed abjecto in terram vultu, cum illo Publicano dico: DEUS propitius eſto mihi peccatori. Cum prodigo filio confiteor ingenuè: Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Cum Petro fleo amarè. Cum Magdalena lachrymis inundans jaceo ad pedes tuos Domine JESU, & execror indignitatem peccatorum meorum & offenſarum tuarum. Doleo medullitùs me iis unquam te irritâſſe. Obſecro per vitam, pasſionem, & mortem tuam, ignoſce mihi, & plenè ſatisfac pro iis. Ecce ad obtinendam remisſionem peccatorum meorum, & ſatisfactionem pro eis, offero tibi per manus Virginis Matris, merita tua, & tuorum: tum in unione eorundem, Propono firmisſimè hâc die Actus decem Pœnitentiæ internos elicere; propono horam aliquam pro oratione & gemitu de peccatis meis ſecernere; propono abſtinentiam, diſciplinam, illos actus humilitatis &c: facere. Obſecro Domine JESU per pœnitentiam & lachrymas tuas pro meis peccatis effuſas, da: hæc propoſita perficere. Virgo Beata adjuva me in his propoſitis; Sancti Patroni mei N: N: efficite, ut dignos fructus faciam Pœnitentiæ. *Actus & Affectus Mortificationis.* Aſpice te anima mea; quàm ſis deformis & fœda. Quippe habitus vitiorum tuorum horribile quoddam monſtrum, ex multis beſtiis compactum te repræſentat. Tumor ſuperbiæ te bufonem, rapacitas corùum, ingluvies lupum, luxuria ſpurcum hircum, ira

canem, acedia glirem, astutia serpentem, malitia draconem &c: efformant. Ad abyssum & specum Tartaream cum tali monstro, ubi ille Draco antiquus cum suis anguibus, fluctibus igneis volutatur. Attamen adhuc tempus etsi modicum datur mortificandi, & perimendi hanc in me Hydram. Quam jam nunc nimis odi, detestor, detestor, detestor. Et te piissime JESU obsecro per merita tua, & dilectissimæ Matris tuæ, ac electorum tuorum, da mihi hâc die & semper resistere potenter cunctis insultibus spiritualium hostium meorum, & maximè in illo vitio N. O Mater misericordiæ ecce ad mortificationem & evulsionem vitiorum meorum maximè hujus N. effice precor humillimè, ut hâc die quinquies doleam, de ipsorum in me residentia, quinquies ad DEUM aspirem pro eorum eradicatione, quinquies specialitèr illi vitio N. contrarios actus virtutis N. N. eliciam. Deinde Pœnitentiæ actus externos, ad exercitium quoque mortificationis refero. Denique da mihi hoc & hoc (*hìc specifica quæ videntur esse utilia factu circa victoriam illius vitii*) ad superandum istud vitium N: perficere. S. Patroni mei adjuvate me in piis propositis Sanctæ Mortificationis.

IV. *Ad Lectionem, vel Meditationem de vanitate hujus mundi.* *Actus Timoris DEI.* Ecce video mundi honores, voluptates, opes &c.: quàm fallacia, amara, fragilia, brevia æternis periculis obnoxia hæc bona sunt. Unde contremisco Domine, nè me in pœnam peccati permittas iugo gravi amoris & curæ superfluæ, hujus seculi opprimi, ac tandem in infernum deprimi. *Actus contemptûs mundi, & S. Paupertatis.* Jam ab hoc instanti prorsus despicio malignum hunc mundum, omnia eius bona, pulchra, delectabilia arbitror ut stercora. Victu necessario & amictu contentus sum. Superflua & exquisita conspuo, & prorsus respuo. Mundi amatorum familiaritatem ut veram animæ meæ pestem horreo. Tribue DEUS meus conculcatum sub pedibus meis prorsus spernere & abominari hoc seculum nequam. *Actus Humilitatis, Odii, Contemptûs sui.* Simile simili gaudet: non ergo mirum quòd tu
Philip: 3. cum sis sordidus & abiectus, bona mundi (quæ Apostolus *ut stercora arbitratur*, & revera sunt) magni appretias, amas, iisque oblecta-

lectaris. Profectò ut illa, ita & tu detestabilis & contemptibilis factus es. *Actus Pœnitentiæ.* Heu me! quomodo te DEUM meum ob viles huius mundi reculas, reverentiolas, consolatiunculas, non semel summum Bonum offendi. Doleo & multùm doleo. Præ rubore &c. *Vide supra ad meditationem de peccatis. Actus mortificationis.* Jam facilè mihi erit mortificare inclinationes meas ad mundi huius bona adeo vilia & mihi perniciosa. Quare Piissime IESU obsecro te per merita tua &c. *Vide supra meditationem de peccatis.*

Ad Lectionem, vel Meditationem Mortis. *Actus & Affectus Timoris* DEI. Itane statutum omnibus semel mori? Itane mors peccatorum pessima? Omninò eadem est mihi, utpote peccatori timenda. O DEUS vitæ & mortis, quantum paveo potestatem tuam, ne me subitò, ne cum tormento egredi è corpore compellas! O DEUS! iustum exhorreo iudicium tuum, ne mihi accidat, quod multis contigit, qui in vita sua obliti tui, à te quoque in sua morte derelicti in impoenitentia, odio, desperatione infames animas exspuerunt. O Terribilis DEUS in iudiciis tuis super filios hominum! quorum nonnulli cùm spiritû cœperint, carne consummârunt! nonnulli vitâ quasi innocenter peractâ, ob occultam tamen aliquam culpam, morte reprobâ, perierunt &c. *Actus & Affectus Contemptûs mundi, & S. Paupertatis.* Ecce nudus egressus sum ex utero matris meæ in hunc mundum, nudus quoque revertar in terram matrem omnium: Quid ergo mihi & tibi Munde immunde? quid mihi tui anxia sollicitudo? quid superflua cura? Apage infelix seculum! antequam audiam: *Stulte hac nocte animam tuam, repetent à te, quæ autem parasti cujus erunt?* Apage! priusquam amore tui experiar illud: *Siccine separat amara mors?* &c. *Actus & Affectus Humilitatis, Odii, & Contemptûs sui.* Ecce homo *pulvis es & in pulverem reverteris.* Ut quid igitur superbis terra & cinis? Ecce futurum es cadaver horridum nimis & fœtidum, vermibus scatens, omni putore & stercore vilius & abominabilius. Eja diligas corpusculum tuum rem adeo nobilem & pretiosam! Absit. Quin potius in veritate dico: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis;* Ego pulvis & cinis dignus calca-

V.

Luc. c. 12.

1. Reg: c. 15.

Gen: 3.

Psal: 21.

calcari pedibus hominum & beſtiarum; Ego ſterquilinium, fœtidum lutum, utinam in illud homines excreent ſuum ſputum: Ego extremus horror & fœtor, me ipſum nimis odi, execror &c:
Job. c. 11. *Actus Pænitentiæ.* DEUS *dimitte me ut plangam paululum, dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Pœna peccati, mors peſſima: O maledictum Peccatum DEI mei offenſivum! Doleo DEUS meus me te unquam exacerbâſſe! Peccantem me quotidie & non pœnitentem timor mortis conturbat me, quia in inferno nulla eſt redemptio; Miſerere mei DEUS & ſalva me. Propono firmiſſimè &c: *ut ſupra. Actus Mortificationis:* Omninò jam morior vitiis, ne moriar in ira DEI. O Piiſſime JESU ut nunc aſſueſcam, & in agone mortis luctari fortiter valeam cum diabolo, & vincere: per tentationes tuas obſecro te, da mihi hâc die &c. *ut ſupra.*

VI. *Ad Lectionem, vel Meditationem de Judicio DEI*

Actus & Affectus Timoris DEI. Intonas judicia tua Domine ſuper me vilem & abjectam creaturam tuam: & ego contremiſco ad reddendam rationem: cùm & juſtitiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ ſunt in oculis tuis. Tremens factus ſum ego & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Sive vigilo, ſive comedo, ſive aliud quid facio, ſemper tuba illa horriſona inſonat auribus meis: Surgite mortui venite ad judicium &c: *Actus & Affectus Contemptûs mundi, & S. Paupertatis.* Minoratus in bonis mundi, minorem quoque de eorum uſu & abuſu reddam DEO rationem. Precor Domine divitias, dignitates, nè dederis mihi, nè abuſus
Sap: 6. illis horrendum ſubeam iudicium. *Potentes* enim *potenter tormenta patientur.* DEUS iudicaturus eſt hoc ſœculum per ignem, quo omnia in favillam redigentur. Abſit, abſit ergo ut tam anxiâ curâ hæc citiùs peritura provideam, &c. *Actus Humilitatis, Odii, & Contemptus ſui.* Ecce Domine ſto ante tremendum Tribunal tuum totus confuſus, nec unum habens pro mille reſpondere! O deteſtabilem me hominem! qui me tantis involvi anguſtiis &c. *Actus Penitentiæ.* Domine nè iudicer, judico
Pſalm: 6. me & accuſo peccata mea. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque*

in

in ira tua corripias me, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Præ rubore & confusione &c. *Actus mortificationis.* Quantus pudor! apparere in conspectu DEI & totius cælestis curiæ, ignominiosum vitiis, fœdatum peccatis, & audire. Ecce homo, & opera eius. Profectò iam nunc depurari conabor à tantis sordibus studio mortificationis. Et quia in illa resurrectione mortuorum corpus humilitatis nostræ configurabitur corpori claritatis Christi: igitur castigabo nunc corpus meum & in servitutem redigam, ne reprobus efficiar, &c. O Piissime IESU obsecro te &c. *Ut supra.*

Ad Lectionem, vel Meditationem Inferni. VII.

Actus & Affectus Timoris DEI. Anima mea, O quàm horendum est incidere in manus DEI viventis! Christe IESU timeo te tremendum Iudicem meum, qui potes animam meam mittere in gehennam &c. *Actus Contemptûs mundi, & S. Paupertatis. Quantùm se glorificavit & in deliciis fuit, tantum ei date tormentum & luctum.* Apoc: 18. Maledicta ergo pompa & gloria mundi! Maledictæ deliciæ seculi! quibus atrocissima eaque æterna parata poena. *Væ vobis divitibus qui habetis consolationenm vestram! Væ qui ridetis nunc quia lugebitis & flebitis!* Luc: 6. Procul ergo à me esto divitiarum amor procul risus, facetiæ, &c. *Actus Humilitatis, Odii & Contemptus sui.* Quis ego sum qui me ipsum perdidi? & pro indigna voluptatula perdidi? & æternùm, horrendúm, perdidi? O infelix homo! O stulte & insane! brutis insipientior, efferatis bestiis in te ipsum ferocior. Damnatus dæmon quid nisi opprobriũ sempiternum? Et ego mancipium ejus, ignominia quoque sum & dedecus Universi. Reprobi in inferno se accusant & nimium detestantur, quòd sint sibi causa horrendæ damnationis, & ego ne descendam illuc moriens, descendo nunc mente vivens in ima profundi, & nimiùm me execror, odi, detestor, cùm sim mihi causa infiniti cruciatûs. *Actus Pænitentiæ.* Christus minatur: *Si pænitentiam non habueritis omnes similiter peribitis,* Luc: 13. O Domine ecce iam poenitet me! Heu me infelicem quia offendi te! Gravitas poenæ æternæ, innuit gravitatem peccati. O quantum detestor enormitatem offensæ tuæ! O quam inconsolabiliter doleo, me te ad immensam indignationem concitâsse! O utinam nunquam

quam deliquissem contra te! Ite lachrymæ, extinguite accensam iram DEI contra me, suffundite stagni ardentis & bullientis sulphureas flammas. Operire infelix, cinere & cilicio, antequam supter te sternatur tinea, & operimentum tuum sint vermes. Da gemitum & lamentum in cælum, ne æternum Væ! Væ! ingemines. O Pater misericordiarum offero sangvinem IESU Filii tui qui purificet me, Offero eius cruciatus & mortem in veniam & satisfactionem pro delictis meis, ut placent te, &c. *Proposita fac ut supra.* Ecce ad obtinendam misericordiam & remissionem &c. *Actus mortificationis.* Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Pereas igitur maledicta delectatio peccati: Nunquam mihi occurrant occasiones cuiuscunque delicti. Absit socordia, in pugna contra vitia aliàs punienda perenni exitio. Malo hìc ad modicum mortificari, quàm ignibus æternum torreri &c. *Proposita ut supra renova.* O Piissime IESU obsecro te da mihi hac die & semper, &c.

VIII. *Ad Meditationem de Purgatorio.* *Actus Timoris DEI.* Non exibit homo ex illo igneo Carcere, donec Divinæ iustitiæ exsolverit ad novissimum quadrantem pœnæ luendæ. O Domine quid ergo facturus sum? qui adeo modicum satisfeci tibi ex innumeris debitis pœnarum? O quantum paveo! ne pluribus annis illic horrendùm excrucier! Heu me! Heu me! en forsan hodie, forsan cras, certum est, quia brevi iturus sum ad tormenta horribilia, diuturna, quidni totus contremiscam? quidni semper nunc tristes lachrymas profundam ad extinguendum illud ignis & sulphuris atrox pro me paratum balneum? Beatus es Abba Arseni, qui continuis lachrymis te deflevisti, & semper DEUM timuisti. Et tu S. Hilarion timuisti mori: quantò magis ego infelix peccator timeo non tam mortem, quàm mala quæ postmortem sequūtur, &c. *Actus Contemptûs mundi. Ecce mundus transit & concupiscentia ejus.* (1. Joan: 2.) Ast quibus tormentis hæc post modicum non expianda etiam dimissâ culpâ? Pereas ergo munde infelix cuius paululum dulcedinis tam carò in tanta amaritudine solvere debeo, &c. *Actus Humilitatis, Odii & Contemptûs sui.* Et si homo recipiatur in Filium DEI, restat tamen adhuc quod hominis est, luere graves pœnas pur-

purgatorii. O ineffabilem hominis vilitatem! cujus quidquid est non nisi nihilum, culpa & pœna est. Et hæc in se magno odio digna. *Actus Pænitentiæ.* In multis offendimus omnes: væ igitur omnibus! væ mihi offensori DEI. Parvæ quidem videntur offensæ venialia peccata, sed non parvum post se trahunt malum; sicut & negligentia satisfactionis, nempe atroces pœnas Purgatorii. Unde Clementissime DEUS tam de parvis, quæ supra arenam maris multiplicata sunt, quàm de magnis ago pœnitentiam, & præ rubore & confusione peccatorum meorum: &c. *ut supra. Actus Mortificationis.* Precor anima mea sapias tandem aliquando, elige potiùs suave Jugum Christi, & leve onus Mortificationis, quàm ignis Purgatorii horribilibus cruciari pœnis. O Piissime JESU obsecro te &c: *ut supra.*

Similes Actus & Affectus infra sub hic specificatis virtutibus, & aliis ad viam Purgativam spectantibus, uti & sub vitiis positos reperies.

Pari modo ad Lectionem vel Meditationem viæ Illuminativæ proportionatam eidem viæ proprios Actus & Affectus virtutum exercebis. Quos infra subsectione secundâ proponimus. Idem quoq; facimus in via Unitiva. Sufficiat interim dedisse occasionem sapienti, ut sapientior fiat, seu tribuisse impetum Proficienti, & Perfecto, qui Unctione ab intus docente supra docentes se non raro intelligunt; ita tamen ut homo per hominem doceatur, ordinarius Divinæ Providentiæ cursus statuit.

Actus & Affectus pro via Illuminativa vide infra Subsect: 2. §. 2. & 3.

Actus & Affectus pro via Unitiva vide infra part: 3. tract: ultimo.

§. IV.
DE CONTEMPLATIONE, ET MYSTICA THEOLOGIA.
Punctum Primum.

Cùm in Contemplatione, & ex ea procedente Fruitione DEI supernaturali consistat principalissima Pars Spiritualis Theologiæ, nempe Passiva seu Mystica Theologia, nec non vitæ hujus & futuræ summa Pefectio, Sanctitas, & Beatitudo, libet pauló fusiùs de tam præcellenti & eximio Bono disquirere, illudque pro

possibili ad propriæ felicitatis incrementum accommodare.

Itaque *Contemplatio Spiritualium, est actus ex aliquo principio supernaturali oriens, quo summa DEITAS promptè, clarè, & suaviter cognoscitur, in finem ferventiùs diligendi DEUM.* Dicitur; *est actus*: quia cùm Beatitudo formalis sita sit in Contemplatione DEI, beatitudo autem est ultima hominis perfectio, unumquodque enim in tantùm est perfectum, in quantùm est actu; quippe potentia sine actu suo modo imperfecta est: sequitur Contemplationem in actu hominis consistere. Dicitur; *ex aliquo principio supernaturali oriens*: quod principium primò sunt Dona Spiritûs Sancti Intellectûs & Sapientiæ: quæ diversificant actum contemplationis proprium Spiritualibus à contemplatione absolutè naturali, qualis fuit etiam

Epist. ad Rom. cap. 1. Ethnicorum Philosophorum; *qui cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt*: Tum à Contemplatione ordinaria & communi etiam peccatoribus, quæ vel est Actus Fidei ab habitu fidei procedens, vel assensus Theologicus ex revelatis & aliqua ratione naturali deductus. Ejusmodi differentiam Contemplationis

3. sent. dist. 34. quæst. 1. art. 2. docet D. Thomas dum inquit: *In his autem quæ super rationem sunt perficit fides, quæ est inspectio Divinorum in speculo & in ænigmate: connaturalis enim est modus naturæ humanæ, ut DEUM nonnisi per speculum creaturarum & ænigmata similitudinum percipiat; Quòd autem spiritualia quasi nudâ veritate capiantur, supra humanum modum est, & hoc facit donum Intellectûs.* Sapientia quoque ut idem Angelicus Do-

2. 2. quæst. 45. art. 3. ctor ex D. Augustino asserit *intendit rationibus supernis scilicet Divinis conspiciendis, secundùm quod Divina in seipsis contemplatur*; Hæc tamen Contemplatio per fidem, ordinariè præcedere debet in Incipientibus: ut ita ab imperfectioribus ad perfectiora fiat progressus. Secundum principium est, Deificata hominis volitiva potentia, de qua infra hìc. Tertium principium est, Lumen actuale supernaturale, & species divinitùs coaptatæ, vel infusæ: de quibus uti & aliis principiis fusiùs infra hìc. Dicitur in definitione; *quo summa DEITAS*: ubi materia contemplationis insinuatur, nempe DEUS Trinus & unus in sua Essentia & perfectionibus, tum per effectus creatos sensibiles & intelligibiles, tum in seipso intuendus. Dicitur; *promptè, clarè, & suavitèr cognoscitur*: per quod iterum dif-

fert

fert à communi Contemplatione, quæ est laboriosa, difficilis, & obscura; quia in illa per discursus & ratiocinationes meditando tandem laboriosè concluditur, inferturque veritas de Divinis per assensum vel Philosophicum si merè ex præmisis naturalibus, vel Theologicum si una præmissarum fuerit supernaturalis Fidei: vel si eadem veritas simplici oculo fidei videtur, quia tamen non videtur nisi per obscurum lumen revelationis Divinæ, Contemplatio ejusmodi obscura evadit. Jam verò Contemplatio per Donum Intellectùs & Sapientiæ, hisque altiora subsidia supernaturalia, ideo fit prompta; quia potentia intellectiva non tam agit tardo molimine ratiocinationibus operosis assurgendo, ut contingit in communi Contemplatione; quàm agitur à Spiritu Sancto per dona prædicta, vel alia media supernaturalia, magis vel minus promptè, secundùm gradus donorum, quæ mentem faciunt promptè mobilem & facilem ad elevationem in Divina, eorumque intuitum. Deinde eadem Contemplatio Spiritualium est clara, tum ob specierum repræsentantium à phantasmatibus depurationem, vel novarum infusionem; tum ob clariores radios donorum Spiritus Sancti, vel nobiliorem cælestium luminum affulsionem. Dicitur; *in finem ferventiùs diligendi DEUM:* per quod differt Contemplatio Spiritualium à Contemplatione eorum, qui in sola speculatione veritatis Divinorum commorantur, nec ultra cogniti summi Boni vacant intensiori frequentiorique amori, & ex amore cuivis pio operi. Quorum satis nequit deplorari miseria; utpote omnibus hominibus miserabiliores facti, nec de terra nec de cœlo sua capiunt solatia, nisi fortè volatili inanis gloriolæ, & omnibus odibilis superbiolæ contententur afflatu: qui cùm per ardua, millenaque tædia, labores, sudoresque scholasticos eluctati fuerint ad delicias paradisi, eas tamen videntes non degustant, ad ignem stant & algent, ad fontem sitiunt, penes vitam langvescunt, contabescunt, emoriuntur, utinam non in futura vita! Ejusmodi planè esse videntur ad instar illorum antiquorum Philosophorum, qui cùm cognoscant DEUM, non ut DEUM glorificant, eum summè æstimando & amando, ac ex amore ipsius ejus cognitionem, amorem, cultum, in mundo promovendo. Damnabiliores tamen multò censentur Ethnicis Christiani specula-

tores DEI non amatores, propter certius & clarius lumen fidei gratiarumq; supernaturalium. Unde quoque magis habent, quod timeant, nè & ipsi dentur in reprobum sensum, & gravioribus in æternitate mulctentur pœnis. Porrò contemplatio Spiritualium Theologorum semper desinit in praxim dilectionis DEI: quæ ut ardentior fiat, denuo excitat intellectum ad intuitum Dilecti, cujus clariùs & clariùs summâ Bonitate conspectâ, iterum ferventiùs & ferventiùs inflammescit. Hinc S. Thomas inquit: Contemplatio *licet Essentialiter consistat in Intellectu, principium tamen habet in Affectu, in quantum aliquis ex charitate ad DEI contemplationem excitatur.* Et Plato ait, quòd *Amor sit Circulus à bono in bonum perpetuò revolutus.*

2.2. quæst. 180. art. 7.

In Convivio de Amore.

Punctum Secundum.

G*Radus Contemplationis.* Tripliciter spectari possunt: ex parte principii, ex parte modi tendendi, ex parte obiecti. De his pro fundamento nonnulla ex sensu Seraphici Contemplatoris *D. Bonaventuræ* accipe: Gradus contemplationis *inquit ille* sunt quidam progressus & profectus intellectualis cognitionis, & saporosæ dilectionis ad contemplandum DEUM sub ratione boni & veri. Unde Gregorius 22. Moral, dicit: Gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum. Tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles. Gradus autem ad contemplationem disponentes sunt illa, quæ adjuvant & disponunt gradatim intellectum & affectum ad contemplandum: & sic omnis creatura est quasi quædā scala, per quam gradatim ascenditur ad contemplandum DEUM, cùm creaturæ sint creatæ propter electos. Loquendo tamen secundùm consuetum modum, gradus contemplationis dicuntur illa incrementa contemplationis, & illæ dispositiones, quæ magis intellectum & affectum coadjuvant ad contemplandum, & quæ distincta sunt & tradita à Sanctis Doctoribus. Unde Gregorius 22. Moralium dicit: Gradus vocantur incrementa virtutum distinctè tradita à Sanctis. Necessitatem autem istorum graduum contemplationis ostendit Gregorius 22. Moralium dicens sic: Nemo infima deserens, repentè fit summus; quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam gradibus

Itin. 3 dist. 4. art. 1.

dibus aſcenſionis perveniat. Unde & rectè in Pſalmo dicitur: „ Ibunt de virtute in virtutem donec videatur DEUS deorum in „ Sion. Et idem: DEUS in gradibus ejus cognoſcetur (ſcilicet „ contemplationis) cùm ſuſcipiet eam contemplator. Similiter Lin- „ conienſis ſuper Angel: Hierarch: oſtendit neceſſitatem iſto- „ rum graduum per exemplum dicens ſic: Sicut oculi carnis in- „ firmiores priùs ſuſcipiunt lumen ſolis obſcurum, & magis co- „ loribus ſuperfuſum; deinde magis confortati, ſuſcipiunt illud à „ coloratis, mediis coloribus; & poſteà viſu roborato, plus ſu- „ ſcipiunt illud ſuperfulgidum coloribus albis; deinde verò plus „ auctâ ſanitate, ſuſcipiunt illud fulgētibus coloribus ſuperfuſũ ut „ ſpeculis: tandem oculis perfectè ſanatis, ſuſcipiunt ſolarem radi- „ um, non autem alicui ſuperfuſum, ſed in ſe purum ipſum ſo- „ lem, in ipſo puro ſolari lumine irreverberatè conſpicientes. „ Sic etiam oportet mentis oculum infirmiori prius aſſveſieri, „ ad conſpiciendum lumen Solis intelligentiæ in groſſioribus, „ deinde in ſubtilioribus, donec tandem ex ipſa luminis datione „ multis multipliciter ſuperfuſa extendamur, & reſtituamur in ſim- plicem ipſius radium. Hæc ille. Ex prædictis apparet, quòd tam „ in radioſo lumine, contemplationis ſpeculativæ, quàm in ſapo- „ roſo guſtu contemplationis practicæ, oportet paulatim & gra- „ datim proficiendo aſcendere, & aſcendendo clariùs cognoſcere „ DEUM: quia, ſicut dicit Hugo ſuper Ang: Hierarch. Quantò „ magis creſcit aſcenſio, tantò magis creſcit cognitio, donec ocu- „ lus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur; & „ affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, & totus „ homo interior & exterior in DEUM ordinetur. Et hoc veriùs „ & perfectiùs videtur fieri per gradus illos, qui mentem ad ſimi- „ litudinem Cæleſtis Hierarchiæ purgant, illuminant, & perficiunt. „ *Et infra*: Tales autem gradus Dionyſius in Angel: Hierarch: di- „ xit eſſe tam in mente Angelica, quàm in mente humana bene „ ordinata.)) Ex quibus dictis *Thomas à JESU* vir choris aſſuetus Angelicis ſecundùm ſimilitudinem Hierarchiæ Angelicæ triſa- riam diviſæ, triplicem format Hierarchiam Contemplationis in Mente humana, & quamlibet Hierarchiam in tres diſtinguit Or- dines. Quia ſicut Cæleſtes Angelorum Hierarchiæ ex plenioris

In libr: de Contemp: Divina.

vel universalioris lucis participatione, & ad ipsum luminis Principium ex viciniori approximatione distingvuntur: ita & Contemplativorum Hierarchiæ ex majori vel minori aut perfectiori Divinæ lucis irradiatione & proximiori ad DEUM accessione, meritò discernuntur. Easdem Hierarchias Contemplativorum idem Author per respectum ad tres gradus incipientium, proficientium, & perfectorum in vita spirituali accommodat. De quibus Gradibus vide *supra* erectum Schema tum quoad contemplationem, tum quoad alia vitæ spiritualis requisita, per modum trium Hierarchiarum, & in qualibet earum trium Ordinum Angelicorum.

In Summa c.5.

Igitur ex parte *Principii* naturalis & supernaturalis, à quo procedit contemplatio, ejus gradus spectantur per ordinem ad potentiam Intellectivam, & Volitivam, tum dona Spiritûs Sancti nempe Intellectum, & Sapientiam, aliaque supernaturalia principia. Et quidem quod concernit vim Intellectivam & Volitivam, hæ etsi secundùm suam substantiam non suscipiant magis & minùs, quatenus tamen possunt producere Actus magis vel minùs perfectos graduum perfectionis in sublime plurimorum, tot eis assignamus ad interim gradus perfectionis in sua potentia, quot sunt productivæ graduum perfectionis in actu, scilicet novem, per respectum ad novenarium numerum Angelicorum Ordinum: De quo etiam supradicta vide. Similiter quoad dona Intellectûs & Sapientiæ hæc etsi pro quolibet opere meritorio augeantur adeoque in summum crescere possint, tamen & his tribuimus novem perfectionis gradus in propria eorum potentia respective ad novem perfectionis gradus actûs Contemplationis Hierarchicæ. In nono denique gradu ponimus & alia principia supernaturalia contemplationis V. g. Lumen actuale eminens supernaturale, Scientiam infusam, &c. Ratio horum est: quia tum in Via tum in Patria quanquam hæc dicta principia naturalia & supernaturalia queant elicere perfectiores actus Cognitionis & Amoris DEI, quàm eliciant Seraphini in nono Ordine Angelorum, & Contemplativi viatores in nono Ordine Hierarchiæ mentis humanæ; tamen id eis non tribuitur, nisi Christo Domino, & Deiparæ, qui tum in Via tum in Patria supra omnes Electos & omnes Choros

Ange-

Angelorum elevati, sublimiùs quoque contemplantur & fruuntur DEO.

Gradus Contemplationis ex parte Modi tendendi sunt itidem Novem. Modus autem tendendi, secundùm quem operantur principia naturalia & supernaturalia in Contemplatione & Amore, spectatur tùm ex ipsa ratione tendendi seu operandi magis vel minùs perfectè & intensè, tum ex parte Obiecti Divini, in quod tendit vel per *Viam Affirmationis, vel Negationis, vel Viâ Præstantiæ* (De quibus viis vide Suarez de DEO lib: 1. c. 3. n: 3. & 17.) distribuemus eum similiter per tres Hierarchias, & cujusvis earum tres Ordines. Itaque in Prima seu infima Hierarchia Contemplativorum Modus tendendi est, quando vis cognoscitiva cum phantasia operans, elevatur per donum sapientiæ ad altissima & Divina speculanda, movente ad hoc sapientiam charitate, quatenus per sapientiam bonum Divinum contemplatione propositum charitati, ipsa circa illud bonum posset actus dilectionis perfectiùs & intensiùs exercere. Unde charitas dicitur à D. Thoma esse causa sapientiæ; utique moralis vel finalis. Hinc sapientia dicitur sapida scientia; quia causata à charitate, illius dulcores tanquam proximus effectus charitatis participat ac sapit. Et D. *Bonaventura* ajt: Actus sapientiæ est contemplari non quocunque modo sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate)) Dono autem intellectûs vis cognoscitiva irradiata propositam veritatem de Divinis *viâ Affirmationis* sed sub speciebus rerum corporalium penetrat ac percipit: Unde idem Seraphicus Doctor ait: *Donum intellectus est propriè penetratiuum, sed donum sapientiæ est propriè saporatiuum.* His pro majori elucidatione & fundamento attactis, ulteriùs Modum tendendi descriptum in hac infima Hierarchia, divido in tres Ordines tendendi, quod scilicet unus altero detur perfectior vel intensior, ob majorem repræsentationem Divinorum in puriori cordis speculo à peccatis, & clariorem Donorum intellectûs & sapientiæ irradiationem. Puritas enim major est à peccatis lethalibus ex ignorantia, quàm ex fragilitate, & hæc quam ex malitia committendis. Puritati autem seu Munditiei cordis correspondet Donum intellectûs pro-

Lib: de 7. donis.

portio-

portionans sui luminis radios ad penetrandam veritatem, & simul producens Divinorum visionem magis vel minus profectiorem vel intensiorem, ad quam ordinariè sequitur quoque magis vel minus ferventior amor DEI. Et secundùm hunc modum tendendi DEUS dicitur Justus, Sapiens, Bonus, Lux, Vita, Veritas, &c. Scilicet ad similitudinem perfectiorum Creaturarum, infinities tamen eas excedens in suis perfectionibus, tum extensivè tum intensivè acceptis.

In Media Hierarchia Contemplativorum modus tendendi est, dum potentia intellectiva sensim assvescit ignotè consurgere, id est sine phantasmatum concursu, clariùs ob majorem puritatem à venialibus illustrata dono intellectùs, & adjuta dono sapientiæ, contemplari Divina *per Viam Negationis*, id est removendo à DEO imperfectiones, quæ in perfectionibus Creaturarum videt, nempe quòd DEUS non sit talis bonitas, pulchritudo, lux, sapientia &c: Scilicet tam defectibilis, limitata, &c: Sed potiùs quòd DEUS sit bonitas supra omnem bonitatem, pulchritudo supra omnem pulchritudinem cogitabilem, &c. Ac exinde amoris ferventes actus excitat. Hæc Hierarchia perfectiorem quàm prima elicit contemplationem, quia puriorem à similitudinum & specierum corporalium phantasmatibus.

Accommodè serviunt huc gradus illi quibus Viâ Negationis ascensum ostendit in tertiam Hierarchiam ad Divinam caliginem *Picus Mirandulanus* dicens: DEUS omnia est, & eminentissimè atque perfectissimè est omnia. Quod non erit nisi in se ità claudat omnium perfectiones, ut quidquid ad imperfectionem spectat in rebus, à se rejiciat. Possumus autem quidquid imperfecti rationem habet in his quæ sunt, duplici capite definire; alterum est, cùm quid in re est, quod in genere illius rei minus perfectum est; alterum, cùm perfectum quidem in suo genere est, sed ideo non simpliciter perfectum, quoniam unius tantum generis perfectionem habet: & multa sunt extra ipsum genera suis perfectionibus honestata, quæ in illo non includuntur. Exemplum primi: Cognitio sensualis non ideo solùm imperfecta est, quia cognitio tantùm est, & non est appetitio; sed quia & imperfecta cognitio est; Tum quia organo eget bruto & corporali; Tum quia exter-

Lib: de ente uno cap. 5.

na ſolum attingit rerum; ad intima, id eſt, ad ſubſtantiam non pervadit. Cognitio item humana; *Quæ rationalis* dicitur imperfecta cognitio eſt, quia vaga, incerta, mobilis, laborioſa. Adde intellectualem cognitionem Mentium Divinarum, quas Theologi vocant *Angelos*, & ipſa etiam imperfecta cognitio eſt: vel ob id ſaltem quod extra ſe quærit, quod intra ſe ſcilicet plenè non poſſidet, hoc eſt veritatis lucem, quâ eget & quâ perficitur. Accipe vitam: Vita ea quæ eſt in plantis, imò quæ in omni corpore eſt, non ideo ſolùm imperfecta quia vita tantùm eſt, & non cognitio; ſed quia non pura vita: potiùs autem vivificatio quædam, ab anima in corpus derivata ſemper fluens, ſemper morti admixta, magis deniquè mors vocanda quàm vita. Incipimus enim ſi fortè neſcis, tunc mori, cùm primùm incipimus vivere; & mors cum vita protenditur. Tuncque primùm deſinimus mori, cum à corpore mortis hujus per carnis mortem abſolvimur. Sed nec perfecta vita eſt Angelorum; quam niſi perenniter vivificus radius Divinæ lucis foveret, in nihilum tota dilaberetur. Eadem ratio in cæteris. Cùm ergo DEUM cognoſcentem, DEUM viventem facis, illud primùm attende ut vita, & cognitio, quæ illi adſcribitur his omnibus detrimentis libera intelligatur. Sed non hoc ſatis: reſtat enim altera imperfectio cujus exemplum hoc. Concipe vitam perfectisſimam, quæ ſcilicet tota ſit vita & pura vita, nihil habens mortale, nihil mortis admixtum, quæ nullo egeat extra ſe, per quod duret ſtabilis & permaneat. Concipe item cognitionem, quâ & omnia & ſimul perfectisſimè cognoſcantur, adjice & hoc, cognoſcentem ſcilicet in ſe hæc omnia cognoſcere, ut non extra ſe quærat veritatem, quam cognoſcat, ſed ipſe ipſa ſit veritas: adhuc horum utrumque quamquam in genere ſuo perfectisſimum, & tale ut extra DEUM eſſe non poſſit, ſic tamen acceptum & ab invicem diſtinctum, DEO indignum eſt. DEUS enim omnimoda & infinita perfectio eſt: ſed non ideo tantùm omnimoda & infinita, quia omnes particulares perfectiones atque infinitas tales in ſe comprehendat; tunc enim neque ipſe eſſet ſimplicisſimus, neque infinita eſſent, quæ in eo ſunt, ſed eſſet unum infinitum ex multis infinitis, numero finitis autem, perfectione collectum: quod aut dicere aut cogitare de DEO profanum

est: At verò, si vita, quæ perfectissima quidem vita est, sed vita est tantùm, & non est cognitio; Itemque si appetitio sive voluntas perfectissima quidem voluntas, sed voluntas tantùm & non vita neque cognitio est, similiaque alia in DEO collocentur: manifestè futurum est, ut Divina vita finitæ sit perfectionis; quoniam eam habet perfectionem, quæ vitæ est, non habet eam, quæ cognitionis, quæ appetentiæ. Tollamus ergo à Vita non id solùm quod eam imperfectam vitam facit, sed quod facit eam vitam tantùm, & à cognitione, similiter aliis nominibus, quibus DEUM appellamus: tuncque quod ex omnibus remanebit, necessariò tale erit, quale DEUM intelligi volumus, unum scilicet perfectissimum, infinitum, simplicissimum. Et quoniam vita quoddam ens est, sapientia item ens quoddam, pariterque & Justitia, utique si particularitatis & terminationum conditionem his adimas, quòd supererit non hoc, aut illud ens erit, sed ipsum ens, sed simpliciter ens, sed universale ens, non prædicationis universalitate, sed perfectionis. Similiter sapientia bonum quoddam est, quia hoc scilicet bonum quod est sapientia, & non est illud bonum quod est Justitia. Tolle, ut inquit S: Augustinus hoc, tolle illud, id est particularitatem hanc; tolle limitationem, per quam sapientia ità est bonum, quod est sapientia, quod non est bonum, quod Justitia est, pariterque Justitia sic habet Justitiæ bonitatem, ut non habeat eam quæ est sapientiæ, tuncque in ænigmate videbis faciem DEI, id est omne bonum, ipsum bonum, simplicissimum bonum, omnis boni bonum. Ita vita sicut ens quoddam est, ita est unum quoddam: est enim perfectio una, pariterque sapientia, perfectio una est. Abjice particularitatem, remanet non hoc aut illud unum, sed ipsum unum & simpliciter unum. Cùm ergo DEUS ille sit, qui ut à principio dicebamus ablatâ omnium imperfectione, omnia est: atque cùm à rebus omnibus, & quæ sub suo genere imperfectionem, & sui generis particularitatem abdicaveris, id quod remanet DEUS est. DEUS ergo ipsum ens, ipsum unum, ipsum bonum, similiter & ipsum verum. Duos jam gradus promovimus ad caliginem ascendentes, quam DEUS inhabitat, à Divinis nominibus omnem purgantes maculam quæ ex rerum est significatarum imperfectione, adhuc duo supersunt gradus,

dus, quorum alter nominum arguit deficientiam, alter nostræ intelligentiæ accusat infirmitatem. Hæc nomina, ens, unum, verum, bonum, concretum quid dicunt, & quasi participatum. Quare rursus dicimus DEUM super ens, super verum, super unum, super bonum esse, quia scilicet ipsum est, ipsa veritas, ipsa unitas, ipsa bonitas: verùm adhuc in luce sumus, DEUS autem posuit tenebras latibulum suum. Ad DEUM ergo perventum nondum est: donec enim quod de DEO dicimus, etiam intelligimus & comprehendimus, in luce versari dicimur: & tantò minora de DEO & loquimur & sentimus, quantò infinitâ suâ Divinitate capacitas nostræ intelligentiæ minor est. Ad quartum igitur gradum conscendentes intremus ignorantiæ lucem, & Divini splendoris caligine exoculati clamemus cum Propheta: *Defeci in atriis tuis Domine;* hoc unum de DEO postremò dicentes, esse ipsum intelligibiliter & ineffabiliter super id omne, quod nos de eo perfectissimum vel loqui possumus vel concipere; tunc super ipsam etiam quam conceperamus Unitatem, Bonitatem, Veritatem, superque ipsum Esse, DEUM eminentissimè collocantes. Huc respiciens Dionysius Areopagita, postea omnia quæ in symbolica Theologia, in Theologicis institutionibus, & quæ de Divinis nominibus, & De mystica scripserat Theologia, postremò in calce ejusdem libri, quasi qui jam in caligine esset, & ut poterat de DEO Sanctissimè loqueretur, sic post alia quædam ad idem attinentia exclamavit. *Neq; veritas est, neque Regnum, neq; sapientia, neq; unum, neq; unitas, neq; Deitas, aut bonitas, neq; spiritus est, quantùm ipsi scire possumus, neq; Filii neq; Patris est denominatio, neq; aliud aliquid ex his quæ nobis aut alteri cuiquam in Mundo sunt cognita, neq; aliquid eorum quæ non sunt, neq; eorum quæ sunt, est, neq; ea quæ sunt, illam sciunt, sicut ipsa est, neq; scit ipsa, quæ sunt, sicuti sunt, neq; sermo ipsius est, neq; nomen, neq; scientia, neque tenebræ, neq; lux est, neque error, neq; veritas, neq; est ipsius omninò ulla positio, neq; ablatio.* Et paulò post: Sed vide, mi Angele, quæ nos insania teneat. Amare DEUM, dum sumus in corpore, plus possumus quàm vel eloqui vel cognoscere. Amando plus nobis proficimus, minùs laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen semper quærendo per cognitionem nunquam invenire quod quærimus, quàm amando possidere. De-

mum circa finem capitis : Ex quibus colligi illud poteſt, non ſolùm eſſe DEUM, ut dicit Anſelmus, quô nihil majus cogitari poteſt; ſed id eſſe quod infinitè majus eſt omni eo, quod poteſt excogitari, ut verè dixerit juxta Hebraicam literam David Propheta: *Tibi Silentium Laus*: Hæc Mirandulanus.

In Suprema Hierarchia Modus tendendi Contemplativorum eſt *Viâ Præſtantiæ*; ſeu purâ & ſimplici intelligentiâ, id eſt ſine abſoluta vel vix perceptibili incurſione imaginationis, ac ſine diſcurſu rationis, depuratis à phantasmatibus ſpeciebus intelligibilibus, vel iis à DEO infuſis, iiſque ſplendore donorum intellectûs & ſapiētiæ, vel alio ſupernaturali lumine, rutilantisſimè illuſtratis, contemplari DEUM, ejuſq; amore exæſtuare. *Primus* autē *Ordo* hujus Hierarchiæ eſt, cum modo dictis diſpoſitionibus *Ingredi Divinam Caliginem*, (verba ſunt S. Dionyſii ſæpe repetita)
Lib. 5. cap. 3. id eſt (ut *Thomas à IESU* explicat de contempla: Divin:) ſuperdui-
„ cisſimam in ſe, ſed nobis ignotam & incomprehensibilem DEI
„ claritatem, plenitudinem, regionemque Lucis, & Veritatis ac
„ Sapientiæ ejus prorſus immenſam; & fieri in ignorantia DEI,
„ & per inviſibilitatem & incomprehenſibiltatem ipſum videre at-
„ que cognoſcere, hoc eſt intelligere ipſum omninò inviſibilem
De Laud. vitæ „ & incomprehenſibilem eſſe)) Veluti ſi quis (ut exemplo *Dionyſii*
ſolit. cap. 36. „ *Carthuſiani* utar) ſtans in littore totius Oceani, hoc eſt ei Ocea-
„ num ipſum videre, noſcere ſe non poſſe illud totum viſu attin-
„ gere, metiri, finire. Et veluti ſi quis in ipſam ſolis lucem, in
„ ipſo ſole formaliter exiſtentem ſuum defigat obtutum, hoc eſt
„ ei lucem illam conſpicere, cernere ſe non poſſe eam in ſua vir-
„ tute & puritate, oculis irreverberatis conſpicari. Sic igitur con-
„ templamur Dominum DEUM noſtrum, ſi interiorem mentis
„ oculum figamus in ipſum cum omni humilitate, reverentia, &
„ amore, abſque audaci & curioſo ſcrutinio, & intueamur quòd
„ ipſe eſt Eſſe purum, ſimplicisſimum, incircumſcriptum, bonitas
„ infinita, veritas increata, unitas ſumma, ſuperbeatisſima vita,
„ ſapientia prorſus immenſa, virtus omnipotens, ſuperliberrima
„ quoque voluntas, pulchritudo ſeparata & interminata, dulcedo
„ illimitata, ſicque de cæteris perfectionibus eius. In horum
„ contemplatione inflammetur cor noſtrum, & Divini amoris

ardore

ardore totalitèr ſuccendatur; ſicque DEO profundiùs uniatur, „
ac abditè tanquam ignoto pariter & obſcuro ferventisſimè in- „
figatur.)) Hinc patet ſimul explicatio caliginis quid ſit, de „
qua S. Dionyſius ajt: *Dicitur autem Divina Caligo, quia eſt inacceſſi-* *Epiſt.5.ad Doroth.*
bile lumen, in quo habitare DEUS dicitur, inviſibilis quidem exiſtens pro-
pter excedentem claritatem, & inacceſſibilis propter exceſſum effuſionis
ſuperſubſtantialis luminis. De hac caligine ſcriptura perſæpe
meminit V. g. Pſalm. 96. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Et Pſalm.
22. *Nubes & caligo in circuitu ejus.*

Secundus Ordo ſeu gradus eſt, altiori modo quàm priori contemplari DEUM *In Caligine.* Nam ſicut Lucis ita & Divinarum tenebrarum dantur varii gradus: unde Pſalm. *Sicut tenebræ ejus, ita* *Pſal: 138.*
& lumen ejus. Quod ipſo experimento felicitèr didicit *B. Angela de* *Cap. 25.*
Fulginio hæc ſcribens: Et poſt iſtud vidi DEUM in tenebra una: „
& ideo in tenebra, quia eſt majus bonum quod posſit cogitari „
nec intelligi; & omne quod poteſt cogitari vel intelligi, non „
attingit ad illud. Et tunc data fuit animæ fides certisſima, una „
ſpes ſecura & firmisſima, una ſecuritas de DEO continua, ita „
quòd abſtulit omnem timorem, & in illo bono quod videtur „
ita in tenebra, recollegi me totam, & effecta ſum ita ſecura de „
DEO, quòd nunquam poſſum dubitare de eo, quin DEUM „
habeam certisſimè; & in illo bono efficacisſimo, quod videtur „
in tenebra, eſt modo ſpes mea tota recollecta & ſecura. Fre- „
quenter igitur video DEUM illo modo, & in illo bono quod „
narrari exteriùs non poteſt, nec etiam cogitari corde. In illo „
inquam bono certisſimo & incluſo, quod intelligo cum tanta „
tenebra, habeo totam ſpem meam, & in videndo quidquid volo „
habere, totum habeo; quidquid volo ſcire, totum ſcio, & video ibi „
omne bonum. Nec anima in videndo poteſt cogitare de diſceſſu „
illius boni, vel de diſceſſu ab illo bono, nec quòd debeat de cætero „
diſcedere; ſed delectatur ineffabiliter in illo omni bono, & nihil „
videt omninò anima quod narrari posſit ore, nec etiam concipi „
corde; & nihil videt, & videt omninò omnia. Et quia illud bo- „
num eſt cum tenebra, ideo magis certisſimum & magis ſupe- „
rans omnia, quantò magis videtur in tenebra, & eſt ſecretisſi- „
mum. Et poſtea video cum tenebra quod ſuperat omne bonum „

„ & omnia, & omne aliud eſt tenebra, & omne quod cogitari „ poteſt, eſt minus illo bono. *Et infra;* Sed iſto modo quando vi-„ detur DEUS in tenebra, non apportat riſum in ore, nec fervo-„ rem, nec devotionem in corde, nec ferventem amorem; quia „ corpus non tremit, nec movetur, nec ſic alteratur, ſicut conſue-„ vit fieri in aliis; corpus enim nihil videt, ſed anima videt, & „ corpus quieſcit, & dormit, & truncatur lingua, quia tunc ni-„ hil poteſt loqui. Et omnes amicitias, quas DEUS oſtendit mihi „ multas & inenarrabiles, & omnia verba dulcia ab eo mihi data, „ & omnia alia data factaque in tantum ſunt minus illo bono, „ quod video cum tenebra tanta, quòd non pono ſpem meam in „ illis; imò ſi posſibile eſſet, quòd eſſent omnia non vera, nullo „ tamen modo minuerent ſpem meam, nec minueretur ſpes mea „ ſecurisſima, quæ eſt certa illo omni bono, quod video cum tan-„ ta tenebra. Ad iſtum autem prædictum modum altisſimum, „ & omninò ineffabilem, videndi DEUM cum tanta tenebra & „ ſupermirabili gratia viſionis, eſt mens mea tribus tantùm vici-„ bus elevata; quamvis multis & innumeris vicibus viderim iſtud „ omne bonum ſemper cum tenebra, ſed non prædicto altisſimo „ modo cum tanta tenebra. *Et infra:* Video enim Sanctam Tri-„ nitatem in tenebra, & in ipſa Trinitate quam video in tanta te-„ nebra, videtur mihi quòd ego ſtem & maneam in ejus medio; „ & illud trahit me plus quàm alia res aliqua quam hactenùs ha-„ buerim, vel aliquod bonum quod viderim; ita quod iſtius non „ eſt comparatio ad illa)). Ubi tamen notandum eſt duplicem eſſe caliginem in qua DEUS videtur, una quæ antecedit Experimentalem DEI notitiam per vim affectivam. 2*da.* quæ conſequitur eandem DEI affectivam notitiam, eſtque hæc 2*da.* in caligine viſio multò nobilior primâ, de qua poſteriori loquitur Dionyſius quod unio iſta ſit effectiva veræ cognitionis.

Lib. 1. *de Myſt. Theol:*

Ad hunc gradum alias ſpecies contemplationis diverſis nominib us à Myſticis titulatas revocat Thomas à JESU, ubi prætermisſis aliis quæ magis obſcurant quàm illuminant Lectorem, maximè cum inter illas ſpecialis differentia non asſignetur. Primam adducit, quæ vocatur *Somnus animæ* juxta illud: Cantico: 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quem ſomnum explicans D. Bona-

Lib. 5. *de Contempl. cap.* 5. *&* 6.

Bonaventura ait: Est enim talis iste somnus, sicut illorum qui in- „ *Processf. 7. Relig. c. 14.*
cipiunt dormitare, & tamen videntur sibi ea quæ circa se fiunt, „
aliquando sentire & intelligere, sed præ sopore non advertunt, „
nisi velint sibi vim facere, ut ad se pleniùs revertantur. Amor „
enim DEI cum pura intelligentia cogniti inebriat mentem, & „
ab exterioribus abstractam suavitate DEO conglutinat & con- „
jungit. Et quantò major, vehementior, & intelligentia lucidi- „
or, tantò validiùs in se mentem rapit, quousque tandem omni- „
um quæ sub DEO sunt plenè oblita, in solo Divinæ Contempla- „
tionis radio liberè figatur, licet breviter, quasi in quodam coru- „
sco luminis cælitùs emicantis; quia corpus quod corrumpitur „
aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum mul- „
ta cogitantem.)) Differt autem hic somnus ab alio profundiori, in quo anima in unione fruitiva omnino soporatur ac ferè omnes mentis sensus deperduntur: de quo vide Richardum supra illud Psalm: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Alia species Con- *Psalm. 4.*
templationis vocatur *Quies animæ* de qua D. *Bonaventura* ita effa- „ *Tract. de 7. grad. Contem.*
tur: Quies est totius animæ mira quædam & suavis tranquilli- „
tas, per infusam nobis ex frequentia Orationis dulcedinem con- „
creata. Solis valde spiritualibus experientia hujus quietis con- „
ceditur, quibus & datur etiam ipsas supercælestes substantias „
contemplando transcendere. Superignota enim bonitas, ipsi „
familiaris, seipsam eis immittit; & ipsi totâ virtute, dilatato sinu „
sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, ani- „
malibus & præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris „
Sanctorum contemplativorum animabus, tam insueto nutri- „
mento ditissimè adimpletis splendescit ipsorum ratio, dulcescit „
concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione quorum DEI- „
ficam illam quietem non ambigimus emanare.))

Tertius Ordo seu gradus Contemplationis in suprema Hierarchia, quia coincidit cum Mystica Theologia, de utraque hìc disserendum est. Quia verò alii duo recensiti Ordines Contemplationis ejusdem Hierarchiæ sunt quoque gradus Mysticæ Theologiæ, igitur libet ipsos ob præstantiam & suavitatem materiæ, tum clarioris intelligentiæ gratiâ breviter rememorare. Itaque *Thomas à JESV* prolatis aliorum sententiis de Mystica Theologia,

ut eis suum haberet honorem, & quid verè sentirent, quidve ad penitiorem cognitionem hujus Divinissimæ sapientiæ desideraretur, Mysticam Theologiam in tres distinxit gradus. Porro Formalia ejusdem Authoris utpote (teste Cardinali Bona) viri multiplicis doctrinæ & in praxi Mysticæ Theologiæ singulariter eruditi hic proponam: quippe præstat alterius propriâ experientiâ doceri, quàm inexperti solâ speculatione & conjecturâ informari, potissimum in re adeo Divina & arcana.

In notitia Authorum & librorum.

Primus itaq; Mysticæ Theologiæ gradus est, quando mens pur„gata desuper, & medio sapientiæ dono illustrata, super se eleva„tur, ut DEUM in omni perfectione, sanctitate, & gloria, esse tam „infinitum, ac omni menti, etiam Angelicæ, incomprehensibilem „contempletur, ac DEO intenta tanquam prorsus ignoto, in ipso per amorem & delectationem suavitèr conquiescat: Et hæc est pu„ra Contemplatio. Et tunc mens à D. Dionysio dicitur, licet non „perfectissimo modo, intrare caliginem, sive se extendere ad „radium Divinarum tenebrarum, id est superdulcissimam in se, „nobis vero ignotam & incomprehensibilem DEI claritatem, re„gionemque lucis & veritatis, ac sapientiæ DEI prorsus immen„sam, & fieri in ignorantia DEI, ac per invisibilitatem ac incom„prehensibilitatem ipsum videre atque cognoscere, hoc est, in„telligere ipsum omnino invisibilem atque incomprehensibilem „esse.

Ita Thomas à JESV de Contempl. Divina lib. 5. c. 11.

„*Secundus verò gradus Mysticæ Theologiæ* tunc temporis con„tingit, quando mens altiùs & Diviniùs & sæpe mentis excessu „sublevatur, ut Divinam non solùm ingredi, sed & habitare ca„liginem dicatur. Dominus enim DEUS in caligine, id est in „luce inaccessibili, ut ex D. Gregorio colligitur, dicitur inhabita„re. Unde optimè S. Dionysius *Divina caligo*, inquit, *est inaccessibile lumen, in qua habitare DEUS dicitur, quæ quidem caligo aliud prorsus non est, quàm incircumscripta ac penitùs interminata & superfluentissima plenitudo, splendidissima pulchritudo, serenitas, & dulcedo lucis æternæ.*

Epist. 5. ad Doroth.

„Ardentissima igitur hujus caliginis intuitio, ac mentis in „DEUM in illa caligine existentem ferè habitualis defixio, admi„ratio majestatis, seu suspensio animi in lumen immensum; fru-

itiva

itiva, quietissima, & transformativa seu absorptiva inspectio „ DEItatis, ut Dionysius Carthusianus ajebat, est Mystica Theo- „ logia, non tamen supremus ejus gradus. Nam licet sæpe men- „ tis excessus, ex ferventissimo amore proveniens, in hac con- „ templatione contingat, ac proinde cum DEO anima charitatis „ nexu tenacissimo dulciter ac suaviter uniatur, in eumque per „ amorem transformetur; adhuc tamen restat altior cum DEO „ conjunctio, & perfectior de DEO cognitio, quæ ex amore & „ conjunctione immediata & unitiva cum ipso DEO resultat, ut „ pleniùs diximus alibi. Hæc verò contemplatio secundi gradus „ omnino pertinet ad donum sapientiæ secundùm ejus altiorem „ & perfectiorem gradum ut Dionysius Carthusianus docuit. Et „ hæc est Mystica Theologia, quam ipse tam in Tractatu de Con- „ templatione, quàm in Commentariis Dionysii agnoscit & de- „ finit.

Tertius gradus Mysticæ Theologiæ, qui inter omnes contem- „ plationis species est supremus, & qui propriè Mysticæ Theolo- „ giæ naturam & proprietates aptiùs & veriùs declarat, manife- „ stè traditur à D. Dionysio qui sic scribit: *Sapientia* (appellat e- „ nim sæpè hoc nomine Mysticam Theologiam) *est dignissima DEI* „ *cognitio per ignorantiam cognita secundùm unionem, quæ est supra men-* „ *tem, quæ est veræ cognitionis effectiva*: quasi dicat: Est notitia de „ DEO, quæ habetur de ipso per unionem experimentalem cum „ ipso, ita ut priùs ex parte DEI oporteat concipere ipsius DEI in „ animam illapsum, sive deosculationem & amplexum unitivum; „ ex parte verò animæ unionem amoris, & perceptionem fruiti- „ vam & suavissimam ipsius DEI. Ad hanc DEI igitur oscula- „ tionem sive amplexum, & animæ fruitivam unionem resultat „ in intellectu altissima & perfectissima de DEO cognitio. Qua- „ re optimè Gerson Mysticam Theologiam describens, dixit: *Est* „ *experimentalis cognitio habita de DEO per amoris unitivi complexum.* „ Igitur prior est ipse complexus mutuus amoris fruitivus inter „ DEUM & animam, quàm sit cognitio, quæ ex natura sua sequi- „ tur ad amorosum & suave illud DEI osculum; & ideo aliter de- „ finiri solet, nempe: *Est sapida notitia de DEO, dum ei supremus apex* „ *affectivæ potentiæ realiter per amorem unitur.* Quare sicut in dono „

7. de Divin: Nomin.

Alphabeto 65. lit. E.

„ sapientiæ priùs est gustare DEI suavitatem, ac animam charitate mediâ cum DEO uniri, quàm DEI experimentalis cognitio „ seu contemplatio; ita in Mysticæ Theologiæ contemplatione „ priùs est DEUM animæ uniri, quàm DEI ipsius animæ illapsi „ & deosculantis habere cognitionem, juxta illud, *Gustate & videte.*

Præcedere verò solet hanc unionem ineffabilem animæ cum „ DEO caliginosa illa contemplatio, de qua pleniùs secundo gradu antecedenti diximus. Nam dum anima sub umbra Dilecti „ ac in illa caligine constituta, continuis suspiriis ac amoris violentiâ fertur in DEUM, nonnunquam repente pietate DEI immensa apicem affectivæ, & verticem intellectivæ potentiæ immediatè tangente, illuminatione & inflammatione ardentissimâ „ ad Contemplationem ac Theologiæ Mysticæ intuitum, & unionem fruitivam rapitur, atque feliciter ibi in DEUM, quem sibi præsentissimum sentit, Divinitùs transformatur, ut egregiè „ ex D. Dionysio docuit D. Bonaventura his verbis: *Verus Contemplator est, si sursum tractus est super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus Contemplationis est, de quo loquitur Dionysius cap. 8. Mysticæ Theologiæ, dicens: Adhuc restat principalior DEI cognitio, quæ figuratur in eo quod Moyses separatur ab his qui locum DEI secum viderant, & subtrahitur illis visis, & intrat in caliginem ignorantiæ, & unitur incomprehensibilitati Divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ verè est omnium clarissima, & in se claudit & secretissimè celat omnes cogitationes comprehensivas, tanquam in causa prima omnium, & per eam omnis unitus DEO (qui est supra omnia) constituitur in excellentia, quam neq; ratio investigat, nec intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à seipso segregatur, & per unionem dilectionis, quæ effectiva est veræ cognitionis, unitur DEO intellectualiter ignoto, cognitione multò meliori, quàm sit cognitio intellectualis in eo, quod intellectualem cognitionem dereliquit, & super intellectum & mentem DEUM cognoscit.*

Itin: 3. dist. 4. art. 4.

„ In quibus Dionysii verbis duo sanè sunt consideranda. „ Primum, Contemplationem illam, quâ in Caligine DEUS agnoscitur, non esse Mysticam Theologiam (a), sed potiùs esse immediatum gradum & dispositionem ad unionem illam fruitivam „ & felicissimam cum DEO: illa enim cognitio non est altior neque perfectior quàm possit in hac vita de DEO haberi, cùm præ-

(a) scilicet propriè loquēdo:

præcedat DEI perceptionem experimentalem. Oporteτ igitur „ quærere aliam cognitionem, in qua Myſtica iſta contemplatio „ propriè conſiſtat. Hæc autem ex mente D. Dionyſii eſt illa „ quæ concomitatur ſive conſequitur ipſam DEI fruitivam per- „ ceptionem, ut ex illis verbis ejusdem Dionyſii expreſſè conjici- „ tur. *Et per unionem,* inquit ille, *dilectionis, quæ effectiva eſt veræ cognitionis, unitur DEO intellectualiter ignoto cognitione multò meliori.* Igitur cognitio illa quæ unionem ſive DEI amplexum comitatur, „ & quæ ex illo oritur, quæ verè dicitur cognitio & contempla- „ tio DEI altisſima, illa inquam eſt (non præciſè conſiderata, ſed „ ut connotat unionem animæ cum DEO felicisſimam & fruiti- „ vam) in qua verè conſiſtit Theologia Myſtica. Et quamvis „ præcipuè & eſſentialiter conſiſtat in hac cognitione; principi- „ um tamen habet & cauſam in amore unitivo, & perceptione „ DEI experimentali, ex qua veluti ex fonte, ubi Divina ſuavitas „ guſtatur, & æterna felicitas prælibatur, ſapidisſima ac divinisſi- „ ma DEI oritur contemplatio, quæ Myſtica Theologia appellatur.

Quod ſi aliquando Dionyſius docere videatur, in hac „ Myſtica Contemplatione derelinquendam eſſe omnem tam ſen- „ ſûs quàm intellectûs operationem, eò quòd in ea DEUS ſuper „ intellectum & mentem cognoſcatur: Sanè verus D. Dionyſii „ ſenſus eſt, illas operationes intellectûs, quæ de DEO aliquid af- „ firmant, omnino eſſe removendas, maximè verò in viris exerci- „ tatis & perfectis, ac ignotè, in quantùm posſibile eſt (ut ipſe in- „ quit) per negationem & omnium ablationem ad DEUM eſſe „ aſcendendum. Unde ipſe Dionyſius ſæpè Myſticam Theolo- „ giam vocat (ut bene Carthuſianus docuit ut ſupra) Contempla- „ tionem, intuitionem, viſionem: quæ omnia ſpectant ad intelle- „ ctum, ut infrà latiùs dicemus.

Hæc ferè omnia quæ de Myſticæ Theologiæ Contem- „ platione diximus, ſequentibus exemplis non incongruè expli- „ cari poterunt. Si aliquis, V. g. eſſet conſtitutus prope ipſam „ ſolis ſphæram, tunc ille præ nimia ſolis claritate vix poſſet ocu- „ los in ſolem defigere, percuſſusque radiis ſolaribus potiùs ca- „ liginem quàm lucem præſentiret. Eo verò quo ſoli eſſet vici- „ nior, tantò magis ejus calorem ac ardorem experiretur. Quodſi, „

„ omnino ipſum ſolis orbem ac ſphæram ingrederetur, tunc ve-
„ rè ſoli diceretur conjunctus ac unitus, & quò conjunctior ſoli
„ ac intimior, eò clariùs ſolem magis ex natura ſua lucidum ac
„ luminoſum ſive viſibilem eſſe conſpicit; quamvis ipſius radio-
„ rum coruſcatione viſus reverberatus minùs videat, dum ma-
„ gis viſibilem ſolem eſſe cognoſcit. Sic pariter de cognitione
„ ſive Contemplatione, quæ Myſticam hanc unionem & præce-
„ dit, & comitatur, philoſophari oportet. Nam Contemplatio
„ illa, quâ DEUS ſub caligine conſpicitur, verè eſt intellectûs o-
„ peratio nobilisſima, quâ DEUM quaſi è vicino, ejuſque im-
„ menſas divitias ſub incomprehenſibilitatis ratione intuemur.
„ Cùm verò anima DEO ipſi verò juſtitiæ ſoli ineffabiliter copu-
„ latur, tunc mentis oculus præ immenſa DEI claritate, inviſibi-
„ litate, ac incomprehenſibilitate veluti quibusdam ſplendidisſi-
„ mis radiis reverberatus caligat, ac infinitâ objecti luce victus,
„ ſuccumbit, ac experientiâ ipſâ apertiùs quàm anteà ſolis calo-
„ rem ac claritatem cognoſcit. *Hactenus Thomas Carmelitanus.*

Et hæc quidem ſimilitudo pro vi Intellectiva quadrat: pro affectiva autem quomodo hæc notitiam DEI experiatur, fortaſſe tali ſimilitudine aliquantum poſſe adumbrari videtur. Sed primò ſuppone ex ſenſu Philoſophi ac vulgari opinione & dicto, poſſe aliquid cognoſci non modò per viſum, ſed & auditum, & guſtum, & odoratum, & tactum. 2. Non modò viſum & reliquos quatuor ſenſus producere actum cognitionis ſeu diſcretionis de re aliqua. Taliter V. g. Organum guſtûs ut producat actum guſtationis, requirit objectum ſibi conveniens nempe ſaporem, qui per cibum vel potum applicatus guſtui, ſiquidem ſeipſo nequeat pertingere ad vim guſtativam mittit ſpeciem ſui ſaporiferam, quæ pertingens ad potentiam guſtativam ei imprimitur, cum qua ſpecie ſaporis impreſſa ſibique unita guſtus elicit ſpeciem expreſſam ſeu actum guſtationis. Et ita de aliis ſenſibus philoſophare. Pari ratione videtur contingere & circa ſpirituales ſenſus in productione illius beatisſimæ notititæ DEI ab appetitiva. Nam cumprimis convenienter poteſt dici non ſolùm intellectum poſſe cognoſcere DEUM ſed & voluntatem, utpote quæ experitur ſibi eſſe unitum per quendam ſpiritualem guſtum

guſtum, & tactum: hic autem actus notitiæ experimentalis ita (pro craſſo modo noſtro concipiendi, ſalvo aliorum ſenſu) fieri ordinariè videtur. Elevatâ mente in DEUM ferventisſimi amoris actibus, DEUS dum pro ſua pietate voluerit viſitare ſervum ſuum humilem, fidelem, ac ſui deſiderio æſtuantem, DEUS inquam tangit realiter ſeipſo verticem voluntatis, tangiturque experimentaliter à voluntate, quam vel per ſpeciem aliquam (ut fit inter organum guſtus & ſpeciem ſaporis) vel potiùs ſeipſo realiter compenetrat, voluntatique ſe pasſivè habenti DEUS ſeipſum quoddammodo imprimit, unitque unione non reali, non morali, ſed quadam ſpirituali & Myſtica: voluntas verò quantùm ex parte ſua unit ſe DEO unione quâ poteſt nempe Amoris. Tandem voluntas cum illa impresſione DEI in ſeipſam producit actum expreſſum notitiæ experimentalis DEI; qui actus variis nominibus à Myſticis appellatur, nempe Tactus, Guſtus, juxta illud: *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Pulchrè de notitia experimentali ſenſibili eâ ad ſpiritualem applicando diſcurrit *S. Bonaventura* ita: Experientia idem eſt quod notitia. „ Unde experientia videtur eſſe obiecti cujuslibet potentiæ præ- „ ſentialis actus & notitia: actus enim vitales attingunt ſua ob- „ jecta activè, vel pasſivè vel utroque actu. Unde ſi omnes „ homines dicunt mihi, hoc eſſe dulce, per hoc non habeo noti- „ tiam experimentalem de illo, etiam quantumcunque probent „ per rationes, ſed opinionem, vel fidem, vel ſcientiam poſſem „ habere. Sed ſi guſtus meus attingit guſtabile, vel attingitur „ ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter „ eſt de guſtu interiori, & aliis ſenſibus ſpiritualibus. Unde ſi „ ego lego, vel audio ab aliquo, quod dulcis eſt Dominus; pro- „ pter hoc non habeo notitiam experimentalem, niſi guſtus ſpi- „ ritualis attingatur à dulcedine Divina, ut dicat cum ſponſa: fru- „ ctus eius eſt dulcis gutturi meo; ubi loquitur de guſtu ſpiri- „ tuali, ut patet in Gloſſa. Et ita notitia experimentalis perfe- „ ctisſimorum eſt.)

1. Petri 2.

Itin. 6. ætern. diſt. 1.

Ad hunc *Summum gradum* ſupremæ Hierarchiæ Contemplativorum revocantur alii modi tendendi in contemplando, qui non ab aliquo habituali dono Spiritûs S. ſapientiæ vel intellectûs,

sed ab altiori quodam principio supernaturali exoriuntur. *Primo*, Ejusmodi contemplatio est, quæ vocatur *Supereminens*; provenitque vel à solo lumine actuali supernaturali, vel etiam simul à speciebus Divinitùs coordinatis, vel infusis. Quam contenplationem ab actuali lumine infuso orientem *Thomas à JESU* probat esse eminentiorem illâ, quæ procedit à donis Spiritûs S. Ita D. Thomas: Illud est plenius & perfectius lumen, quod datur per modum actûs sive passionis, quàm illud quod per modum habitûs infunditur: Quia ex altitudine hujus luminis actualis contingit, ut humana mens illud possidere non possit per modum habitûs)) Deinde hujus contemplationis cognitio est illustrior quàm aliarum: quia illa progreditur de DEO per modum affirmationis, cæterarum verò cognitio fit per modum negationis & in caligne. Breviuscula autem solet contingere talis contemplatio, patet ex *mellifluo Doctore* dicente: Quando hujusmodi experitur affectum, ut Divino inebriatus amore animus oblitus sui, factusque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergat in DEUM, & adhærens DEO, unus cum eo spiritus fiat, & dicat: Defecit caro mea, & cor meum: DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Beatum dixerim & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita raró interdum, aut vel semel & hoc ipsum raptim atque unius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere tanquam qui non sis, & omninò non sentire te ipsum, & à temetipso exinaniri & penè annullari, cælestis est conversationis, non humanæ affectionis.

D. Thom: De verit. quæst. 12. art. 1. ad 7.

S. Bernardus Lib. de diligendo DEO.

Loquendo igitur de contemplatione, produci solita a dicto lumine actuali supernaturali, & speciebus Divinitòs immissis; sic ejus quatuor gradus numerantur: *1mus* est, quando DEUS hoc lumen communicat sine speciebus de novo immissis, nec præexistentibus coordinatis. *2dus*, dum eodem lumine infuso nova Divinitùs fit ordinatio specierum imaginabilium. *3tius*, quando cum præfato lumine infuso, novæ imprimuntur rerum imaginariæ similitudines. *4tus*, quando cum sæpe dicto lumine infuso, infunduntur quoque intelligibiles species transeuntes. Additur his *Quintus gradus* nempe dum infunditur habitus scien-

tiæ

tiæ includens lumen ſupernaturale clarum & evidens, tum ſpecies repræſentantes res ſpirituales creatas prout ſunt in ſe: increatas verò quantùm ex creatis ſupernaturali evidentia cognoſci poſſunt. Ubi advertendum, per intelligibiles ſpecies infuſas intelligi imagines ſeu impresſiones rerum in intellectu, vel ſub formis alienis, prout ſolet intellectus à phantaſia abſtrahere, & ex imaginaria intelligibilem facere ſpeciem: vel ſub formis propriis tam ſubſtantialibus ut ſunt eſſentiæ rerum, quàm ſub accidentalibus: ſi ſpirituales res ſunt V. g. Angelus, gratiæ ſupernaturales, &c. ſub quidditativis earum ſimilitudinibus. De DEO autem an viatori homini communicata aliquando fuerit ſpecies propria, affirmatur de DEIpara, de aliis verò uti de Moyſe, & S. Paulo controvertitur inter Doctores. Certum autem eſt ſubinde magnis Sanctis communicatam fuiſſe Speciem DEI *Mediam* inter Fidem & Lumen gloriæ, per quam Deum felicisſimè contemplabantur. Huic cognitioni *Mediæ* concordat illud Apoſtoli: Ex parte cognoſcimus, & ex parte Prophetamus. Eadem cognitione S. Patriarcha Benedictus vidit totum mũdum collectũ velut ſub vno ſolis radio: ſuper quod S. Gregorius requiſitus reſpondit; *Videnti Creatorem, anguſta. eſt omnis creatura.* Confirmat hæc de modo explicata ſublimisſima Contemplatione (in qua & lumen & ſpecies Divinitùs infunduntur) *Dionyſius Carthuſianus* ita dicens: Interdum fit hoc per ſimilitudines corporales, interdum „ per formas imaginarias, interdum verò ſublimiùs, puriùs, ac „ Diviniùs, per ſpecies & radios intellectuales, hoc eſt, per ſo- „ lam intellectualem illuminationem, & ſpiritualis ſpeciei aut lu- „ minis infuſionem, ut contingere ſolet perſonis perfectis, he- „ roicis, & Divinis, quæ ſæpè inopinatis excesſibus feruntur ſeu „ potiùs rapiũtur in DEUM, qui frequẽter benignisſimè ſic ſubitò „ & ex improviſo prævenit mẽtes illarũ, quòd abſq; proprio cona- „ mine illuſtrãtur & inflammãtur à Spiritu ſancto, tãq; ſuavisſimè „ replẽtur & conſolãtur ab ipſo, ut ineffabilẽ DEI circa ſe charitatẽ „ pietatẽ, liberalitatem, ac dignationem nequaquam mirari ſuffici- „ ant; atq; tam validè elevantur & afficiuntur in DEUM, ut præ- „ claritate cõtemplationis, & præ fervore dilectionis Divinæ defi- „ ciant, & à ſeipſis alienentur, ac corpore infirmentur, undaſque „

1. Cor: 13.

In vita S. Benedicti.

Opuſc. de vita incluſarum c. 19.

gratiæ

„ gratiæ desuper influentis ferre vix queant; sicque DEO suum „ in eos continuante influxum à seipsis penitus defluant, atque „ in abysso lucis æternæ, in fonte divitiarum gloriæ infinitæ de- „ merguntur, ac absorbentur, & igne amoris Divini quodam „ modo consumuntur, sicque dulcissimè in DEO obdormiunt, „ feliciterque repausant & conquiescunt, quousque hæc gratia „ tanta tollatur, & sibi ipsis relinquantur, atque ad solita exer- „ citia remittantur. Tales tam electi à DEO dicere valent cum

Psalm: 72. „ Propheta: Quia inflammatum est cor meum, & renes mei com-

Ibidem. „ mutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Item- „ que: Defecit caro mea & cor meum, DEUS cordis mei, & pars

Jerem: 20. „ mea DEUS in æternum. Et rursus cum Sanctissimo Jeremia: „ Factus est sermo domini in corde meo quasi ignis exæstuans, „ claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non subsistens.))

Lib. 2. Myst. Theol. cap. 64. Et *Harphius* de eadem altissima contemplatione hæc luculenter profert; Cùm spiritus hominis jam factus est tanquam vividum spirituale speculum, in quo DEUS format spiritum veritatis, in quo & ipse per plenitudinem gratiæ suæ inhabitat. Ostendit etiam se DEUS in illo speculo vivido, non sicut est in sua essentia, sed in eminentissimis & nobilissimis imaginibus ac similitudinibus, adeò ut illuminatus sublevatusque intellectus, sinè omni errore clarè cognoscat in imaginibus intellectualibus omnia, quæcunque audire potuit de DEO, de Fide, & de omni occulta veritate; videlicet quomodo DEUS est summa majestas, veritas, bonitas, sapientia, misericordia, justitia, & amor; deinde quomodo sit differentia Personarum, & quod unaquæque Persona est DEUS Omnipotens. Cognoscit etiam unitatem Divinæ naturæ in SS. Trinitate, & Trinitatem in naturæ unitate, & unamquamque Personam esse DEUM in unitate essentiæ. Agnoscit etiam, esse fæcunditatem in Divina natura, & simplicem otiositatem in ejus essentia: quia Intellectus ita sublevatus & clarificatus spiritu veritatis, DEUM videt in proprio speculo, in tam multisimodis, formis, & imaginibus, sicut excogitare potest, aut videre desiderat. Nihilominus tamen intellectus elevatus semper inclinatur ad videndum, quid sit DEUS in seipso. Quanquam verò imago DEI sublevato clarificatoque intellectui proponatur, tamen non po-

t eſt eam comprehendere aut contemplari, propter immenſam claritatem, quâ intellectualis oculus reverberatur & caligat. Et hæc eſt propriè caligo ſeu umbra, ſub qua anima in Canticis ſe de- re gloriatur.

Præterea *cap. 65.* ut ſupra, agens de lumine quod DEUS in hoc ſtatu ſolet infundere, ita ſcribit: Lux autem iſta non eſt DEUS, ſed quoddam clarificatum, medium inter DEUM & amantem ſpiritum, nobilius exiſtens omnibus à DEO in natura creatis, quo natura nobilitatur & perficitur. Noſtra verò ſimplex nuda cogitatio ſpeculum vividum eſt, in quo lux iſta refulget, exigens à nobis conformitatem & unionem cum DEO. Præterea lumen iſtud dicitur *Candor lucis æternæ*, & requirit ſpeculum ſine macula omnium aliarum imaginum. Dicitur etiam *Spiritus Patris*, in quo ſe DEUS ſimpliciter oſtendit ſine differentia Perſonarum, ſed in ſola nuditate ſuæ naturæ & ſubſtantiæ. Verumtamen non oſtendit ſe DEUS ſicuti eſt in ſua ineffabili gloria, ſed oſtendit ſe unicuique juxta modum collati luminis, quo oculus ipſius ſpiritûs clarus & aptus factus eſt. Tribuit tamen lumen iſtud contemplativis ſpiritibus veram agnitionem, quòd DEUM vident ſicut in hac vita videri poteſt. Et iſtud propriè dicitur contemplari, ita quod ſimplex oculus nudæ cogitationis nullam aliam imaginem recipit, ſed ſolummodò & integrè imaginem Divinam, quam agnoſcit per ſeipſam, ubi eam ſuſcipit: quia per præſentiam hujus imaginis ſpeculum clarificatur atque diſponitur ad contemplandam imaginem Divinam. Hæc quoque Imago DEI (quæ eſt quædam immenſa claritas) eſt ſpiritui noſtro tam vehementer ſapida, quòd ſeipſum ſemper profundans immergit in illam claritatem, & unum cum eodem immenſo lumine efficitur, mortuus quodammodo in ſe, & vivens in ipſo lumine. Et tunc hoc lumen ſine aliquo intermediante ſuſcipit, ita quod ſpiritus ſine dilatione efficitur idem lumen quod recipit, & fit videns in Deiformi lumine; hoc eſt, anima clarificatur luce, quâ DEUM eminenter contemplamur. Et quoniam iſta lux in abſcondito ſpiritûs ſemper ſine intermiſſione renovatur, etiam anima noſtra in æterna novitate ſemper feliciter & glorioſè cum Filio DEI generatur. Ubi omnes deliciæ, divitiæ, agnitiones, & omnia deſiderabilia à glo-

rificato spiritu sine omni mensura possidentur, imò incomprehensibilia miranda, quæ in infinito thesauro hujus occultæ gloriæ reservantur, excedunt sine omni mensura intellectum omnium creaturarum, quæ claritate DEI in fruitivam DEI cognitionem non trahuntur. Idcirco magnæ esset præsumptionis, de istis velle scribere; quia licèt aliquis hoc cum Paulo essentialiter vidisset, tamen non liceret sibi hoc eloqui, eò quòd nullo modo valeret hoc per aliquam similitudinem exprimere. Hoc igitur modo juxta possibilitatem meam demonstravi tibi viam ad ingressum supereminentis contemplativæ vitæ. Sed quid recipiat anima cùm ibidem intracta fuerit, hoc committo ruminandum illis, qui hoc experimentaliter agnoscunt, & adinstar Pauli, ut ita dixerim, rapi meruerunt in tertium cælum. *Hæc Harphius.*

Gradus Contemplationis ex parte Objecti similiter in tres Hierarchias disponuntur. In infima Hierarchia ponuntur Objecta sensibilium, quæ sub sensum externum, & internum seu communem cadunt, per quæ ascenditur in Contemplationem DEI. Talia objecta sunt in primo ordine, Creatura, seu Mundus hic visibilis major,& minor seu Homo: in *2do.* altiori ordine sacra Scriptura: in *3tio.* ordine Sapientia DEI incarnata. Quod mediam Hierarchiam concernit, in ea sumuntur Objecta Creaturarum intelligibilium & spiritualium, ducentium in notitiam DEI. Ejusmodi sunt in infimo ordine Anima rationalis cum suis potentiis & habitibus naturalibus; in medio ordine eadem Anima ut exornata dotibus supernaturalibus gratiæ & gloriæ, ubi & de Corporis gloriosi dotibus, quod modo quodam erit Corpus spirituale; in supremo ordine de Angelis cum suis bonis naturalibus & supernaturalibus. Quòd spectat supremam Hierarchiam in ejus triplici ordine proponitur in seipso intuendus DEUS Ter Opt. Maximus.

Fundamentum supradictorum de supremo gradu Contemplationis, seu Mystica Theologia.

PEr rivulos variorum Authorum ad fontem ipsum Divinissimum Dionysium, primum scriptorem seu elucidatorem Mysticæ, Cæloque celatæ cælestis Sapientiæ, seu Theolo-

gıæ

giæ, deducti, lubet prælibare ex eodem lucidisſimo dulcisſimoque fluento aquas ſalientes in vitam æternam. Itaque ſacratisſimus hic Areopagita diſcipulus B. Pauli Apoſtoli, & ejus Secretorum cæleſtium (quæ aliàs non licet homini ſed mundano & carnali loqui) conſcius, ſcripſit ad D. Timotheum librum de Myſtica Theologia; qui capitibus quinque (ut ore Ioannis à „ JESU Carmelitæ proferam) diſcretus, arcanus, & planè cæle- „ ſtis eſt: Cujus ſi totam ſeriem quis attentè perluſtret, præter „ exhortationem Timothei ad Myſticam Sapientiam, quam pri- „ mo capite præfatur, diſcurſumque capitis ſecundi, quo DEUM „ per creaturarum ablationem docet myſticè cognoſci, & quan- „ dam Theologiæ diviſionem quadrimembrem tertio capite „ deſcriptam, aſſertionesque quarti, & quinti capitis, quibus DE- „ Um ultra omnia, quæ ſenſu, intellectuvè concipiuntur, eſſe „ profitetur: Unum tantummodò reperiet aſſertum aliquoties „ primo capite repetitũ, quo totus Dionyſii ſenſus, totaque Myſtica „ Theologia continetur, quod modo ſubteximus. „

Theolog: Myſt: Cap. 7.

Ex *verſione Ambroſii Florentini, Abbatis, Generalis Ordinis Camaldulenſis.*

HÆc ſunt poſtrema primi capitis verba, quæ ſubiecit Di- „ onyſius, poſt allatam hiſtoriam myſtico cuivis Theologo „ apprime quadrantem, Moyſis, qui mundatus, & à turbis ſegre- „ gatus ſubiit montem, DEUM in nebula percepturus. „

Tunc verò ipſa quoque viſibilia, atque intellectualia contemplator linquens, ingreditur ignorationis myſticam profectò caliginem. In qua omnia ſcientiæ, & cognitionis præſidia terminans; totus in eo fit, qui tactum penitus viſumque refugit, tranſcenditque omnia, & qui nullius eſt, neque ſuimet, neque alterius, penitus autem ignoto, ſcientiæ omnis, & cognitionis vacatione, præſtantiore modo coniunctus. Et eo quoque ipſo, quòd nihil cognoſcit, ſupra ſenſum, mentemque cognoſcens.

Id eſt,

Tunc quando contemplator ad Myſticam DEI cognitio- „ nem aſpirat, creaturarum omnium, tum corporearum, tum in- „ corporearum imagines relinquens, ſecretam quandam in „ nebulam abdit ſe, ubi mira eſt ignoratio. Ibi enim amittit o-

„ mnia ſcientiæ, cognitioniſque adminicula, hoc eſt, ſimulacra, „ quibus hominis innititur cognitio. Jamque omni obſtaculo „ expeditus, totus per voluntatem ſive affectum fit; hoc eſt trans- „ formatur in eum, qui tangi, viderique nequit à viatoribus, & „ qui cùm ſit Dominus univerſorum, nec ſeipſo altior eſſe que- „ at; nullius eſt, ne ſui quidem ipſius. Modus antem transfor- „ mationis hic eſt, ut DEO penitus per aſſertiones ignoto, ſcien- „ tiæ omnis, & cognitionis aſſertricis vacatione præſtantiore „ modo, id eſt, per ablationem, ſeu negationem cognoſcens, affe- „ ctu intimo coniungatur. Et eo ipſo, quòd nihil aſſerendo, ſed „ omnes poſitiones auferendo cognoſcit, altiùs multò DEUM „ ſupra ſenſum, mentemque, hoc eſt mentis conceptum aſſerti- „ vum cognoſcit.

„ At ſi ex aliorum Scriptorum opinione aſcenſus ille myſti- „ cus voluntatis in DEUM erectæ, ſine omni prorſus intellectûs „ actu aſtruatur, in hunc modum (quoad ſuper allatum textum) „ ſanctus Dionyſius debet exponi.

Jd eſt.

„ Tunc qui Myſticè DEUM percepturus eſt, creaturarum „ omnium tum corporearum, tum incorporearum imagines re- „ linquens, ſecretam quandam in nebulam abdit ſe, ubi mira eſt „ ignoratio. Ibi enim amittit omnia ſcientiæ, cognitioniſque „ adminicula, hoc eſt, ſimulacra, quibus hominis innititur cogni- „ tio. Iamque omni obſtaculo expeditus, totus per affectum „ transformatur in eum, qui tangi, viderique nequit à viatori- „ bus, & qui cùm ſit Dominus univerſorum; nec ſeipſo altior „ eſſe queat, nullius eſt, ne ſui quidem ipſius. Modus autem „ transformationis hic eſt, ut ſine omni intellectûs actu, ſeu co- „ gnitione, præſtantiore modo, id eſt, voluntate, penitus ignoto „ DEO coniungatur. Et eo ipſo, quòd nihil prorſus cognoſcit, „ altiùs multò ſupra ſenſum, mentemque hoc eſt intellectum, „ DEUM cognoſcit, ideſt, ſolâ voluntate percipit.

„ His ergo duntaxat verbis è libro illo excerptis, ac expo- „ ſitis Myſtica Theologia tota continetur, ut ei, qui pauca illa „ perceperit, alio ferè non ſit opus commentario. Proderit au- „ tem non vulgariter utraque expoſitio ad pleraque S. Dionyſii

pro-

pronunciata, libris ejusdem intexta, multaque tum sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, qui de Contemplatione, ac Divinis affectionibus scripsère, asserta intelligenda; quæ viros alioqui satis eruditos, sed rerum Divinarum parum consultos latere solent. „

Punctum Tertium.
De Ecstasi, & Raptu.

QUoniam *Ecstasis* & *Raptus* juxta Card. Bona sunt quidam effectus seu proprietates contemplationis, de illis hìc breviter aliqua insinuamus. *Ecstasis*, Doctore Seraphico, est „ deserto exteriori homine suiipsius supra se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem Divini amoris fontem.)) „ *Raptus* autem, Doctore Angelico, est quando anima hominis „ spiritu Divino ad supernaturalia elevatur cum abstractione à „ sensibilibus)) Differt autem juxta eundem Ecstasis à Raptu, „ quia Ecstasis importat simpliciter excessum à seipso secundùm „ quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur: sed „ Raptus supra hoc addit violentiam quandam „

Via Compend. ad DEUM c. 10.

S. Bonavent. de Grad. Contempl.

D. Thom. 22. quæst. 175. art. 1.

Ibid. art. 2. ad 1.

Thomas à JESU inquit: Tribus autem de Causis, dum Divina contemplamur, ut auctor est Venerabilis Richardus, in mentis alienationem abducimur: modò præ magnitudine admirationis sive lucis, modò præ magnitudine devotionis sive amoris, demum præ magnitudine iucunditatis: ita ut aliquando vehemens & intensa rei visæ admiratio, sive claritatis Divinæ intensus splendor, aliquando tenacissima & intensa amoris adhæsio, aut nimia delectatio, causæ sint, ut anima à pristino statu quasi resoluta, ad superna elevetur. Hæc latius Richardus prosequitur ubi supra, ex cujus doctrina quæ potiora sunt afferemus.

Hæc & sequentia. Thom. à JESU de Contempl. Diu. l. 6. cap. 4. Richardus lib. 5. c. 5. de Contempl.

Primùm igitur magnitudine admirationis anima humana supra seipsam ducitur, quando in contemplatione Divino lumine irradiata, & in summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut de suo statu funditus excutiatur, & in modum fulguris coruscantis, quantò profundiùs per despectum sui de visæ pulchitudinis respectu in ima deijcitur, tantò sublimiùs, tantò celeriùs super semetipsam rapta, in sublimia eleva-

elevatur; tunc enim contingit admiratio, quando aliquid cernimus præter spem, & supra æstimationem. Novitas igitur visionis, & rei vix credibilis, adducere solet admirationem mentis reique novitatem, quantò magìs miramur, tantò diligentiùs attendimus; & quantò attentiùs perspicimus, tantò pleniùs cognoscimus. Quod satis convenienter describitur. Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Nam aurora paulatim elevatur, elevando dilatatur, & dilatando clarificatur, & tandem in defectum sui veniens, in diem esse desinit. Sic humana intelligentia Divino lumine irradiata, dum intelligibilium contemplatione suspenditur, & eorum admiratione distenditur, quantò ad altiora & mirabiliora ducitur, tantò copiosiùs dilatatur. Et unde ab infimis remotior, inde in semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Cùm ergo sic semper ad altiora crescit, tandem aliquando crescendo humanæ capacitatis metas transcendit, ut à semetipsa penitus deficiat, & in supermundanum quendam affectum, totaliter transformata super semetipsam eat. Et sicut lux matutina crescendo desinit non quidem esse lux, sed esse lux matutina, ut ipsa aurora non sit jam aurora; sic humana intelligentia ex magnitudine dilatationis suæ quandoque accipit, ut ipsa jam non sit ipsa: non quidem ut non sit intelligentia, sed ut jam non sit humana, dum mirabili immutationeque incomprehensibili efficitur plusquàm humana, dum gloriam Domini speculando in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

Et paulò infra ita citatus Thom: à JESU discurrit. Secundo excedendi modo mens supra seipsam elevatur, quando tanto cœlestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, ita ut animam humanam ad ceræ similitudinem liquefactam, à pristino statu penitus resolvat, & adinstar fumi attenuatam in superna elevet, & ad summa emittat. Iste etiam excedendi modus Cantic. 3. non obscurè exprimitur illis verbis: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Et talis excessus mentis magis fieri solet ex sola desiderii ferventis æstuatione, quàm ex adjuncta sibi Divina revelatione. Major etiam

ad

ad meritum illa mentis elevatio esse videtur, quæ favente gratiâ surgit ex incensione & inflammatione propria, quàm illa, quæ surgit ex sola vel aliqua inspiratione Divina. Et hujus practica sumi potest ex naturalibus. Quia sicut ignis corporeus liquorem modicum in vase superpositum primò ab imis incipit evertere, deinde nunc in hanc nunc in illam partem jactare, nunc verò sursum, nunc deorsum agitare, tandem etiam ad superiora vasis attollere, donec vas totum ex quamvis modico repleverit: ad ultimum verò cum violentia quadam incipit interiora vacuare, & foras effundere: sic Spiritus humanus igne Divino succensus, continuatis exercitiis paulatim magis ac magis æstuat, donec tandem ferveat ac superferveat, ac impellentibus desideriis extra se tandem ejectus, suique penitus oblitus, & per ecstasim sublevatus, totus in superiora rapiatur, & sic in quandam dulcedinem Divinæ suavitatis absorbeatur. De qua dulcedine dicit Richardus, quòd nihil in hac vita sentitur jucundius, nihil ita animum ab amore mundi elongat, nihil ita mentem contra tentationes roborat. Quem enim talis gustus inebriaverit, ad omne opus & omnem laborem hilarescit, laborat & non lacescit, festinat nec deficit, dolet nec sentit, laceratur & nescit, irridetur & non advertit.

Restat adhuc tertius in contemplatione excedendi modus ex magnitudine jucunditatis explicandus. Tunc enim mens mirâ exultatione repleta, à seipsa alienatur: quoniam intima illa internæ suavitatis abundantiâ potata, imò plenè inebriata, sui penitus oblita, in alienationis excessum traducitur, & insupermundanum quemdam affectum sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Hic sanè excedendi modus Cantic. 8. satis convenienter expressus videtur illis verbis: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Si namque per desertum intelligitur cor humanum ab omni tumultuatione separatum, quis erit ascensus de hoc deserto, nisi humanæ mentis excessus? quo se mentis alienatione deserens, & ipsos cælos pertransiens, spiritus se totum solis Divinis per contemplationem & devotionem immergit. Cujus causa subnectitur in eo, quòd deliciis spiritualium gaudiorum affluere describitur, quas aliunde consequi non valet, nisi ex intima illa amimi jucunditate,

ditate, & Divinitus infusa dulcedine. Non autem dicit, *delicias habens*; sed, *deliciis affluens*: quia non quælibet harum deliciarum experientia, sed earum affluentia talem ascensum, qui de deserto sit, gignit & perficit.

Præterea cùm raptus aliquando contingat potiùs ex debilitate potentiæ, quàm ex amplitudine & nobilitate objecti, vel interioris luminis, ut sæpe contingit in incipientibus; qui cùm Divina degustare incipiunt, eorum dulcedine allecti facile à se ipsis abstrahuntur: quemadmodum illi qui non sunt assveti continuis potationibus, uno aut altero vini haustu facile inebriantur; assueti verò quantò magis bibunt, eò magis sitiunt, ac ferè semper sui compotes manent. Sumenda igitur est contemplationis excellentia, etiam in raptu, ex principio efficienti, interna inquam inspiratione, sive lumine, ita ut quantò lumen fuerit clarius, certius, & plenius, cæteris paribus præstantior erit contemplatio. *Hæc Thomas à JESU Carmelitanus.*

Illicia Contemplationis vel ex ejus sola descriptione gradibusq; & aliis modò visis patent, tum supra data sunt sub statu vitæ Contemplativæ in summa Theol: Spirit: Cap. 6. Sect: 5. Subsect: 2.

Punctum Quartum.

PRaxis *Contemplationis est duplex*: Alia circa Activam seu Ordinariam Contemplationem; Alia circa Passivam seu Mysticam, & Extraordinariam. Ad ordinariã Contemplationẽ dispositiones sunt privativæ, & positivæ: privativæ scilicet impedimentorũ Contemplationis, quæ *S. Bonaventura* ex S. Bernardo enumerat ita dicens: Nunc videamus, quæ impediunt contemplationem. Sunt autem impedimenta ejus quatuor, de quibus sic dicit *S. Bernardus*: In hoc arcanum Contemplationis, & in hoc Sanctuarium DEI, si quem fortè nostrûm aliquâ horâ sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minimè avocet aut perturbet, vel sensûs egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certè ea quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata, poterit quidem hic cum ad nos redierit gloriari, & dicere: Introduxit me Rex in cubiculum suum. Hucusque S. Bernardus. Primum igitur impedimentum dicit quod est *Sensus egens*, scilicet corporis. In tantum enim anima

S. Bonav. medit: vitæ Chri. cap: 56.
S. Bernardus serm. 23. super Cant. cir. fin.

anima ad corpus afficitur, quòd eo in aliqua sui parte vel sensu defectum notabilem patienté contemplari non delectat. Tempore igitur infirmitatis non est locus Contemplationi, nisi Dominus faceret de gratia speciali. Simile contingit, cùm valida fames, vel sitis, vel frigus, imminet, vel aliud corporis impedimentum. Secundum impedimentum, dicit quod est *Cura pungens*, id est, solicitudo curarum, & occupationum. *Idem* etiam *Bernardus* prolixioribus verbis narrans impedimenta Contemplationis, inter alia dicit, quòd sicut pulvis injectus in oculum corporalem impedit visum, sic cura terrenorum actuum oculum intelligentiæ confundit, atque à Contemplatione veri luminis excludit. Tertium impedimentum dicit, quod est *Culpa mordens*, id est, peccatum. Et hoc duobus modis potest contingere. Primò cùm peccatum est in anima. Secundò cùm fuit, & deletum est per Contritionem, & Confessionem, sed in memoriam revocatur: utrumque enim impedit contemplationem, ut in eodem sermone refert sic inter alia dicens: Quod sicut tenebræ impediunt visum corporalem, sic peccatum cùm est in anima impedit ipsam, quia tenebrosa est, sed ad contemplandum requiritur puritas, & pulchritudo animæ: sic tunc non est locus contemplationi. Similiter sicut sangvis vel humor concretus fluens in oculum, impedit visum, sic peccatum cùm redit in memoriam, influit in animam, & impedit visum ejus: & propterea cavere debes tempore contemplationis, cogitare super peccatis. Omni quidem tempore nos debemus peccatores reputare, sed signanter non debemus cogitationem nostram reflectere super aliquo, vel aliquibus peccatis tempore quo volumus contemplari. Et de hoc *idem Bernardus* sic dicit. Habemus quoque Mariam contemplantem in illis, qui progressu longioris temporis cooperante gratiâ DEI in aliquid melius, & lætius proficere potuerunt, quando jam de indulgentia præsumentes, non tam versare intra se soliciti sunt tristem imaginem peccatorum, quàm certè in lege DEI meditari die ac nocte, & insatiabiliter delectari. Interdum etiam revelatâ facie gloriam Sponsi cum ineffabili gaudio speculantes, in eandem imaginem transformantur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu. *Hucusque Bernardus.* Quartum impedimentum

Idem Serm. 5. de Assumpt. Virg. post med.

Idem Serm. 57. super Cant. cir. fin.

dicit, quòd ſunt *phantaſmata corporearum imaginum*, & hoc eſt difficilius aliis ſupradictis, & propterea commendatur intantùm in hoc ſtatu ſolitudo. Oportet enim contemplantem eſſe mutum, & ſurdum, & cæcum: ut videns non videat, audiens non intelligat, nec loqui delectetur, hoc eſt, ut ita ſit abſtractus ab his tranſitoriis, & ita DEO conjunctus, quòd in audiendo, videndo, loquendo, non minuat curſum ſuum: ſed fugiat quantùm poteſt. Et ſi quando neceſſitas ad id cogit, non ſecum reportet imagines, quæ per has feneſtras intrant ad animam noſtram. Unde non debet Contemplativus ſicut Activus obſervare mores aliorum, ne inde phantaſmata reportet. Multò ergo magis tu debes à ſecularium collocutione ceſſare, quantumcunque conjuncti ſint, ut inde te pluries monui. Si quando etiam obedientia, vel neceſſitas, vel obſequium, vel recreatio ad aliquid laborandum, vel operandum, te impellit, fideliter facias: ſed non ſic adhæreas voluntate vel delectatione, ut inde reportes imagines, ne poſtea DEO vacans, impediaris. De quo ſic ait *Bernardus*: Aliquid operandum eſt manibus, quod injungi ſolet, non tam quod animum delectando detineat ad horam, quàm quod ſpiritualibus ſtudiis delectationem conſervet, & nutriat: in quo remittatur ad horam animus, non reſolvatur. Unde ſe facilè mox ut ad ſeipſum redeundum viſum fuerit, expediat abſque controverſia inhærentis voluntatis, abſque contagione contractæ delectationis, vel memoriæ imaginantis. Non enim vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Non ſpiritualia exercitia propter corporalia, ſed corporalia propter ſpiritualia. Propterea ſicut viro creato collatum, vel comparatum eſt ei adjutorium ſimile ſibi ex ipſa hominis ſubſtantia: ſic cùm in adjutorium ſpiritualis ſtudii neceſſaria ſint corporalia: non tamen in hoc ſemper æquè convenire videntur ſimilitudine, & affinitate. Sicut meditari quod ſcribatur, vel ſcribere quod legatur. Subdivalia tamen exercitia, ſic ſæpe etiam ſpiritum exhauriunt, ut cum graviori ruralium operum exercitio, ſit magna contritio corporis, uſque ad contritionem, vel humilitatem cordis. Fatigationis etiam ſuæ preſſurâ exprimunt ſæpè vehementioris affectum devotionis. Servus tamen bonus, & prudens ad otium ſæpè comparat laborem, nec

Idem Epiſt. ad Fratres de monte DEI de v: ſol. lōge ante med.

in eum dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habet, non tam quod agit, sed quod agendo intendit, omnis consummationis attendens finem. *Hucusq; Bernardus.* Vides quàm vigilanter cavere oportet, ne in manualibus laboribus animum occupes. Novi enim in hoc quantum impedimentum contemplationis incurres propter curam solicitudinum. Et hæc de impedimentis contemplationis dicta sufficiant. *Hactenus D. Bonaventura.*

Dispositiones autem positivæ ad Contemplationem sunt. *Primò.* Lectio, Meditatio, Oratio, prout ex sequenti §. patebit. *2do.* Decor seu odor virtutum, sicut magnus Gregorius ait: Illæ mentes supernos cives aspiciunt, quæ virtutum odoribus, ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur.)) Tandem his positis rectè cum adjutorio DEI instituitur usus & exercitium Contemplationis. Circa quod observanda est 1. ante omnia & principalissimè Humilitas, & Reverentia, ne curiosus *scrutator Majestatis opprimatur à gloria.* Et ne *secretum meum mihi, secretum meum mihi,* alicujus gloriolæ intuitu ostentans, perdat donum Contemplationis haud posthæc facile recuparabile. 2. Visiones, Apparitiones &c. extraordinariæ, non affectandæ, ne Angelus *sathanæ transfiguratus in Angelum lucis* incautum subuertat: sed si conceduntur ad lydium discretionis spirituum (de qua infra) probatæ, cum humilitate & gratiarum actione à DEO suscipiendæ. 3. A sublimiori contemplatione dilabens, & sibi relictus, humiliores materias pro meditatione vel contemplatione assumat; donec iterum aspiret dies gratiæ cælestis, & inclinentur umbræ desolationis vel derelictionis.

S.Grego: hom. 21. in Evang.

Prov. c. 25.

Isa: c. 24.

2. Cor: c. 11.

Quantùm ad *Praxim* circa extraordinariam Contemplationem & Mysticam Theologiam, præter supradictas, has quoque (etsi aliquæ in idem coincidant) Dispositiones ad eandem accipe ex *Cardinal. Bona* ita disserente: 1. Axioma certissimum est apud Scholasticos, debere dispositionem ejusdem ordinis esse cum forma, ad quam disponit: quare cùm supradictum sit, Mysticam Theologiam esse omnino supernaturalem, hinc evidentissimâ consecutione deducitur, prærequiri ad ipsam statum quendam supernaturalem ipsi proportionatum. Neque enim fas est, teste

Via Comp: ad DEUM c. 4.

B. Dion: Cæl: Hierar: Dionysio Mysticis Theologis quidquam operari, quod Divinis inspirationibus vel minimum repugnet, imò nec iisdem dissentire, si Divinam appetant claritatem, & ad hanc sanctè, sicut decet, aspirent. Continuâ igitur in rebus omnibus mortificatione opus est, ut secum ipse non dissideat, nec divisus sit, qui ad unum colligi cupit. Propterea pauci sunt viri spirituales, & Religiosi, qui hujus mysticæ sapientiæ notitiam habeant; quia ut optimè ob- *Jac. Alva: l. 2. p: 1. c. 11.* servat Iacobus Aluarez, paucissimi sunt, qui seipsos fortiter abnegent, & perfectè mortificent.

2. Actus deinde supernaturales prærequiruntur fidei, spei, & charitatis, quibus mens immediatè DEUM attingit: & fides quidem intellectum, spes memoriam, charitas voluntatem mysticè perficit & informat, uti pulchrè ac diffusè exponit Venerabilis Pater Ioannes à Cruce in suis Divinissimis libris de Ascensu montis Carmeli, de nocte obscura, & de viva amoris flamma. His accedat necesse est magnum, fervens, & insatiabile desiderium *Sap. c: 8.* assequendæ perfectionis, sicut dicit Sapiens: *Hanc amavi & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* *Rich. de præp. ad Contempl: c. 79.* Absque dubio enim, ait Richardus, sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio ad perfectam scientiæ hujus altitudinem mens non sublevatur.)) *Hactenus Card: Bona.* *Vide huc spectantia dicta in Præliminaribus de Mystica Theologia.*

Card: Bona via comp: ad De cap. 5. Citatus Cardinalis agens de via compendii ad DEUM hæc ait: Dico viam compendii ad DEUM, ad culmen Mysticæ Theologiæ, ad intimam cum Verbo unionem esse motus Anagogicos, & exercitium Aspirationum. Testes hujus dicti affero omni *Joan: à J: M: Myst: Theol: c: 9.* exceptione majores. Primus est *Joannes à IESU MARIA Carmelita* excalceatus, qui ita scribit. Concors omnium, quos legerim „ sententia est, ad altissimam DEI cognitionem & sensum, sive „ experimentum, aspirationum exercitio ita animam erigi, ut, si „ hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris „ omnibus antepositum frequentet, plurimùm proficiat. Habet „ enim tam egregiam vim exstimulandi, & Divinis flammis „ urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, & studio „ virtutum armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem & puri-

puritatem, corda nostra perducat. Quamvis enim dona DEI „
sint unio, raptus, fruitio, revelatio, & illa indulgentissimi „
DEI interna blandimenta, & solis conatibus nostris, quantum- „
vis nervosis, illa non producamus; at certè animæ sese idoneè „
ad eas nuptias ornanti & comparanti munificentiùs quàm „
cogitare valeat, indulgentur. *Hæc Joannes.* Cui alterum adjun- „
go ejusdem instituti *Thomam à IESV.* Si sanctorum Patrum, *inquit*, „ *Tho: à J: de*
aliorumque Mysticorum, qui hanc viam experti sunt, senten- „ *Divi: orat: l.*
tiæ credendum est, nullam compendiosiorem viam, nullumvè „ *4. c. 20.*
alium in DEUM assurgendi modum faciliorem ac nobiliorem „
eo invenies, quàm sapientiam unitivam, sive amorem unitivum „
Mystici appellant, qui in motibus anagogicis sive aspirationi- „
bus, quibus cor enititur ad DEUM assurgere, ac illi avidissi- „
mè adhærere, consistit.)) Possem paginas latè implere aliorum „
testimoniis hanc veritatem confirmantium, præsertim *Bonaven-*
turæ, Henrici Harphii, Ioannis Gersonis, Dionysii Carthusiani, Constantini de *Bonav: v.*
Barbanson; sed pro indicta mihi brevitate duo proposita sufficient. *Hen. de Palma*
Et infra idem Cardinalis Bona cap: 9. hæc affert. Aspirationi- *Myst: The: c. 3.*
bus tanquam alis euehitur Anima ad felicissimas cum DEO nu- *Harp: Myst:*
ptias, earum enim mediante usu id evenire potest, quod dixit Ab- *The: l. 2. Ger:*
bas Alois. *Quia si vult homo, in una die usq; ad vesperam pervenit ad* *in Myst: The:*
mensuram Divinitatis. Sed hoc rarum, difficillimum, & vix intel- *Carth: lib: de*
ligibile est: & nos infra de duratione status aspirationum dissere- *fon: lucis. Bar-*
mus. Nunc videndum, quo pacto ab illis ad contemplationem *ban: in sem:*
fiat transitus. Revocatâ siquidem ad interiora sua, mediante a- *occ: par: 1. c. 5.*
spirationum activitate, inferioris hominis capacitate, & elevatâ ad *par: 2. c. 3.*
DEUM mente motibus anagogicis, affectuque succenso, spiritus *Vit: Patr: lib:*
rationalis à vinculis passionum, & fallaciis seculi expeditus, ad cæ- *5. libello 11.*
lestia perlustranda lumen internum dirigit, & ad statum transit
altissimæ ac Divinæ contemplationis. *Illuxerunt*, inquit Psalmo- *Psal: 76.*
graphus, *coruscationes tuæ orbi terræ; vidit, & commota est terra.*
Sunt enim aspirationes quasi subitaneæ illustrationes, quibus sub-
inde coruscantibus, terra humani cordis admiratione cælestium
excitata, terrena relinquens, ad superna elevatur. Quia verò ce-
lerrimè motiones istæ anagogicæ peraguntur, nisi Aspirans co-
gitationes impertinentes, quæ animo sese ingerunt, rejiciat, ali-

 amque

amque protinùs substituat aspirationem, cujus additione distractio cohibeatur, haud fieri poterit, quin mens prona ad evagationem statim ad externa dilabatur, quæ sensibus objiciuntur. Hanc calamitatem in seipso experiebatur, & sic deplorabat *Augustinus*: „Aliquando intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem: quæ si perficiatur in me, „nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multùm „fleo, sed multùm teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna „est. Hìc esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miser utrobique.)) Satagendum est itaque, ut Spiritus in seipso conclusus, atque à distractionibus, affectuque inordinato liber exardescat sicut ignis: & suspiriis ac desideriis piè scintillantibus seipsum benè afficiat, & DEO conjungat.

S. Aug: l: 10. *Conf: c:* 40,

2dò. In hoc statu aspirationis vix ultra Annum devotus exercitator detinebitur, ut Gelenius observat: solet enim eo spatio emenso ad firmum intuitum contemplationis transire, & ignem amoris intus clausum ab instantaneo motu anagogico ad ampliora spiritualis magnitudinis spatia extendat. Si quis tamen gratiâ abundantiori â DEO præventus & illustratus fuerit, brevissimo tempore, & ut Mystici nonnulli asseverant, intra duos Menses ad magnam perveniet contemplationem. Utrum verò transire quis debeat ab aspiratione ad contemplationem, hoc indicio cognoscet: si constet experientiâ, orationes jaculatorias solito ardore destitui, & internam dispositionem ad intuitus & inhæsiones Spirituales inclinare, quasi ad quietem mentalem, non per gustum & intuitum transeuntem, sed qui permanens sit, & perseverans. Sunt quidam spiritu uteri sui coarctati, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit, qui parùm memores vicissitudinis humanæ, ac inconstantis naturæ, impatientissimo desiderio ad DEUM feruntur, quasi velint omnia Divina quodammodo deglutire. Hi miserè decipiunt seipsos, quia mox fatigati deficiunt, & internam animi serenitatem adeo necessariam ad contemplationem obscurant, & perdunt. Alii inconsultò statum aspirationum deserunt, ne minùs proficere videantur; quàm cæteri quos legunt, vel audiunt in altiori statu versari:

Gelen: p. dec: 6. A. 7. & Cãd fels de volun: Dei p: l. c: 18.

ſari: & hi conſilio ac humilitate carentes, præcipitio proximi ſunt & ruinæ, quia ſine duce viæ, ſine ope ſcilicet Divinæ gratiæ, per ignotas ſibi ſemitas iter difficillimum arripiunt. Alii denique ſubtilioris ingenii nudis diſcurſibus & ſpeculationibus intellectûs contenti, poſſe ſe illis DEUM poſſidere exiſtimant ſine amore, qui nos ſimiles DEO facit: & hi ſimiles ſunt antiquis Philoſophis evaneſcentes in cogitationibus ſuis, & colentes pro DEO ſuo phantaſmata ſua. Quælibet enim ſpeculatio intellectûs eſt quid humanum, quod nos in proprio carcere vinctos detinet: amor autem eſt quid Divinum, quod nos elevat, & rapit extra nos, atque in DEUM transformat. Quare *Dionyſius* Timotheum monet, ut omnia intelligibilia tranſcendat: & ad Cajum ſcribens ait: „ Divinæ tenebræ omnem abſcondunt cognitionem, & ſi quis viſo DEO, cognovit id quod vidit, nequaquam ipſum vidit, ſed aliquid è rebus ejus, quæ exiſtunt & cognoſcuntur.)) Cui conſonans Maximus *Martyr*: Unus, inquit, DEUS ſine principio, incomprehenſibilis, totam vim ut ſit habens per totum, notionem quando & quomodo ſit penitus repellens, utpotè nulli eorum qui ſunt ex repræſentatione naturali cognitus.)) Qui putant aliter ſe poſſe DEUM intelligere, & contemplari, parum tutâ gradiuntur viâ: ſolido enim fundamento pietatis deſtituti, cùm naturalis de DEO oblectatio diſparuerit, ad fallaces ſeculi voluptates, miſerando lapſu, revertentur.

Dion: cap: 1. Myſt: Theol: & Epiſt: 1. ad Cajum.

Max: Mart: Com: 1. c. 1.

3tiò. Non eſt hoc loco omittendum, quod *Joannes à Cruce* in flamma Amoris viva ſcriptum reliquit, præter aſpirationes, de quibus hactenus diſſeruimus, eſſe aliam aſpirationem arcanam, occultam, & paſſivam, quam DEUS in anima mirabiliter producit, aſpirans illi Spiritum Sanctum, qui profundiſſimè illam abſorbet, & amore ſui inflammat ſuper omnem gloriam & ſenſum. In centro enim animæ, quæcunque illa ſit, latenter moratur DEUS ſed cum diſcrimine. In quibuſdam manet velut extraneus in aliena domo, nihil imperans, aut efficiens. In aliis libenter habitat, quaſi in propria domo, regens illam & gubernans. Talis eſt anima, in qua nullus jam appetitus, nullæ imagines aut formæ creaturarum reperiuntur: huic enim ſe intimè DEUS communicat, hanc amplectitur, in ea quieſcit, eique ſe ipſum

Joan: à cru: in flam: Am: cantu 4.

ipsum revelat, eam excitando, & ad proportionem notitiæ Divinitatis ipsi concessæ eidem aspirat, illam replens Spiritu Sancto, ejusque gloriâ & bonitate. Cæterùm hæc aspiratio passiva ineffabilis est, & ab illis vix intelligitur qui eâ felicissimè perfruuntur.

Via Compen. ad DEUM c. 10. *Et Capite. 10 Idem Cardin: Bona hæc profert.* Victor Gelenius Trevirensis summam practicam Mysticæ Theologiæ in duas partes digestam conscripsit, edíditque Coloniæ anno hujus seculi quadragesimo sexto: in qua septem mysticos status accuratissimè describit, per quos successivè transit anima, antequam perveniat ad culmen Sanctitatis. Primus est status meditationis. Secundus aspirationis. Tertius contemplationis, modi affirmativi, & negativi. Et hi tres modo activo, humano, & naturali procedunt, quamvis principio supernaturali innitantur, nec careant aliquando Divinis perceptionibus. Reliqui verò status ad modum operandi supernaturalem spectant, nec debet aliquis à DEO non vocatus temerè ad eos transire: sunt enim hæc mystica & secretissima DEI dona, quæ nemo novit, nisi qui accipit; nec accipit nisi qui desiderat; nec desiderat, nisi quē ignis Spiritus Sancti inflammat. Est igitur Quartus status privationis rigòrosæ, quo disponitur anima ad status supernaturales, & ideo medius censetur esse inter status naturales, & supernaturales, tanquam dispositio necessaria ad modum operandi supernaturaliter. In eo cessant discursus & conversio ad phantasmata: anima omnino expeditur, & depuratur à modo operandi humano & naturali: Spoliatur omni solatio, omnibus externis exercitiis, omni sensibili consolatione: omnes potentiæ in fundo animæ commorantur langventes, ac desolatæ: deficit & obscuratur vivacitas intellectûs actus virtutum essentiali modo exercentur: nulla hìc lætitia, sed tormentum inexplicabile. Dicant quid sit, qui experti sũt. Doctor mellifluus comparat hũc statum morti spirituali, quã vocat mortẽ Angelorũ. Rusbrochius Divini Spiritus & nostri concertationẽ appellat, & quandam desperationem: Taulerus pressurã internam: Harphius languorẽ infernalem, & divisionem animæ ac Spiritûs: Barbansonius item divisionem naturæ ac Spiritûs: Maria Vela Sanctimonialis Cisterciensis terribile Martyrium: Beata Catha-

S. Bern: ser: 52. in Cant: Rusbroch. de orn: spirit: nu. pti: lib. 2. c. 50. & sequen: Taul: ser: Dom. 55. Harph: l. 3. c: 13. *Barban: sem: occ: p. 2. c. 10. & 11.* *Vita Mariæ velæ p: 2. c. 43.*

tharina Genuenſis horribile & indicibile tormentum. Joannes à Cruce ſub noctis obſcuræ ſymbolo eum pingit, & purgatorio aſſimilat. Thomas à JESU purgatorium quoque eſſe dicit in via contingens. B. Angela de Fulgineo maluiſſet in inferno eſſe, quàm talem privationem ſuſtinere, quæ in ipſa mirabilis fuit. Seraphica Virgo Tereſia quid pateretur in hac preſſura conſtituta, ipſa enarrat in vita, & ſcriptis ſuis. Alia aliorum effata prætermitto, & tranſeo ad alium ſtatum. Hic eſt quintus, & dicitur ſtatus Myſticæ unionis, quando à preſſura rigidæ privationis reſpirans anima incipit reviviſcere, & ſpe interioris perceptionis erecta, lumen & amorem ſuſcipit, in libertatem ſpiritûs paulatim tranſit; & quantò ampliùs aſcendit, tantò faciliùs capacitatem ſpiritûs erigit ad ſuperiora, donec à DEO ſurſum tracta perveniat ad feliciſſimam cum ipſo unionem. Sextus eſt ſtatus Transformationis per donum Sapientiæ, per quem intelligimus, non ſubſtantialem Transformationem: Abſit, ut conſentiamus errori jam pridem damnato, quod quidam opinati ſunt, animam hominis à proprio eſſe deſinere, & in ipſam DEI eſſentiam tranſire: ſed arctiſſimam unionem cum ſummo Bono, quâ Myſticus Divinæ conſors naturæ factus modo perfectiſſimo, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, ita ut in ejusmodi felicitate perfecta ratio Myſticæ poſſeſſionis inveniatur. Hujus Transformationis duplex eſt modus: unus, quo ex alto ad inferiora deſcendere dicitur; alter, quo ab inferioribus ad ſuperiora aſcendit. *Charitas* enim, ut verbis utar S. Bonaventuræ, *ad ſuperiora aſcendit, ut in eis requieſcat; ad inferiora tendit, ut ea ad ſe reducat: ſurſum movetur, ut illic maneat; deorſum ut redeat.* Porro hic anima ſilentii Myſtici quietam fruitionem adipiſcitur, quousque ſpiritum ſuum ſupra ſe in alto videat. Licèt enim in ſtatu unionis ſupremas ſpiritûs fruitiones experiatur, nondum tamen plenam requiem & appetitûs ſatietatem conſecuta eſt; quia frequenter reincidit in carentiam & ceſſationem unionis: in hoc autem ſtatu nullam patitur diſtractionum moleſtiam; nullam paſſionum inordinationem, nullam gaudii ſpiritualis interruptionem. Septimus deniq; ſtatus eſt Sanctorum militantis Eccleſiæ, quando anima abundantiori

Cathar: Gen dial: c: 2.

Joan: à Cruce paſſim in aſc: mõ. Carm.

Thom: à JE: de orat: lib: 4. c: 19.

Angel: Fulg: vit: c. 19.

Tereſia vit: c: 25. & manſ: 6. c. 1.

S. Bonav: 4. itin: æter: diſt. 5. a: 3.

gratiâ, vitæ eximiâ ſanctitate, dono miraculorum, aliisque gratiis, quas gratis datas vocant, à DEO illuſtratur. Hujus autem ſtatûs ecſtaſes, raptus, & alias mirabiles operationes revereri oportet & admirari, non æmulari. *Hactenus Card. Bona.*

Thomas à JESU videtur cum citato Victore Gelenio ſentire; nempe Deſolationẽ illam acerbisſimã contingere animæ, dũ verſatur circa Contemplationem DEI in Caligine, ſeu per modum Negativum, quem ſupra asſignavimus in primo & ſecundo gradu Tertiæ Hierarchiæ Contemplativorum ex parte Modi tendendi. Sic namque præfatus Myſtes agens de ſupremo ſeu tertio gradu in

Tho: à JESU. de Contemp: Divin: lib: 5. c. 7.

tertia Hierarchia Contemplativorum ait: Reliquimus (ſi non me fallit memoria) in præcedenti gradu animam in illa caligine ferè deſolatam, ac continuò DEI immediatam præſentiam anxiè ſuſpirantem, & cum Moyſe clamantem: *Obſecro Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Nam licèt aliquando, in umbra ſedens, fructu dulcisſimo paſcatur, ſemper tamen lucem meridianam inquirit, ubi Sponſus paſcit cum Sponſa, ingemiſcens Cant. *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Et: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Ferme ad idem propoſitum Bernardus, Sponſæ nomine Sponſum his verbis alloquitur: *Et nunc quid reſtat, ò bone Domine, niſi ut jam in plenitudine lucis, in fervore Spiritûs, ad oris quoq; oſculum dignanter admittens adimpleas me lætitia cum vultu tuo? Indica mihi, ô ſuaviſſime! ô ſereniſſime! indica mihi ubi paſcis, ubi cubas in meridie?* Ecce quomodo Sponſa in illa immenſa caligine, præ tædio ac impatientia Sponſi vivere non valet, intimè ſuſpirat, amore langvet, & tædioſis exſpectationibus torquetur. *Et paulò infra* ad propoſitum adducit S. Bernardum Ser: 9. in Cant: hæc differentem: Ponamus, *inquit*, iſtos quos diximus Sponſi Sodales viſitandi ſalutandique gratiâ, ſicut heri & nudius tertius accesſiſſe nunc quoque ad Sponſam, ipſamque ſubmurmurantem & tædentem reperiſſe, mirari cauſam & quaſi alloqui in hunc modum: Quid novi accidit? Quid te cernimus ſolitò triſtiorem? Quæ inopinati murmuris cauſa? Certè cùm alienata & averſa ires poſt amatores tuos, cum quibus malè erat tibi, compulſa tandem reverti ad virum tuum priorem, nonnè ut ſaltem merereris tangere pedes, multis precibus & fletibus inſtiti-

Exod: 33.

Cant: I.

Pſal: 72.

Ser: 3. in Cant.

instititi? Recolo inquit. Quid? obtento eo, ſimulque acceptâ in oſculo pedum indulgentiâ de offenſis, nunquid non rurſus facta impatiens, & tantâ nequaquam dignatione contenta, ſed majoris familiaritatis cupida, ſecundam quoque gratiam eâdem quâ priùs inſtantiâ poſtulaſti & impetraſti, ita ut in oſculo manûs, adepta ſis virtutes non paucas & non parvas? Non diffiteor, ait. Et illi: Enimvero, num tu es quæ jurare & obteſtari ſolebas, ſi unquam ad oſculum manus pervenire daretur, ſufficere jam tibi, nil te de cætero petituram? Ego. Quid igitur? fortè horum quæ acceperas, quippiam ablatum cauſaberis? Nihil. An verò times repetitum iri quod tibi de mala tua converſatione priſtina indultum præſumpſeras? Non. Age tamen, dic unde queamus ſatisfacere tibi? Non quieſco, ait, niſi oſculetur me oſculo oris ſui. Gratias de oſculo pedum, gratias & de manûs: ſed ſi cura eſt illi ulla de me, oſculetur me oſculo oris ſui. Non ſum ingrata, ſed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis. Deſiderio feror, non ratione. Ne quæſo cauſemini præſumptionem, ubi affectio urget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro quòd honor Regis judicium diligit, ſed præceps amor nec judicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubjicitur. Rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui. En gratiâ ipſius, multis jam annis caſtè ſobrieque vivere curo, lectioni inſiſto, reſiſto vitiis, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantùm in me eſt, converſari inter fratres. Superioribus poteſtatibus ſubdita ſum, egrediens & regrediens ad imperium Senioris. Aliena non cupio; mea potiùs & me pariter dedi. In ſudore vultûs mei comedo panem meum. Cæterum quod in his omnibus eſt, totum conſtat de conſuetudine, de dulcedine nihil. Quid niſi (juxta Prophetam) vitula Ephraim ſum, docta diligere trituram? Denique in Evangelio, qui hoc ſolum quod facere debet, facit, ſervus inutilis reputatur. Mandata forſan utcumque adimpleo, ſed anima mea ſicut terra ſine aqua in illis. Ut igitur holocauſtum meum pingve fiat, oſculetur me, quæſo, oſculo

„ oſculo oris ſui.)) Quid verò ſit illud oſculum idem S. Doctor
„ in Cant: ſer: 3. inſinuat dicens; Ego arbitror, neminem facilè
„ ſcire quid ſit oſculum, niſi qui accipit; eſt quippe manna ab-
„ ſconditum, & ſolus qui edit, adhuc eſuriet, & ſolus qui bibit,
„ adhuc ſitiet. Non eſt cujuslibet hominis, ſed ſi quis ſemel ab
„ ore Chriſti ſuſceperit, habet proprium experimentum, quòd
„ profectò ſolicitat & cogit ampliùs ad petendum. Hoc oſcu-
„ lum ſola & rarò perfectio experitur. Oportet enim hujusmo-
„ di amare caſtè, ut ipſum ſponſum ſolum & non alium amet, pe-
„ tat vel quærat: amare ſanctè, quia non in concupiſcentia carnis,
„ ſed in puritate ſpiritûs: amare ardenter, ut ita amore ſponſi in-
„ ebrietur, quòd majeſtatem non cogitet. Hoc oſculum nihil
„ aliud eſſe credimus, niſi Spiritum Sanctum, ad conſolationem
„ animæ ſanctæ miſſum: ſicut enim oſculo ſpiramen ſe permiſcet,
„ ut unus anhelitus judicetur, ſic Spiritus Sanctus noſtro ſpiritui
„ dulciter immiſſus, fit unus ſpiritus cum eo; quæ ſcilicet unio
„ Deificationem animæ mirabiliter accelerat, quæ nimirum Deifi-
„ catio ſuper omnem rationem & intellectum experientiâ felicis-
„ ſimâ ſentitur impleta, ubi nec ratio valet attingere.))

Card: Bon: via Comp: c: 10.

Placet quoque *Cardinalis Bona* hoc punctum ita proſequens. Quòd ſi loquamur non ſimpliciter de contemplatione, ſed de tranſitu à modo operandi humano, & naturali, ad Divinum & ſupernaturalem; advertendum eſt, nonniſi poſt longam & duriſſimam probationem, quam in ſtatu privationis ſuprà deſcripto anima experitur, à DEO concedi, qua de re Myſticum admonere placuit ne diutino labore pertæſus animum deſpondeat, & à cœpto itinere retrocedat. Et ne videat temerè loqui, adfero exempla. Ubertinus de Caſali quatuordecim annis laboravit, priuſquam introduci ad intimam perfectionem mereretur. S. Tereſia octodecim annis intolerabiles anguſtias paſſa eſt. S. Franciſcus per biennium gravisſimo moerore tabeſcebat. B. Clara de Monte Falco quindecim annos huic privationi impendit. B. Catharina Genuenſis Martyrium ſuum in ſuo dialogo ipſa deſcribit. Altera Catharina Bononienſis per quinque annos valde deſolata fuit, & à dæmonibus exagitata. Maria Ægyptiaca ſeptemdecim annis afflicta ad purum decoxit ſcoriam ſuam. B.

Ubert: de Caſ: Arb: vitæ prolog: I.
Tereſ: vitæ ſuæ c. 30.
Chron: Min: p. lib: 1. *c.* 59.
Harph: l; 2. *p:* 5. *Collat:* 3.
Cathar: Bonon: lib: de 7. *arm:*
In vitis Patrum lib: I.

Maria

Maria Magdalena de Pazis per annos quinque, & deinde per alios ſexdecim tantam ariditatem paſſa eſt, ut videretur à DEO derelicta. B. Henricus Suſo per decennium Divinâ caruit conſolatione. Balthaſar Alvarez Vir eximiæ Sanctitatis è Societate IESU nonniſi poſt Sexdecim annos in vita myſtica cum tenebris & labore decurſos Divinæ lucis adeptus eſt illuſtrationem. Thomas à IESU annis pluſquam viginti laborans percipere non potuit, quid ſit unio animæ cum DEO, donec tandem Divina Bonitas ei revelavit. Quòd ſi in viridi hæc facta ſunt, in arido quid fiet? Animo igitur infracto in via Domini perſeverare oportet, & ab ejus diſciplina non deficere, quia ut ait B. Laurentius Juſtinianus, in bono occupatos non derelinquit, illosque ex inſperato, & in neſciente caligine viſitare conſuevit. D. Bernardus usque ad finem vitæ hanc ſpem, & patientiam extendit, ſic enim ait: *Multi totâ vitâ ſuâ ad hoc tendunt, & nunquam pertendunt: quibus tamen, ſi piè, & perſeveranter conati ſunt, ſtatim ut de Corpore exeunt, redditur quod in hac vita diſpenſatoriè eſt negatum: illuc perducente eos ſolâ gratiâ, quo priùs tendebant ipſi cum gratia, ut conſummati in brevi, expleant tempora multa* Hucuſque Car: Bona.

In vita ipſius.
Henr: ſuſ: vitæ ſuæ c. 23. & 32.
Ludovicus Pont: in vita Balth: Alvar: c. 2: & 13.
Thom: in præfat: l. de Orat: infuſa.
Laurent: Juſtin: de triũph: Chri: agone c. 17.
Bernard: ſer: 3. de Circumc:

Quomodo autem ſupra dicta concordari poſſunt: *In caligine DEUM contemplando ſummis affluere deliciis: Et in eadem caliginoſa contemplatione extremis affligi anguſtiis?* Reſponderi poſſet: affluere deliciis, & affligi anguſtiis, non pro eodem, ſed pro diverſo tempore. Et ita videtur intelligendus Carthuſianus, qui Myſticam Theologiam, in qua ſita vera felicitas hujus vitæ, ponit in Caliginoſa contemplatione. Et Victor Gelenius poſt negativum ſeu Caliginoſum ſtatum contemplationis, alium inſinuans deſolationis.

Et hæc pauca ex multis, ſufficientia tamen de Contemplatione, & Myſtica Theologia dicta ſunto. Quid enim opus pluribus? Ut cum *Cardinali Bona loquar*; Patent fontes. Omnes Myſtici Scriptores, & qui de ea ex profeſſo agunt, Richardus Victorinus libris quinq;, Dionyſius Carthuſianus libris tribus, & aliis opuſculis; Iacobus Aluarez libro quinto tertii tomi de via ſpirituali, Ludovicus à Ponte in ſuo Duce ſpirituali, & optimè libris ſex Thomas à IESU; quibus addo eximiam Chriſti Heroinam S. Tereſiam

Via Comp: ad DEUM c. 10.

Ab his petenda quæ hic desunt. Quod si aliquis cupit Mysticorum effata scholastico rigore examinare, Franciscum Suarez consulat, in utraque Theologiâ versatissimum, libro secundo de oratione; & Maximilianum Sandæum in sua Mystica Theologia, & in ejusdem Clavi sive Onomastico. *Hæc Card: Bona.* Vide quoque nostro Seculo ardentem in Cruce Seraphim V. Ioannem a S. Samsone Carmelitam in sua Vita, & Theorematibus Spiritualibus, aliisque Opusculis.

§. V.

De Auditione, & Lectione Verbi DEI, Meditatione, Oratione, & Contemplatione.

Tract: de modo Orandi

HActenus de horum singulis actum, nunc de eisdem junctim at strictim agendum. Tum ut appareat quàm germana sit horum exercitiorum ad invicem connexio, & unum quàm indigum alterius, ut rectè aduertit *Guigo Carthusianus* dicens: Lectio sine meditatione arida est. Meditatio sine lectione erronea. Oratio sine meditatione est tepida. Meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum devotione, contemplationis acquisitiva. Contemplationis adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa)) Tum ut eorundem exercitiorum partim inter se disparatorum partim connexorum detur ordinata & universalis *Praxis*, Quod plurimùm interest Vitæ spirituali deditis cognoscere.

Suarez in 3D. Tho: T. 2. q: 37. d: 19.

Porro antequam prædictam Praxim accedamus, placet hac in materia Exemplar præclarissimum Deiparam aspicere; de qua hæc *Suarez* ait: Beata Virgo optimam partem vitæ contemplativæ sibi elegit, munera autem huius vitæ sunt Divinarum rerum, ac scripturarum lectio, meditatio, & contemplatio, ergo in iis maximè Beata Virgo se exercuit. Quòd autem hoc exercitio plurimùm in Divina cognitione profecerit, per se notum est, nihil enim est, quod ad huius cognitionis perfectionem magis juvet, ut ipsa etiam experientia docere potest. Præsertim, cùm B. Virgo perfectissimo ingenio, ac intellectu polleret, & animum haberet pacatissimum, & ab omni mentis pertur-

tur-

turbatione semotum, cumque earum rerum, quas legebat, intelligentiam orationibus suis a DEO deprecaretur. Nemo enim (ut existimo) audebit hoc in dubium revocare, aut negare quin fuerit tam justa deprecatio a DEO exaudita; Ergo singulari etiam Spiritûs Sancti gratiâ, & lumine continuè adjuvabatur, ut legendo, meditando, ac contemplando in hac Divina sapientia mirabiles progressus faceret. *Idem alibi*: Bernardinus Senensis serm: 51. art. 1. ex sua, & aliorum sententiâ dicit, Beatissimam Virginem non fuisse somno impeditam, quò minùs liberè in DEUM converti posset, & affert conjecturam, quia hoc privilegiũ aliquibus Sanctis pro aliquo vitæ tempore concessũ est. *Suarez in 3. p. D. Tho. T. 2. q: 37. disp: 8. sect: 2.*

Porrò in Lectione, Meditatione, Oratione, Contemplatione modũ proficiendi Spiritu Divino, eleganti stylo, succinctè, & clarè præbet citatus *Guigo Carthusianus* olim S. Bernardi, & S. Petri Cluniacensis elogiis insignis, cujus opusculum intitulatum, *Scala Claustralium, sive Tractatus de modo orandi* hìc potiori ex parte subnecto; quod ita incipit: Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit; meditatio invenit; oratio postulat; contemplatio degustat. *Matth: 7.* Unde ipse Dominus dicit; *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Quærite legendo, & invenietis meditando: Pulsate, orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit. Meditatio masticat & frangit. Oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat & reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod ut expressiùs videri possit, unum de multis supponam exemplum. In lectione audio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*. *Matth: 5.* Ecce breve verbum; sed suavi & multiplici sensu refertum. Ad pastum animæ quasi uvam ministravit, quàm postquam anima diligenter inspexit, dicit intra se. Potest aliquid boni esse. Redibo ad cor meum, & tentabo si fortè intelligere, & invenire potero munditiam hanc. Pretiosa enim & desiderabilis est res ista, cujus possessores beati dicuntur, quibus visio DEI (quæ est vita æterna) promittitur, quæ tot sacræ scripturæ testimoniis collaudatur. Hoc ergo sibi pleniùs explicari desiderans, incipit hanc uvam masticare & frangere, eamque quasi in torculari ponit, deinde excitat rationem ad inqui-

quirendum quid sit, & quomodo haberi posit hæc adeò pretiosa & desiderabilis munditia.

Punctum Primum.
Officium Meditationis.

ACcedens ergo sedula Meditatio non remanet extra, non hæret in superficie, ulteriùs pedem figit. Interiora penetrat, singula rimatur: attentè considerat quòd non dixit, Beati mundo corpore, sed corde: quia non sufficit manus habere innoxias à malo opere, nisi à pravis cogitationibus mundemur in mente. Quod authoritate Prophetæ confirmatur di-
Psalm. 23. centis: *Quis ascendet in mentem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Item considerat quantum hanc cordis munditiam optabat idem Propheta, qui
Psalm. 50. orans dicebat: *Cor mundum,* inquit, *crea in me DEUS.* Item: *Si a-*
Psalm. 65. *spexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus.* Cogitat, quàm
Job. 31. felicitus erat in hac custodia B. Iob qui dicebat: *Pepigi foedus cum oculis meis ne cogitarem quidem de Virgine.* Ecce quantum arctabat se Vir Sanctus, qui claudebat oculos suos ne videret vanitatem, ne fortè incautus respiceret quod postea invitus desideraret. Postquam hæc & hujusmodi de cordis munditia pertractavit, incipit cogitare de ejus præmio, quàm gloriosum & delectabile est videre faciem desideratam Domini, speciosi fornâ præ filiis hominum, non esse jam abjectum & vilem, non habentem speciem quâ vestivit eum mater sua Synagoga: sed stolâ immortalitatis indutum, & coronatum diademate quo coronavit eum Pater suus in die Resurrectionis & gloriæ, die quam fecit Dominus. Cogitat quòd in illa visione erit satietas, illa de qua
Psalm. 16. dicit Propheta. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Videsne quântum liquoris emanavit ex minima uva? quantus ignis ex hac
Matth. 5. scintilla ortus est? quantum hæc modica massa: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt:* in incude meditationis extensa est? sed quantum adhuc posset extendi, si accederet aliquis talia expertus? Sentio enim quòd puteus altus est: sed ego adhuc rudis tyro, in quo pauca hæc haurirem vix inveni.

His anima facibus inflammata, his incitata desideriis; fra-

ꝺto alabaſtro ſuavitatem ungventi præſentire incipit necdum guſtu, ſed quaſi narium odoratu. Ex hoc colligit quàm ſuave eſſet hujus munditiæ ſentire experientiam, cujus meditationem novit adeò eſſe jucundam. Sed quid faciet? Habendi deſiderio æſtuat: Sed non invenit apud ſe quomodo habere poſſit: & quantò plus inquirit, plus ſitit. Dum apponit meditationem, apponit & dolorem: quia ſitit dulcedinem, quam in cordis munditia meditatio eſſe monſtrat, ſed non prægûſtat. Non enim eſt legentis atque meditantis hanc ſentire dulcedinem: niſi data fuerit deſuper. Legere enim & meditari tam bonis quàm malis commune eſt. Et ipſi Philoſophi gentium, in quo ſumma veri boni conſiſteret, ductu rationis invenerunt: ſed quia cùm DEUM cognoviſſent, non ſicut DEUM glorificaverunt: & de ſuis viribus præſumentes dicebant. *Lingvam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Non meruerunt percipere, quod potuerunt videre. Evanuerunt in cogitationibus ſuis: & omnis eorum ſapientia devorata eſt, quam eis contulerat humanæ ſtudium diſciplinæ, non Spiritus ſapientiæ, qui ſolus dat veram ſapientiam; ſapidam ſcilicet ſcientiam: quæ animam cui adhæſit, inæſtimabili ſapore jucundat & reficit. Et de illa dictum eſt: *Sapientia non intrabit in malevolam animam.* Hæc autem à ſolo DEO eſt. Officium enim baptizandi Dominus conceſſit multis: poteſtatem verò & authoritatem in baptiſmo, remittendi peccata, ſibi ſoli retinuit. Unde Joannes Antonomaſticè & diſcretivè de eo dixit: *Hic eſt qui baptizat.* Sic de eo poſſumus dicere: Hic eſt qui ſapientiæ ſaporem dat; & ſapidam animam facit. Sermo ſiquidem datur multis, ſed ſapientia paucis; quam diſtribuit Dominus cui vult, & quomodo vult.

Rom: 1. *Pſal: 11.* *Rom: 1* *Pſal: 10 6.* *Sap: 1* *Joan: 1.*

Punctum Secundum.
Officium Orationis.

VIdens autem anima quòd ad deſideratam cognitionis & experientiæ dulcedinem per ſe non poſſit attingere; & quantò magis ad cor altum accedit, tantò magis exaltatur DEUS; humiliat ſe, & confugit ad orationem, dicens: Domine qui non videris niſi à mundis cordibus, inveſtigavi legendo, meditando

ditando quæsivi, quomodo haberi possit vera cordis munditia: ut ea mediante, vel ex modica parte possem te cognoscere. Quærebam vultum tuum Domine: vultum tuum requirebam. Diu meditatus sum in corde meo, & in meditatione mea exarsit ignis ac desiderium ampliùs cognoscendi te. Dum panem sacræ scripturæ mihi frangis, in fractione panis magna cognitio est. Et quantò plus te cognosco, plùs te cognoscere desidero: non jam in cortice literæ, sed in sensu experientiæ. Nec hoc peto Domine propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quia indigna & peccatrix sum: sed & catelli edunt de micis quæ
Matth. 15. cadunt de mensa dominorum suorum. Da mihi Domine arraham hæreditatis futuræ saltem guttam cælestis pluviæ: quâ refrigerem sitim meam; quia amore ardeo.

Punctum Tertium.

Officium Contemplationis.

HIs & hujusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium: sic ostendit suum affectum. His incantationibus
Psalm. 33. advocat sponsum. Dominus autem (cujus oculi super justos: & aures ejus non solùm ad preces, sed ipsas preces eorum non exspectat donec sermonem finierint: sed medium orationis cursum interrumpens, festinus ingerit se: & animæ desideranti festinus occurrit) cælestis rore dulcedinis circumfusus, ungventis optimis delibutus animam fatigatam recreat: esurientem reficit: aridam impingvat: & facit eam terrenorum oblivisci, memoriâ sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, & inebriando, ac sobriam reddendo. Et sicut in quibusdam carnalibus officiis anima adeò vincitur carnali concupiscentiâ, quòd omnem usum rationis amittit, & fit homo quasi totus carnalis: ita meritò in hac superna contemplatione ita consumuntur & absorbentur carnales motus ab anima, ut in nullo caro spiritui contradicat: & fiat homo quasi totus spiritualis.

Punctum Quartum.

Signa Spiritûs Sancti ad Animam venientis.

SEd ô Domine quomodò comperiemus quando hæc facis & quod signum adventûs tui? nunquid hujus consolationis & lætitiæ

lætitiæ testes, & nuncii sunt suspiria & lachrymæ? si ira est, nova est antiphrasis ista: & significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lachrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lachrymæ & non potiùs roris interioris desuper infusi superfluens abundantia: & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur & figuratur interior animæ ablutio; ita hìc ècontra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lachrymæ per quas maculæ interiores purgantur: per quas peccatorum incendia extingvuntur! Beati qui sic lugetis: quia ridebitis. In his lachrymis agnosce ò anima sponsum tuum: amplectere desideratum; Nunc torrente voluptatis te inebria: suge ab ubere consolationis ejus lac & mel. Hæc sunt miranda munuscula & solatia quæ dedit tibi sponsus tuus: gemitus scilicet & lachrymæ. Adducit tibi potum in his lachrymis in mensura. Hæ lachrymæ sunt tibi panes die ac nocte: panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & favum. O Domine JESU si adeò sunt dulces istæ lachrymæ quæ ex memoria & desiderio tui excitantur: quàm dulce erit gaudium quod ex manifesta tui visione capietur? Si adeò dulce est flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te? sed quid hujusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? inexperti talia non intelligunt, nisi ea expressiùs legant in libro experientiæ, quos ipsa doceat Unctio. Aliter autem litera exterior non prodest quicquam legenti. Modicùm sapida est lectio exterioris literæ, nisi glossam & interiorem sensum sumat ex corde.

Punctum Quintum,
De gratiæ Occultatione.

O Anima diu protraximus sermonem. Bonum enim erat nos hìc esse cum Petro & Ioanne contemplari gloriam sponsi; & diu manere cum illo: si vellet hic fieri, non duo, non tria tabernacula sed unum; in quo essemus simul & simul delectaremur. Sed jam dicit sponsus: dimitte me: iam *Gen: 32.*

enim aſcendit aurora, iam lumen gratiæ & viſitationem, quam deſiderabas, accepiſti. Datâ ergo benedictione, mortificato nervo femoris, & mutato nomine de Iacob in Iſrael: pauliſper ſecedit ſponſus diu deſideratus, citò elapſus. Subtrahit ſe tam à prædicta viſione, quàm à dulcedine contemplationis: manet tamen præſens, quantùm ad gubernationem.

Punctum Sextum.

Quòd gratiæ occultatio ad tempus nobis cooperetur in bonum.

SEd nè timeas, ô ſponſa, nè deſperes, nè exiſtimes te contemni, ſi pauliſper tibi ſubtrahit ſponſus faciem ſuam. Omnia iſta cooperantur tibi in bonum, & de acceſſu & receſſu lucrum acquiris: tibi venit: tibi & recedit. Venit ad conſolationem: recedit ad cautelam: nè magnitudo conſolationis extollat te: nè ſi ſemper apud te ſit ſponſus, incipias contemnere ſodales: & hanc continuam viſitationem non jam gratiæ attribuas, ſed naturæ. Hanc autem gratiam cui vult, & quando vult ſponſus, tribuit; non quaſi jure hæreditario poſsidetur. Vulgare proverbium eſt, quòd nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo nè fortè nimis aſsiduus contemnatur; & abſens magìs deſideretur; deſideratus avidiùs quæratur; diu quæſitus tandem gratiùs inveniatur. Præterea ſi nunquam deeſſet hìc conſolatio (quæ reſpectu futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis, ænigmatica eſt & ex parte) putaremus fortè hìc habere civitatē manē-
1. Cor. 13. tem: & minùs inquireremus futuram: Nè ergo exilium depu-
Hebr. 13. temus pro patria; arrham pro pretii ſumma; venit ſponſus & recedit vicisſim: nunc conſolationem afferens, nunc univerſum ſtatum noſtrum in infirmitatem commutans: pauliſper nos permittit guſtare quàm ſuavis eſt: & antequam plenè ſentiamus, ſe ſubtrahit: & ita quaſi alis expanſis ſupra nos volitans provocat nos ad volandum. Quaſi dicat. Ecce parum guſtaſtis quàm ſuavis ſum & dulcis: ſed ſi vultis plenè ſaturari hac dulcedine, currite poſt me in odorem ungventorum meorum: habentes ſurſum corda, ubi ego ſum in dextera DEI Patris. Ibi videbitis me non per ſpeculum in ænigmate: ſed facie ad faciem: &

plenè gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Punctum Septimum.

Quàm cautè se debeat habere anima post gratiæ visitationem.

SEd cave tibi ô sponsa; quando absentat se sponsus, non longè abibit: & si non vides eum, ipse tamen videt te semper; plenus oculis ante & retro. Nunquam potes eum latere. Habet etiam circa te nuntios suos: Spiritus quasi sagacissimos exploratores: ut videant quomodo absente sponso converseris: & accusent te coram ipso, si aliqua signa lasciviæ & scurrilitatis in te deprehenderint. Zelotypus est sponsus iste. Si fortè alium amatorem receperis; si aliis magis placere studueris; statim discedet à te, & aliis adhærebit adolescentulis. Delicatus est sponsus iste: nobilis & dives est; speciosus formâ præ filiis hominum: & ideo nonnisi speciosam dignatur habere sponsam. Si viderit in te maculam sive rugam, statim avertit oculos. Nullam enim immunditiam potest sustinere. Esto ergo casta: esto verecunda & humilis: ut sic à sponso tuo merearis frequenter visitari. Timeo nè diutiùs detinuerit nos sermo iste, sed ad hæc compulit me materia fertilis pariter & dulcis, quam ego non protrahebam spontaneus: sed nescio quâ ejus dulcedine trahebar invitus. *Hactenus Guigo Cathusianus.*

§. VI.

De Cognitione DEI Supernaturali.

COgnitio DEI, *est effectus seu actus Contēplationis, procedens ab habitu fidei & Spiritûs S. donis intellectu & sapientiâ, vel alio supernaturali lumine, afferens notitiam DEI Unius & Trini ac eius Attributorum.* Cognitio DEI alia est *Abstractiva*, quâ sub formis creaturarum concipitur DEUS, estque propria Viæ. Alia *Intuitiva*, quâ in sua propria Essentia videtur DEUS, & hæc solius est Patriæ. Alia *Media* inter abstractivam, & intuitivam, quæ specialissimâ gratiâ DEI rarissimis, iisque purissimis mentibus in hac vita conceditur.

Motiva ad clariorem DEI cognitionem comparandam.

S. Augu: ser: 112. de temp: 1mum. Beatus Augustinus inquit: Cognitione DEI nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa verò beatitudo est. Unde & Salvator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum DEUM, & quem misisti IESUM Christum. (Joan: 17.) Et mox: Beata siquidem vita est cognitio Divinitatis: cognitio Divinitatis Virtus boni operis, Virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis.))

Secundum: Quia ordinariè clarior quò fuerit DEI cognitio eò ardentior eam consequitur amor DEI, pacatior quies, iucundius gaudium, adeoque felicitas major. Voluntas enim tantò intensius suis actibus movetur in bonum propositum quantò majores rationes boni ab intellectu fuerũt penetratæ ac perspectæ.

D. Bern. tract: de inter: donis in fine. *Praxim* acquirendi manifestiorem DEI notitiam tradit *S. Bernardus* dicens: DEUM cognoscere est plenitudo scientiæ, plenitudo autem huius scientiæ plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad huius verò scientiæ plenitudinem opus est potiùs Compunctione quàm profunda investigatione, suspiriis quàm argumentis, lachrymis quàm scientiis, oratione quàm lectione, cælestium potiùs conemplatione, quam terrestrium occupatione.))

Quoniam cognitio DEI clarior, est idem in re quod contemplatio: igitur supra de contemplatione dicta hũc applica.

§. VII.

De Cognitione Suiipsius.

COgnitio suiipsius trifariam apud spirituales sumitur. *1mo:* pro cognitione Nihili & Vilitatis propriæ. *2do:* pro cognitione dignitatis humanæ. *3tio:* pro cognitione eorum omnium, quæ ex parte hominis scienda, credenda, agenda sunt in genere moris.

De hujusmodi igitur cognitione suiipsius primò in universali aliquid dicendum, postea in particulari, excepto puncto *2do;* de quo alibi dictum, (p: 3. tr: ult: sec: 2. subs: 1. & 2.) atque *3tio* puncto; quia circa cognitionem sciendorum, credendorum, agendorum moraliter, hoc toto Opere Theologiæ spiritualis in genere, specie, pleraque & in individuo tractantur. Unde solùm punctum 1mum de Cognitione

nitione proprii Nihili & vilitatis restat fusiùs proponendum.

Motiva ad Cognitionem suiipsius. 1mum. Quia ut *S. Bernardus* ait: De cælo cecidit ista sententia: *Nosce te ipsum homo.* Vide si non & Sponsus in amoris cantico Sponsæ idem loquatur: *Si ignoras te* (inquit) *ò pulchra inter mulieres egredere & abi.*) Cognitio enim suiipsius est via ad cognitionem DEI, sicut ignoratio sui est ignoratio DEI: cognoscens enim suam infirmitatem cogitur agnoscere DEI gratiam & omnipotentiam eamque supplex invocare. *Ser: 40. de 7. grad: Conf.*

2dum. *S. Bernardus*: Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, & seipsos deserunt: DEUM quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est DEUS. Idcirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad superiora ascendam: ut possim cognoscere unde venio, aut quò vado, quid sum; vel unde sum; & ita per cognitionem mei valeam pervenire ad cognitionem DEI. Quantò namque in cognitione mei proficio, tantò ad cognitionem DEI accedo. *Idem*: Scio neminem absque sui Cognitione Salvari; de qua nimirum mater salutis humilitas oritur & timor Domini, qui & ipsa sicut initium sapientiæ, ita & salutis est. *Boetius*: Humanæ naturæ hæc conditio est, ut tunc tantùm cæteris rebus, cùm se cognoscit, excellat: Eadem tamen infra bestias redigatur, si nosse se desierit. *S. Hieronymus* Hæc in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. *S. Gregorius*: Quantò quis se minùs videt, tantò minùs sibi displicet: Et quantò majoris grætiæ lumen percipit, tantò ampliùs se reprehensibilem esse cognoscit. *Ludovicus Blosius*: Pretiosior coram DEO est humilis profundaque propriæ imperfectionis agnitio, quàm miraculorum vel aliorum grandium operum exhibitio. *In Medit: c: 1. Ser: 37. in Cant. Boetius de consl: Phil: lib: 2. prosa 5. S. Hiero: Epist: ad Ctesiphon: S. Gregor: 25. Moral: Blosius Can: vitæ spirit: c. 33.*

3tium. *Cornelius à lap:* hæc profert dicens: Magna sapientia est sapere, & practicè intelligere hanc veritatem nos à nobis nihil boni habere, nihil sapientiæ, nihil virtutis, sed totum id DEO danti, donanti, cum humili agnitione & gratiarum actione acceptum ferre, sapuit hoc S. Franciscus cujus per noctes integras hæc una erat meditatio & oratio: *Quis ego Domine, quis Tu? ego abyssus nihili, ignorantiæ, miseriæ, malitiæ:* Tu abyssus *omnis Essentiæ, Sapientiæ,* *Cornel: à Lap: Com: in Epist: S. Jacob: c: 1.*

tiæ, Felicitatis, & Bonitatis. Abyssus ergo meæ inopiæ, tuam Abyssum copiæ invocat. Sic & Christus S. Catharinæ Senensi hæc duo documenta dedit. *Cogita quæ tu, quis Ego; Cogita de Me, & Ego cogitabo de te.*

Praxis comparandi cognitionem proprii nihili, indignitatis, miseriæ, vilitatis est: *imo.* Frequentare illam Aspirationem: *DEUS meus noverim me; noverim Te: Ut oderim me; amem Te.* Nisi enim gratiâ DEI coruscante & dissipante nubilum falsitatis obductum ab amore proprio, minimè veritatẽ tuæ conditionis agnosces. *2do.* Diligenter perpendere quid, & qualis ex se homo metaphysicè, physicè, & moraliter, iuxta sequentia puncta.

Punctum Primum.
Quid Metaphysicè ex se Homo?

Respondetur; *Est Nihilum:* quia etsi homo Metaphysicè spectatus, habeat essentiam suam, id est non implicantiam sui, seu connexionem prædicatorum essentialium hominis, tamen secundùm probabilem sententiam Philosophorum, hæc connexio prædicatorum essentialium in priori signo rationis non provenit ex parte hominis, sed ex parte Sapientiæ & Omnipotentiæ DEI, adeoque homo in Metaphysico conceptu ex parte sua præcisè spectatus est non Ens, non verum, non bonum, seu ipsum essentiale Nihilum. *Ratio est:* quia homo in suo Esse possibili ex parte sua vel est aliquid, vel est nihilum: si nihilum, habemus intentum: si aliquid: ergo illud aliquid possibile quoad sua prædicata essentialia vel est Ens participatum, vel imparticipatum: non potest dici imparticipatum, quia id soli Divinæ essentiæ & existentiæ convenit quæ est A se, ergo est participatum; quia omne possibile quod est creabile, est *Ab alio* seu a DEO: alioquin illud creabile esset *Ens à se*, necessarioque exigeret actualiter existere, sicut & DEUS, quod est absurdũ. Quare concluditur totum Esse possibile homini intrinsecum etsi in se, non tamen â se, sed à DEO haberi, ideoque ex se prorsus esse Nihilum etiam Metaphysicè.

Punctum Secundum.
Quid Physicè ex se Homo?

Respondetur; *Est Nihilum seu non existens.* Quia Existentia homini

minis quantùm ad Corpus, etsi hoc non ex nihilo, verùm ex semine humano sumpsit originem suam, tamen primus Parens omnium formatus est ex limo terræ; sicut & ipsa materia corporis humani est ex terra, unde dicitur: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Atqui terra est creata ex nihilo: Ergo & Corpus humanum secundùm materiam suam ex terra sumptum, productum est ex Nihilo. Similiter Forma substantialis Corporeitatis, & Formæ accidentales Corporis humani eductæ de potentia seminali, quæ tamen primum principium sui habuit Nihilum. Quod verò concernit Animam rationalem, illius existentiam à DEO ex Nihilo creari, & Corpori organizato infundi ac uniri, nullum dubium est. *Gen: 3.*

Deinde quanquam homo à DEO productus Existat, attamen ex parte sua, adeo tendit in illud suum Nihilum, ex quo eductus est, quòd in instanti in illud resolveretur, nisi continuo concursu suo DEUS, tum per se, tum per secundas causas, hominem conservaret. Ratio est; quia deficiente causæ causalitate conservativâ sui effectûs, mox deficit & ipse effectus v. g. hyeme subtracto influxu caloris & aliarum influentiarum solis, deficiunt arbores, terra, in producẽda viriditate, floribus, fructibus. Sed DEUS est causa conservativa hominis in suo Esse & Existere: Unde hæc conservatio dicitur continuata creatio. Ergo subtractâ hâc conservatione Primæ Causæ, homo desineret ab Esse hominis ad non Esse hominis seu in Nihilum. Quod ipsum probatur quotidianâ experientiâ, dum homo à perfectione physica suæ Naturæ & Existentiæ primò in accidentalibus mille modis deficiat, pereatque, V. g. Per morbos, famem, sitim, frigus, æstus, inflictos dolores &c. ac tandem per mortem id totum, quod est substantialiter homo, divisum, desinit in Non esse seu in Nihilum hominis, ut qui fuit homo jam non ampliùs sit homo, sed cadaver & anima hominis quondam existentis: donec potens dextera Creatoris ad tempus pro Conservatione hominis subtracta, iterum in resurrectione mortuorum uniens animam corpori, ex non Esse hominis, reformabit totum Esse Compositum hominis.

Perspecto Metaphysico, & Physico Nihilo hominis; ipsam ejus physicam Existentiam, quàm multiplici defectu & vilitate potuerat fuisse, & fuit, sit, & erit obnoxia, perpendamus. *Imo.*

Ut S. Augustinus ait, poterat Te homo DEUS non hominem, sed aliquam ex bestiis produxisse. Potueras Monstrum aliquod natus fuisse. potueras cæcus, surdus, mutus, mancus, & aliis sexcentis malis naturæ miser ex utero prodiisse. Ratio est, quia hæc multiplex potentia defectuositatis & vilitatis ex ratione tui Nihili non implicat, in illoque tanquam suo primo principio fundatur, utpote cùm illud sit omnium physicè pessimum & vilissimum, ad quod tanquam suum principale & caput, omnia alia mala & vilia reducuntur, Sicut ad summum Bonum omnia bona. Hinc DEUS, quale, & quàm bonum Esse & Existere, magis vel minùs bonum tribuit cuique Creaturæ pro beneplacito voluntatis suæ. Nec Natura ex se bonum aliquod determinatum à DEO exigere potest, nisi prius hanc ipsam exigentiam à Sapientia Bonitateque Divina, distribuente dona sua, cui vult, & quantum, & quomodo vult, acceperit.

2do. Vilitas hominis quam in suo Originativo Existere, educatione, & progressu ætatis habuit, prorsus indigna esse cognoscitur. Nam quoad corpus more aliarum bestiarum est conceptus ex spurcissimo semine, in fœda Carnis concupiscentia & corruptione. Deinde in utero matris immundissimo sangvine menstruo nutritus, mille tædia, fastidia, pericula &c. matri creans, tandem cum ejusdem vitæ discrimine in lucem hanc editus, primam vocem emisit plorans, nudus, spurcus, omni auxilio naturæ destitutus, & in hoc abjectior brutis, quæ vestita, & armis suis prædita, nascuntur, & mox aut paulò post cibum sibi conquirere norunt. Deinde educatus in lachrymis, cum summis & innumeris Parentum & aliorum molestiis, solicitudinibus, dum incipit attingere perfectam ætatem, non rarò in flore suo à Morte succiditur; vel etiam crescente, uti & decrescente ætate, incrementum capiunt variæ ærumnæ & calamitates.

3tio. Homo ex parte Corporis quid sit, & quid futurus sit, insinuat *Bernardus* dicens: Nihil aliud est caro (cum qua tanta est tibi societas) nisi spumâ caro facta, fragili vestita decore: sed erit quando erit cadaver miserum & putridum, & cibus vermium. Nam quantumcunque excolatur: semper caro est Si diligenter consideres, quid per os & nares cæterosque corporis meatus egredia-

S. Bern: in medit: huma: Cond: c. 3.

gredia-

grediatur, vilius ſterquilinium nunquam vidiſti. Si ſingulas ejus miſerias enumerare velis, quàm ſit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiſcentiis, occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, prona ſemper in malum, & in omne vitium proclivis, plenam omni confuſione & ignominiâ invenies. Propter carnem homo vanitati ſimilis factus eſt; quia ex illa vitium concupiſcentiæ traxit, quo captivus tenetur & incurvatur, ut diligat vanitatem, & iniquitatem operetur. *Pſalm. 143.*

Attende homo quid fuiſti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occaſum, atque quid eris poſt hanc vitam. Profectò fuiſti quòd non eras: poſtea de vili materia factus, & viliſſimo panno involutus, menſtruali ſangvine in utero materno fuiſti nutritus, & tunica tua fuit pellis ſecundina. *Sic indutus & ornatus progreſſus es ad nos, nec memor es, quàm ſit vilis origo tui.*

Forma, favor populi, fervor iuvenilis, opesq;
Subripuêre tibi noſcere, quid ſit homo.

Nihil aliud eſt homo, quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium.

Poſt hominem vermis, poſt vermem foetor & horror,
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Cur ergo ſuperbis homo, attendens quòd fuiſti vile ſemen & ſangvis coagulatus in utero? Deinde miſeriis hujus vitæ expoſitus & peccato, poſtea vermis & cibus vermium futurus in tumulo? Quid ſuperbis pulvis & cinis: cujus conceptus culpa, naſci miſeria, vivere pœna, mori anguſtia?

Unde ſuperbit homo, cujus conceptio culpa,
Naſci poena; labor vita: neceſſe mori?

Cur carnem tuam pretioſis rebus impingvas & adornas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro: animam verò tuam non adornas bonis operibus, quæ DEO & Angelis ejus præſentanda eſt in Cœlis? *Hactenus D Bernardus.*

Confirmat egregiè hæc dicta de Nihilo ſeu Non eſſe Metaphyſico & Phyſico hominis *Cornel. à Lapid.* ita ſcribens Nota ſicut Nomen DEI eſt Eſſe, ita è contrario creaturarum nomen eſt Non eſſe, ut ſi rogetur homo, lapis, Angelus, quis es? qui vocaris? Reſpondere poſſit & debet: Meum nomen eſt Non eſſe; *Comment: in 3. Cap. Exodi.*

ego vocor Non sum: idque *1mo.* Quia omnis res creata, priusquâm crearetur habuit æternum non esse. *2do.* Si corruptibilis est, habebit rursum æternum non esse. Sin incorruptibilis est, uti est Angelus, potest semper habere non esse, quia ipsius Esse, est in potestate DEI liberè ipsum conservantis, & potentis omni momento illud annihilare. *3tio.* Quia dum est variabilis & mutabilis est, ac proinde admixtum habet non esse; in omni enim mutatione ratio quædam ipsius non esse includitur. *4to.* Quia quælibet res creata ait Plato in Theæteto, plus habet non Entis quàm Entis V.g. Homo tantùm habet esse hominis, sed non habet esse Cœli, terræ, lapidis, Angeli, aliarumque rerum omnium: Ita homo habet tantùm unum esse & innumera non esse. Quàm sapiens est, qui se, & suum non esse cognoscit? Ita S. Joannes Baptista rogatus: Es tu Christus? Es tu Propheta? Respondit: Non sum. Jactant se homines & volunt esse quod non sunt, dicuntque ego sum dives, ego nobilis, ego sum sapiens; qui verò humiles sunt & sapientes, qui se & DEUM cognoscunt, dicunt: DEUS est bonus, dives est & sapiens, est sanctus, ego non sum; & per hoc merentur Divinæ sapientiæ, bonitatis, sanctitatis, omnisque boni esse participes & fieri. Pulchrè & fusè id ipsum Non sum pertractat D. Henricus *Suso serm: 2. Hucusq; Cornelius.*

Punctum Tertium.
Quid Moraliter ex se Homo?

Respondetur *1mo. Nihil boni moralis.* Ratio est: quia si bonum Metaphysicum & Physicum non habet à se, verùm à DEO: multò magis bonum Morale, Supernaturale, omni bono Physico præstantius habebit à DEO non à se. Quare DEVS ait:
Osee 13. *Perditio tua Israel* (id est ex te, tantummodò in me) *auxilium tuum.* Deinde illa bona, quæ facit etiam cum auxilio DEI, ex parte hominis variis defectibus conspurcantur, ut Propheta ait. *Quasi pannus* (*Isai: 64.*) *menstruatæ universæ justitiæ nostræ:* suntque talia bona, quibus DEUS non eget, ipsique inutilia: ut canit Psalm: *Bonorum meorum* (*Psal: 15.*) *non eges.* Et Christus: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis,* (*Luc: 17.*) *dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*

Respondetur *2do. Homo moraliter ex se omnium maximo malo seu nihilo*

hilo physico nihilum pejus. Ubi 1*mo.* Videndum quòd malum morale seu peccatum sit voceturque Nihilum. Nam Patres sancti ejusmodi titulo illud appellant. Accipe auream sententiam S. Bernardi qui ait: *Certum est ad suam Originem universa quantùm in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora. Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat, si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod nihil est) declinamus.* Deinde Theologi docentes peccatum consistere realiter in positivo, formaliter in privativo, quid aliud volunt peccatum esse essentialiter spectatum, nisi privationem, quæ est Non Ens seu Nihilum? 2*do.* Peccatum esse physico nihilo nihilum pejus inde est: quia sicut bona moralia toto cælo præeminent bonis physicis: Ita & mala moralia cum suo principe nihilo deteriora sunt physicis. Unde dicitur: Corruptio optimi pessima; adeoque & non Esse virtutis seu rectitudinis debitæ, quod est nihilum optimi, sive peccatum, omni nihilo seu quovis pejore malo erit pessimum. *In annunc: B. V. serm: 1.*

Porrò quàm enormis gravitatis, & indicibilis malitiæ ac indignitatis sit hoc Nihilum morale, ulteriùs foret hìc prosequendum, sed infra suo loco vide. Nunc autem considerandum est, quomodo tanto malo homo fuerit, sit, & possit esse infectus. 1*mo.* Homo in ortu suo mox ab ipsa infusione animæ & unione cum corpore, hujus immensi mali particeps, nempe Originalis peccati reus fuit. Unde poterat dicere: Ad nihilum redactus sum & nescivi: id est nescivi physico intellectûs actu, quãquam scivi moraliter propter alligatã meã voluntatẽ voluntati Adæ, in qua omnes peccaverunt. Unde D. *Bernardus* inquit: De parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quàm natum. Peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, & de peccato nutriverunt. Miseri miserum in hanc lucis miseriam induxerunt. Nil ex eis habeo, nisi miseriam & peccatum, & corruptibile hoc corpus quod gesto.)) *Cap: 2. Sect: 4. § 2.* *1. Quid fuit ex se moraliter homo.* *S. Bern: in Medi Cond: hum: c. 2.*

Secundò. Quantis Pœnis sit homo affectus ob culpam Originalis peccati, & tum de culpa Actuali ejusque Pœnâ hic perpendendum. Pœnæ Originalis peccati primæ Classis sunt: privatio Originalis justitiæ, quæ importat tum privationem gratiæ justificantis, tum privationem sanitatis mentis (quæ privatio vo- *2. Quid sit moraliter ex se homo.*

cantur vulnera naturæ, eaque sunt cæcitas intellectûs, debilitas voluntatis in bonum, fragilitas & malitia ejusdem in malum) tum privationem justæ subjectionis appetitûs inferioris ad superiorem, quæ dicitur fomes peccati, seu rebellio & incentivum appetitûs sensitivi impugnantis partem rationis superiorem suis motibus seu passionibus partis concupiscibilis & irascibilis; nempe inordinato amore, desiderio, odio & ira. *2da.* Classis pœnarum Originalis delicti est privatio visionis beatificæ & illlius æternæ gloriæ, tum inclusio carcere limbi. Et quanquam gratiâ DEI per baptismum liberatur homo à culpa originali, & privatione gratiæ justificantis, tum à privatione futuræ beatitudinis ac limbo, aliis tamen pœnis supradictis manet obnoxius. Et hæquidem pœnæ dicuntur propriè vel impropriè habitus vitiorum congeniti; jam verò quos habitus vitiorum homo per ætatem suam, contraxerit, & quæ ac quot actualia & venialia incurrerit; Denique quantis imperfectionibus quotidie succumbat, nemo meliùs noverit, quàm ipse Spiritus qui est in homine: quare tamdiu ingrediatur quisque conscientiam suam, recogitet omnes annos in amaritudine animæ suæ, quousque comparet sibi plenam & nunquam amittendam cognitionen suiipsius quoad præfatos contractos habitus, actualia peccata, & imperfectiones. Verùm quia obcœcatus proprio amore homo suas non tam facilè tenebras nosse potest, igitur præferimus hîc facem seu *Praxim* & formam cognoscendi vitia, & peccata, ac multiplices defectus & miserias morales, easque ante oculos mentis subjicimus ut videat & intelligat qui dicit: *Dives sum & locupletatus & nullius egeo & nescit quia*
Apoc. 3. *ipse est miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Praxis cognoscendi peccata & miserias proprias in particulari.

PRaxis hæc eruta est ex *Tractatu de interiori Domo, seu de conscientia ædificanda cuiusdam pii Authoris*; etsi S. Bernardo asscribatur, non est tamen ejus teste sagacissimo selectore Operum eiusdem Sancti Iacobo Merlone Horstio. Hæc autem in præfato Tractatu Cap: 15. & sequentibus (nonnullis â nobis omissis) proferuntur: Beatus homo qui se potest cognoscere & despi-

despicere, probare & improbare. Nam qui sibi displicet, DEO placet: & qui sibi vilis est, DEO charus est. Multæ sunt scientiæ hominum, sed nulla melior est illâ, quâ cognoscit homo seipsum. Quamobrem redeam ad cor meum, & ibi stare adsuescam, ut totam vitam meam possim discutere, & meipsum cognoscere. Omnes miserias meas coram DEO effundam, si fortè illa sua magna pietas moveat eum. Confitebor ei peccata mea, cui omnia nuda sunt & aperta: quem fallere non possum, quia sapientia est: nec effugere, quia ubique est.

Deplorat homo coram DEO miserias suas, inquietudinem cordis, & ad mala propensionem.

AUdi ergo piissime DEUS confessionem meam; & respice ad pietatem tuam, & fac mecum secundum misericordiam tuam. Audi quàm sæpe de memoria mea te expulit irruens turba plurimarum cogitationum, quæ velut plebs ad aliquod spectaculum solent influere in cor meum. Dum orare vel cantare volo, nescio cujusmodi stulta cogitatio cor meum rapit, & ducit per diversa loca. Cumque illud ad me revoco, tenere non possum. illicò elabitur, & huc illucque dispergitur, & per innumera effunditur. Idcirco crebra terrenarum cupiditatum illecebra, & vanitatum effusio ita cor meum occupant, ut quod vitare studeam, hoc cogitem, animoque volvam. Non enim est in potestate mea cor meum & cogitationes meæ, quæ ex improviso effusæ mentem meam animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm ego proposueram. Ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa contexunt: ipsoque in tempore quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus ad terrena plerumque deiicior: hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus à corde quotidie amovere volo nec valeo: sed visa & audita, dicta & facta ad memoriam revocant, & in ea cum magna importunitate perstrepunt. Cogitanda cogito, cogitata recogito, & eadem iterum atque iterum replicare non cesso: & cùm diu multùmque quicquid potero cogitavero, sine cogitationibus esse non possum, sed intrant & exeunt, atque aliæ alias introducunt & excludunt:

hæc invitus ſuſtineo; plerumque tamen conſentio, cùm per ea, quæ vidi, vel feci, ſine utilitate, absque diſcretione, vagâ mente diſcurro. Ita mens mea ſemper mobilis, & nunquam ſtabilis, ſemper vaga, & velut ebria, per diverſa diſtrahitur: graviter pecco, dum cor meum derelinquo: quoniam gravis jactura eſt quæ per negligentiam fit. Vim patior cùm illud me deſerit. Confirma cor meum DEUS, quoniam cùm ſtare in ſemetipſo nititur, aliquo modo à ſemetipſo etiam neſciendo derivatur. Ita peccandi conſuetudine etiam cùm neſcio pecco: & cor meum cor vanum per infinita deducitur, & in multa deſideria dividitur. In nocte verò cùm dormire volo: multarum rerum imagines & phantaſias clauſis oculis video, easque invitus tolero: quantoque ab eis aciem mentis avertere nitor, tantò ampliùs illæ ſe mihi ingerunt, & moleſtiis turpium cogitationum cor meum maculant. Inde eſt quòd ſæpè mihi nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorum peccatornm naſci ſolet, ſed maximè ex recordatione libidinis. Hæc enim peſtis quò præ cæteris vitiis eſt mihi familiarior, eò ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior. Nam cùm eam repellere volo, nolenti mihi ſe ingerit, blandè oneroſa, diſplicendo placens, & placendo diſplicens. Carnis libidinem nunquam fugere potui, ſed ſemper me perſequitur: & cum aliqua delectationis cogitatione, vel viſûs intentione me comprehendere poteſt, non diebus neque noctibus requieſcere ſinit. Subtiliter intrat, & mentem occupat, & niſi ſubitò repellatur, allicit & incendit, & quaſi virus peſtilentiæ per totum corpus paulatim ſe diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicitâ mentem afficit, & ad conſenſum pravitatis animum inflectit: omnesque animæ virtutes corrumpit. Hâc peſte cùm adſtrictus teneor, divelli ab ea vix poſſum, quoniam ſtimulos ejus confiteri aut neſcio, aut erubeſco: tam ſubtiles & turpes ſunt. Revera difficilè eſt libidinis incendia extingvere: impuberes ſtimulat, juvenes inflammat, viros eneruat, ſenes & decrepitos fatigat: non aſpernatur tuguria, non reveretur palatia. Utinam ſola cænobia fugiat. Adjuva me Domine DEUS meus, ut huic tam peſtifero & mortifero vitio reſiſtere poſſim. Scio enim quia quòd reſi-
ſtentem

ſtentem fatigat, vincentem coronat. Scio etiam quoniam ſi mentem meam cogitatione immundâ polluero: tibi, qui munditiæ author es, placere non valeo.

Pergit accuſare & deplorare miſerias ſuas circa cogitationes amarulentas; abuſum membrorum, & rerum exteriorum, ad vitæ uſum ſpectantium.

COr mundum crea in me DEUS, quoniam non ſolùm vana cogitatio illud occupat, & turpis inquinat, verùm etiam amara disſipat. Sæpè namq; aliquâ injuriâ commotus, denſis cogitationum tumultibus in corde premor: hinc inde ſolicitus & cæcus occaſionem vindictæ de accepta injuria rimor, conſilia multiplico, & nihil aliud niſi jurgia quæ deſunt, in corde perago. Præſentes non video, abſentibus contradico, intra memetipſum contumelias profero & recipio, receptis autem duriùs reſpondeo. Cumque qui obviet nullus adſit, rixas in corde compono, inſidias invidentium conſidero, & quid contra jurgii movere posſint penſo, exquiro quid reſpondeam: & cum rem nullam teneam, vacuus litigator elaboro. Sicque diem in otium, noctem verò in cogitationem verſo. Torpeo ab utili opere, quoniam fatigor illicitâ cogitatione. Ita mens intus pugnat, cùm menti nemo repugnat. Nonnunquam verò quod egi in corpore, hoc poſtmodum importunâ cogitatione verſo in mente: & multotiens graviùs torqueor in recordatione, quàm prius captus fueram in operis perpetrationem. Sæpè etiam ea quæ nunquam feci, nec in voluntate habui, ita recogito, quaſi pœniteat me illa non feciſſe. Ab occultis meis munda me Domine; quoniam cùm nihil exteriùs ago, intus graviter pecco. In corde enim ſervo depicta, quæ vidi & feci. Ideo temporalium rerum tumultus in corde verſare non ceſſo etiam cùm vaco. In cogitatione enim comedo, cùm jejuno; loquor, cùm taceo; iraſcor, & tranquillus ſum: corpus requieſcit, & animus huc illucque diſcurrit.

Ita vitam iſtam ſine culpa nunquam tranſire potui: nec hoc quidem quod laudabiliter vixi, ſine aliquo reatu eſt, ſi remotâ pietate diſcutiatur. De necesſitatibus meis eripe me Domine. Crebrò namque dum necesſitati debita reddere ſtudeo, volupta-

tis vitio deſervio: ſub velamine neceſſitatis, cado in laqueum voluptatis. Sæpiſſimè namque comedi & bibi non ad neceſſitatem, ſed ad voluptatem: & quod neceſſitati ſatis erat, voluptati parum erat. Cogitavi etiam de cibo & potu quando non debui, & ubi non debui, & plusquam debui. Cogitando de eſcis, epulas in cogitatione totâ die ruminabam. Cúm tegendis membris veſtimenta quæro: non ſolùm quæ tegant, ſed quæ extollant, expeto: & contra frigoris torporem, non ſolùm quæro quæ muniant, ſed quæ mulceant per mollitiem, non ſolum quæ per mollitiem tactum mulceant, ſed quæ per colorem oculos ſeducant. Cùm pro aliqua neceſſitate licentiam loquendi alicui habui, locutus ſum non ſolùm de neceſſariis: verùm etiam de non neceſſariis, & de his quæ ad me non pertinebant; & de quibus licentiam non habebam. Immerſi me colloquiis hominum & ibi locutus ſum non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem: non quod decebat; ſed quod libebat. Locutus verba vana & riſui apta, verba otioſa & inutilia. Verboſitati deſerviens, detractioni ſtudens, os meum mendacio & detractione inquinavi. Lingva mea omni fallaciâ plena eſt, & nocuit mihi plusquam omnia membra. Nam ea quæ audivi vel vidi, nunquam eo modo quo dicta vel facta ſunt, referre poſſum: ſed alia affirmo pro aliis, & ſæpe multa interſero ſuperflua: atque ita vel nimiùm laudando vel vituperando, ferè quoties loquor, mentior.

Guttur inſatiabili ardet ingluvie: gula diverſis ſaporibus ſatiari non poteſt. Cor pravum, dolo & malitiâ plenum; per puram confeſſionem purgare nunquam potui. Manus ad opus pravum fuerunt paratæ, & ad operandum bonum pigræ. Stomachus & inteſtina nimio cibo & potu ſæpe ſunt diſtenta, & ideo dolore ſunt plena. Nam unde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, & ſæpè mors ſequitur. Per gulæ delectationem corrui in ventris ingluviem: & unde debui mihi parare ſalutem, inde contraxi nimium comedendo, perniciem. Pedes velociùs me portaverunt ad aliquam curioſitatem ſpeculandam, quàm ad Eccleſiam. Oculi iniquo intuitu me perverterunt, omnemque motum corporis mei ad immunda deſideria traxerunt. Aures citiùs aperui verbis otioſis & vanis, quàm ſan-

ctis. Delectatus est odoratus vanis odoribus, gustus diversarum rerum diversis saporibus: necnon singuli alii sensus his & illis, juxta quod cuique suus ferebat appetitus. Ita DEUS meus in omnibus membris meis naturæ modum excessi, omnia membra mea velut conjuratione factâ inimico meo de me dominium tradidêre, cum morte fœdus iniêre, pactum pepigêre cum inferno.

Ulterior accusatio propriæ iniquitatis, præsertim circa vitium invidiæ, odii, jactantiæ, &c.

ERipe me Domine ab homine malo, id est à meipso: à quo recedere non possum. Nam quocunque me verto, vitia mea me sequuntur, ubicunque vado, conscientia mea non me deserit, sed præsens adsistit, & quidquid facio, scribit. Idcirco quanquam humana subterfugiam judicia, judicium propriæ conscientiæ fugere non valeo. Etsi hominibus celo quod egi, mihi tamen (qui novi malum quod gessi) celare nequeo. Proprii reatûs conscientia non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet, & de die judicii vehementiùs terret. Nam in die illa cùm Dominus ad judicium venerit, uniuscujusque conscientia ad testimonium adducetur, & aperto libro conscientiæ, omnis culpa ante oculos reducetur: atque ita cogente conscientia, unusquisque erit accusator & judex suus. Propterea statuam me ante me, & judicabo meipsum, ut illius extremæ & tremendæ diei Judicium evadere possim Damnat me conscientia mea, quanquam Divinum Judicium nondum me damnet. Accusat me de homicidio, quod si opere non feci, voluntate tamen ac desiderio sæpè peregi. Accusat me de adulterio, & eodem modo respondeo. Accusat me de Invidia, confiteor & ego quoniam invidia sæpissimè cor meum laniavit. Per Invidiam namque, sanctè viventium merita, mea feci invidendo peccata. Nam bona quæ ab eis fieri, vel dici audiebam, vera omnino non credebam; ipsas res benè gestas, in malum malè interpretando convertebam. Omne malum quod de illis mendax fama jactabat, statim tanquam si ego vidissem, credebam: omnia mala meis æmulis fingebam, & ex profectu eorum deficiebam. Hæc verò odia intra me abscondebam, & in meos cruciatus enutriebam;

 profi-

proficientibus invidebam, peccantibus favebam, de malis eorum gaudebam, & de profectibus lugebam.

Gratuitis inimicitiis ardebam, & hanc malitiam mei pectoris deprehendi timebam. Semper eram ei amarus, & nunquam certus: & ita amicus eram diaboli, & inimicus mei. Inter amicos discordias seminavi, discordantes in dissensionem confirmavi, opiniones eorum mendaciis decoloravi, in Spiritualibus carnalia laudavi, ut Spiritualia bona eis deesse persuaderem. Amicitias simulavi, ut eos qui se incautè mihi committebant, quâ possem arte deciperem. Odiorum mihi occasionem pravis suspicionibus coaceruavi, & ita dæmones, quorum facta sectabar, lætificavi. Multis velut amicus fui in obsequio, hostis in animo. Comptus in verbo, turpis in facto. Proditor fui secretorum, tenax malarum suspicionum, utrobique perversus. Et ita persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Piissime Domine, unde possum esse bonus, qui in bono sic fui malus? Ego peccabam, & tu dissimulabas: prolongabam multo tempore iniquitatem meam, & tu pietatem tuàm: quia pœnitentiam & indulgentiam cogitabas. Da ergo misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Credo namque quoniam quicquid mihi condonare decreveris, sic erit quasi nunquam fuerit.

Non solùm invidia cor meum afflixit, verùm etiam vanitas circa varias delectationes languentem animum involuit. Per vanitatem namquè de operibus quorum mihi conscius non eram, turpiter me iactavi. Gestiebam etiam docere quæ nesciebam. Credi de me sublimia volebam, delectabilia grauibus anteponebam, execrabar verbo quod animo concupiscebam, appellationes virtutum meis vitiis imponebam; & ita meipsum fallebam, & faventes mihi decipiebam. In promissione honesta fui velox, in exhibitione mendax, à bono mutabilis, mali tenax, in verbo gravis, animo turpis, ubique fallax, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. Misericordissime Domine, ita defecerunt in vanitate dies mei, in quibus debui flere commissam iniquitatem, excitare remissam voluntatem,

tem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, properare ad Angelicam ſocietatem, repropitiari tuam Majeſtatem.

Adhuc gemit & plangit coram DEO miſerias ac vitia ſua.

TErret me tota vita mea DEUS meus, quoniam diligenter diſcuſſa apparet mihi aut peccatum, aut ſterilitas: & ſi quid fructûs in ea videtur, ſic eſt aut ſimulatum, aut imperfectũ, aut aliquo modo corruptum, ut poſſit aut non placere, aut diſplicere tibi. Et cùm verè ita res ſit, ſic eſt mihi quaſi non ita ſit: quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Sic comedo, bibo, & dormio ſecurus: quaſi iam tranſierim diem mortis, & evaſerim diem judicii, & tormenta inferni. Sic ludo & rideo; quaſi iam regnem tecum in regno tuo. Idcirco multitudinem iniquitatum mearum expaveſcens, ſed de tua pietate confidens, tibi Creatori & Redemptori meo, qui veniam & indulgentiam poſt reatum per puram & lachrymabilem confesſionem aſſequi promiſiſti, confiteor, quoniam in peccatis conceptus ſum; & in peccatis nutritus; & per omne tempus vitæ meæ usque ad hanc diem in peccatis ſum converſatus. Nullum invenio peccatum à quo non ſim aliquo modo inquinatus. Per ſuperbiam namque præcepta tua, & ſeniorum meorum, tranſgreſſus ſum. Silentium & taciturnitatem, ſicut regula docet, non tenui. Quod mihi licitum non fuit, habui, dedi, & accepi. Clamores pauperum & miſerorum non libenter aut miſericorditer audivi: nec eos in infirmitatibus ſuis viſitavi. Suadentibus mihi in malum, conſenſi: faciliùs multa in imo quàm unum in ſummo cogito: faciliùs reprehendo aliorum vitia quàm mea, & quod in aliis reprehendo facere non erubeſco. Faciliùs uniuscuiusque vitia quàm virtutes intendo. Cùm aliorum delicta cerno, mea non aſpicio. In meis delictis ſum clemens, in alienis rigorem tenere volo. Ad irrogandas contumelias ſum validus: ad tolerandas infirmus: ad obediendum piger: ad laceſſendos verò alios importunus: ad ea verò quæ facere & debeo & valeo vagus: ad ea verò quæ facere nec debeo, nec valeo, paratus. Ita repleta eſt malis anima mea, peccatis meis exigentibus.

In Eccleſia me deteriorem reperio: ante altaria ſacra devotè

tè non ſupplico: vaſa ſacra non reverenter tracto: in choro ſum corpore, & in aliquo negotio mente. Nunc intus maneo, nunc foras exeo: tanta eſt levitas corporis necnon & mentis. Aliud canto, & aliud cogito. Pſalmodiæ verba profero; & pſalmodiæ ſenſum non attendo: ſed mente vagus; habitu diſſolutus: oculis attonitus; huc & illuc proſpiciens quæcunque ibi geruntur, perluſtro & perſpicio. Væ mihi quoniam ibi pecco, ubi pecata emendare debeo. Nonnunqam verò in ipſis bonis quæ ago, ad deterius propinquo: quia dum menti lætitiam pariunt, & quandam ſecuritatem gignunt, mens mea ſecura redditur; & in torpore laxatur. Sæpe etiam meipſum & opera quæ feceram, laudavi: & ab aliis laudari volui. Plerumque laus humana, quam non quærebam, mihi oblata placuit: & cùm ex ea incautè extollerer, ſubitò multa quæ feceram ad memoriã venerunt: ut ampliùs in elatione attollerer. Quæ ſubtiliter replicans, atque in unum cuncta coacervans, cœpi magiſi magiſque deceptus, intumeſcere. Dumq; in mei admiratione occupatus defigerer, mihi dans gloriam, & non DEO à quo omnia acceperam, omnium fructum amiſi: atque ita didici quoniam qui me laudabant, adverſum me jurabant. Quantò enim quisque in ſemetipſo gloriatur: tantò à DEI amore diſiungitur.

Ita DEUS meus, inferno appropinquavit vita mea. Si me liberabis, habebo unde tibi gratias agam: ſi indè non liberabis, non habeo unde te reprehendam: quoniam juſtus es. Heu mihi, qualis vixi, quanta mala feci! & dixi! Pudet qui ſic vixerim: & quòd natus fuerim. Mallem non eſſe quàm talis eſſe. Bonus eram: & malum me feci: utique qui ſponte me feci miſerum, juſtum eſt ſemper eſſe miſerum. Conſcientia mea meretur damnationem: pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem: ſed certum eſt quoniam miſericordia tua delet omnem offenſionem. Dele ergo pie Domine, iniquitatem meam multitudine miſerationum tuarum. Ego verò qui usque ad hanc diem ſine cauſa vixi; amodò ſine cauſa vivere nolo.

Sed heu miſer, hæc tam ſæpè ſic confeſſus: ſurgens, cadens ſum defeſſus: repeccando toties, confitendo toties. Multoties promiſi me emendare; & nunquam tenui ſed ſemper ad peccatum redii; & prioribus ſceleribus nova & deteriora conjunxi.

Nun-

Nunquam, ut debui mores meos in melius mutavi; nec à malefactis recessi. Plurimos etiam, me perdens, peccare feci: & multis causa mali extiti: & exemplis vitæ meæ nonnulli subversi sunt. Ecce peccata mea misericordissime DEUS non abscondo, sed ostendo, accuso me, non excuso: quoniam iniquitatem meam cognosco. Nec idcirco justus sum: quoniam si alter ita me accusaret, sicut ego meipsum accuso, patienter sustinere non possem. Desperare utique potuissem propter nimia peccata & vitia, culpas, & infinitas negligentias meas, quæ egi, & quotidie indesinenter ago corde, ore, opere: & omnibus modis quibus humana fragilitas peccare potest; nisi verbum tuum DEUS caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo: quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum: & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem. Gratias tibi ago Domine DEUS meus, quoniam visitasti me: & ostendisti mihi peccata mea. Nunc primum te inspirante didici ad cor meum redire, & meipsum cognoscere. Advocabo ergo aliquem de amicis tuis, & ei omnia delicta mea exponam sicut mihi præcepisti: ut ejus consilio & auxilio ab omnibus meis possim iniquitatibus liberari, & tibi reconciliari. *Hactenus pius Author in Tractatu de interiori Domo.*

Cæterum quibus pœnis mulctantur actualia peccata, sciendum est omnes ferè pœnas temporales, præsertim communes & publicas, esse fructus peccatorum, sicuti & pœnæ futuri Seculi tam purgatorii quàm inferni. *De quibus vide infra.* *p: 3. tra: 1. c: 1. Sect: 6. Subs: 2.*

Quid in Potentia ad Moralitatem ex se Homo?

Respondetur *Dari Potentiam in homine ad incurrendum innumera eaque horrendissima facinora.* Ita S. Augustinus DEUM alloquens: *3. Quid potest moraliter esse ex se homo.*
„ Sic semper Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua „ *S. August: soli*
„ prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans à præteri- „ *loquior: c. 15.*
„ tis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris: præcidens e- „
„ tiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas; „
„ quia nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecis- „
„ sem. Quoniam scio Domine, quòd nullum peccatum est, quod „
„ unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si „

Creator

Creator desit, à quo factus est homo.)) Et *Ratio est*, quia cùm homo ex sua conditione tantò magis deficiat in nihilum, utpote suum primum principium; quantò minùs sustentetur subsidio concursûs Divini: Sequitur quòd si DEUS exigua auxilia gratiæ suæ concederet, homo profundissimè in privationem seu nihilum rectitudinis moralis, sive abyssum peccatorum, corrueret: uti patebit in Antichristo, (ita sentiente *Suarezio*) & patet in ejus præcursoribus gravissimis peccatoribus, quibus in pœnam suorum peccatorum semper magis subtrahuntur gratiæ auxilia, etsi tamen sufficientia dentur. Jam si DEUS ex toto aufferret misericordiam suam, quid tum homo foret, nisi actu ipsum profundum malorum, quod nunc est in potentia? Videre est hoc in dæmonibus & damnatis, qui utpote destituti omni gratiâ supernaturali, non est cogitabile scelus in pondere & numero, quod ipsi non faciant, aut non velint facere.

Suar: in 3. p: D. Thomæ.

Confirmatio dictorum de cognitione vilitatis propriæ ex S. Bernardo.

S. Bernardus serm.5. in Dedicatione Ecclesiæ.

S. *Bernardus* hæc eleganter affert: Si ipsam (id est animam) prout in se est, & ex se juxta rei veritatem intueor, nihil de ea veriùs sentire possum quàm ad nihilum esse redactam: quid modò necesse est singulas ejus miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ plena? Nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitiæ deinceps, quales reputabuntur? si lumen, quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facile est cuique nostrum, si sua meliùs universa, & sine dissimulatione vestiget & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati, & liberè proclamare: *Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit.* Idem alibi. Cognitio sui stat in tribus; ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit. Quid vilius ò nobilis creatura, imago DEI, Creatoris similitudo, quàm carnem tuam illecebris deturpare, & pro brevi voluptate torren-

Gal. 6.

S: Bernardus serm. 4. de gradibus Compassionis.

torrentem perdere voluptatis? Quid furiosius quàm rapi mentem irâ, superbiâ extolli, vexari invidiâ, & anxietate torqueri? quæ cùm croceis es nutrita quare stercora amplexaris? Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam tuam gehennalis illa fornax ferrea magnæ Babylonis, mortis anxietatis domicilium, flammarum globus, acerbitas frigoris, tenebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum, tortorum facies, mutationem pœnarum, miseriarum infinitatem, & intellectualibus oculis ista discerne, & poteris dicere: Meliùs erat mihi si natus non fuissem. Reflecte oculos, & quid amiseris, animadverte. Reminiscere, qualis sit civitas gloriosa, cælestis habitatio, locus vitæ, suavitatis, splendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum, gaudentium vultus, præmiorum vicissitudinem, multitudinem deliciarum, & potes exclamare: Qui te perdidit, totum perdidit Domine DEUS. Si hoc triplici funiculo ligaveris animam tuam, intelliges & animadvertes, quia initium salutis notitia.

Alia Confirmatio dictorum De cognitione multiplicis & summæ indignitatis ac miseriæ ex P. Eusebio Nierenbergio Soc: JESU in Libris de Adoratione in Spiritu & veritate.

Punctum Primum,

PRæfatus Author nitidissimo sermone, solidissimo argumento convincit animum, devincit affectum, ad sui exactissimam cognitionem & abyssalem humiliationem dicens: Superbus adhuc eris, si te putes pulverem, & cinerem, cùm nihil sis nisi mendacium & peccatum. Nihil boni habes, cur extolleris contra DEUM? multa mala habes; cur non erubescis etiam coram hominibus? Omnia mala habere potes; cur non contremiscis ubique & semper? Omnia mala facere potes, cur non formidas te? Ipsa essentia tui, non est tua, nisi DEI. Imò id quod habebas, antequam esses, tuum non erat: habebas tunc merum nihilum, quòd poterat esse, hoc ipsum non ex te habebas, sed ex

DEO: qui si non esset, tu non posses esse. Quid te magnum putas, cùm ipsum, quòd nihil eras, antequam creareris, non erat ex te? Ideo plus quàm te debes DEO; nam debes etiam, cùm nihil eras, posse esse.

Creatus fuisti: dic, quod membrum arbitrio tuo fuit factum, aut cui articulo alicujus digiti lutum posuisti, aut ministrâsti materiam ad eum formandum, aut quâ prece tua impetrâsti creari à DEO, & eligi inter infinitas naturas, & individua meliora, quæ in suo nihilo relicta sunt? Quâ diligentiâ tuâ effecisti, nè formareris coecus, mutilus, amens, barbarus? Gloriaris de ingenio, de integritate corporis, de nobilitate generis? utique id licet, si monitus DEUS à te, id fecit. Dices: Non glorior me creatum esse, sed talem esse, industrium, ingeniosum, morigerum. Dic quæso, si consilium non dedisti DEO, ut te crearet, an consuluisti, ut te crearet ingeniosum & talem? Si non monuisti DEUM, ut tibi daret meliorem mentem, cur gloriaris de sublimitate illius? An tu elegisti mentem, & astutiâ tuâ scrutinia fecisti inter illam infinitarum rerum multitudinem, quæ creari possent, ut extraheres animum præstantiorem? Non, inquies, glorior de naturæ dotibus; sed de officiis virtutis, quam secutus sum, cùm alii pessimi contemnant, glorior meliorem me illis esse, & virum bonum, glorior satisfecisse muneri meo. Imò pudeat vix semel satisfecisse & millies corrupisse. O inique distributor! deteriorem partem tribuis DEO. Te esse tribuis DEO, & arrogas tibi bonum esse: plus est bonum esse, quàm esse: cur illud tibi usurpas, cùm in eo, quod est minus, nullam potueris partem ponere? Plus distat inter bonum esse, & hominem esse, quàm inter hominem & nihilum. Ex nihilo te potuit DEUS facere hominem, imperando, agendo, & vivendo; sed ex homine non fecit bonum, nisi serviendo, patiendo, & moriendo. Injustissimè partiris, tribuens DEO naturam, & tibi gratiam.

Neminem vidi superbire, ex eo quòd sit; & ferè omnes quòd boni & meliores sint; cùm potiùs liceret arrogantia illa: nam plus habuisses (si habuisses aliquid) cùm nihil eras, ut esses: quàm postquam fuisti, ut esses bonus, & justus: nam ad creationem, solùm non adjuvimus, sed ad justificationem insuper impedivimus.

divimus. O patientissima Veritas DEI! quomodo toleras mendacem arrogantiam nostram, nisi quòd ridicula sit, dum ejus rei auctores nos præsumimus, cui maximè resistimus, & destruimus? Si tam modesti sumus contra ea, quæ sunt in suo nihilo relicta, ut adversus illa non gloriemur quòd simus; cur inverecundi adversus DEUM gloriabimur, quòd boni simus? & adversus alios homines, quòd meliores simus? Cur superbis ô anima de eo, in quo maximè verecundari deberes? Quòd nihil fuisti, nihil est quod pudeat, sufficit non superbias; non est enim ulla ignominia: at quòd impedimento fuisti DEO peccatis tuis, multùm abundat, ut profundissimâ confusione erubescas.

A quo accepisti esse, accipies bene esse. Quemadmodum nihil fuisti, ut esses: ita creatus nihil fuisti, ut esses bonus. Si nihil ad naturam; ita nihil ad gratiam, ex te ipso solum, & à te ipso habes. Imò licet nihil fecisti ut esses: nihil malè fecisti, nè esses: at ut esses bonus, nihil ex te fecisti; & nè esses bonus, multa malè fecisti.

Natura humana, etiamsi illâ integritate & excellentiâ, in qua creata est, maneret, non servaret se, ex se, nisi ex DEO. Quare si gratiam, quam accepit, non posset ex se servare, quomodo quam perdidit, poterit reparare, & de acquisitione gloriari? Memento infamiæ & corruptionis naturæ nostræ post peccatum. Si cùm sana & honorabilis erat, nihil ex se poterat, langvens & contemptibilis quid poterit? Vas non gloriatur ante artificem de forma & usu, cùm posset de materia, quam non fecit ille; tu ante DEUM nihil habes, quòd glorieris, adhuc ex nihilo factus; cur de forma & bono usu gloriaris, qui de abusu erubescere potes, & de materia nequis gloriari, quia ex nihilo es? Non habes, unde bonum aliquid habeas, quia ex nihilo nihil fit, ut ex causa. Si nihil ex te es, nihil ex te potes, nihil ex te operaberis: nam operari sequiur esse. Si nihil ex te es, nihil potes, nihil operaris; quantò minùs aliquid bonum? Si quod nihil ex se est, nihil ex se habet, aut potest, solùm ex se potest, & habebit peccatum, quòd defectus, & nihil est, & nihilo ipso deterius & minus. Oculus ex se potens est ad tenebras, & ad non videndum; sed ad visionem nihil potest sine adjutorio lucis.

Quòd est supra naturam, & supra te, nempe abnegare ipsam naturam, & te ipsum, non potest esse ex te, & natura, sed à DEO; qui est superior te, & naturâ. Si non credis rationi, crede fidei; nihil es, nisi mendacium & peccatum: perditio tua ex te tantummodo. Non idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est. Si non possumus cogitare aliquid, quomodo exequi bona opera? Ferri potest, quòd videaris stultus; sed non suaderi possum, quòd velis esse hæreticus; quæso cur despicis mundum, & aliquem æternorum amorem jam habes? quia expertus es inconstantiam temporalium, & vidisti inopinabiles calamitates & mortes locupletum & potentum, & similia; an tu fuisti, qui ita providisti res, vel DEUS? an providisti Regis illius, aut potentis hominis mortem, & tu commovereris perspectâ instabilitate rerum? Præterea hæc eadem publica & nota aliis sunt, cur cæteri non ut tu commoventur ad contemptum mundi? cur, cùm alius est motus, alius in peccatis persistit? Aliquam simul causam Divinam hujus differentiæ debes fateri, quæ solùm in nobis, & ex nobis non sit. Forsitan perinde quasi ex te esset, gloriaris, quòd tu movearis, non alii. Dic, quæso, quoties similes casus & efficaciores contigerunt, & non commotus fuisti? Igitur quòd modò convertaris, non venit solùm ex te, sed ab arcana aliqua & provida virtute, solicitudine & amore ejus, qui noluit, ut ampliùs morareris in tuo errore, & ad agnitionem veritatis suaviter te excitavit, & taliter disposuit omnia, ut noverat te inde commovendum. Respondebis, ideo nunc te commotum esse, non antea; quia abfuit, aut mortuus fuit pessimus amicus, cujus societate pertrahebaris ad vetustos & pessimos mores, aut præteriit occasio peccato opportuna. An fortè ex hoc præsumes? Fuitne in manu tua mors, vel absentia iniqui socii, vel opportunitas hæc? anne potius DEUS fuit, qui ita disposuit, & insuper præparavit tibi bonorum societatem & exemplum, ut ejus imitatione permovereris?

Similiter quidquid boni habes, & facis, aut si quo malo cares & abstines; est, quia DEUS, pro tua utilitate res disponens, impedimenta removit, & incitamenta boni opportunè proposuit; & insuper ad plurima supernaturales habitus aut auxilia infudit,

quæ

quæ excedunt omnem facultatem naturæ. Quam partem ad hæc tu habes? si non invenis; quanta insolentia est, tibi tribuere totum? Aut gratiam DEI debes agnoscere, & nihilitatem tuam, aut DEUM cum Epicuro relegare, & privare mundi gubernatione, nullam illi providentiam tui relinquendo. O Sapientissima DEI Veritas! miserere, miserere mei amentissimi, qui magis & magis delirabo, quàm ille Philosophus, nunquam tantopere ineptiens, ut diceret se providere res; nam faceret se meliorem DEO: verùm qui præsumit de se in opere honesto, præterquam quòd DEO tollit providentiam rerum, sibi est necesse ut illam usurpet; quoniam si aliter occurrerent res, non opus honestum, sed vitiosum faceret: & licèt casu aut fato res acciderent, non esset cur sibi aliquid attribueret.

Qui in bono naturæ sibi plaudit solùm, negat se à EEO creatum: at qui in bono virtutis gloriatur, negat omnem mundum, & universas res à DEO creatas, dispositas, provisas in bonum nostrum: in illo adimit DEO dominium totius universi: in illo adimit omnipotentiam DEO; in hoc etiam sapientiam & bonitatem, negans sapientissimè ita provisum à benevolo & amantissimo Patre pro nostra salute & bono. Quid dicam in iis virtutibus, quæ super omnem naturam sunt, & in altissimo ordine proportionem quandam cum DEO habent, & velut in gradu Divino Deos, ut sic dicam, nos faciunt, aut supponunt per participationem altissimam naturæ Divinæ, & in iis, quæ DEUM proximè contingunt, fide, spe, charitate? De quibus, si quis præsumat, opus est, ut neget DEUM esse superiorem naturæ, aut ex se putet se esse æqualem, vel superiorem DEO.

Punctum Secundum.

Quod se debeat homo, non tantùm sentire nihil, verùm etiam maximum peccatorem,

MAgna portio humilitatis deest tibi, si putes solùm nihil boni ex te habere; oportet ut judices etiam pessimum te esse. Primum peccatorem se dixit Sanctus Paulus, nec potuit mentiri os illud Spiritûs Sancti: an tu fortasse meliorem te putabis tanto Apostolo; & esse exaggerationem, aut modestiam, te appellare ma-

maximum sceleratorum? Seriò te judica primum inter peccatores, & ultimum creaturarum, quia nulli te debes præferre: Nullus minùs quàm tu habuit, ut misericordiam DEI flecteret: ne putes esse modestiã sentire hoc; nam nihil tui bonum præcessisse, est fides Divina. Non est fundamentum, ut alium putes fore minùs gratum, semel adhuc consecutum misericordiam, & beneficia DEI, quibus tecum est usus: nec tam temerè de alio judicare licet, qui ferè debes censere impossibilem esse majorem ingratitudinem, quàm in te patentissimè agnoscis. Si verè doleres de peccatis, id seriò putares. Qui acutissimo dolore torquetur, non putat similem alium dolorem esse, nec putat alios ita cruciari: affectio ad se inclinat judicium. Si aliquis amor humilitatis esset, facilè judicares te omnium pessimum. Superbus meliorem se omnibus præsumit ex amore exaltationis; & quia aliorum eminentias non considerat, sed defectus: tu, si humilis esses, pejorem cunctis te putares; tuos defectus videres, non alienos; nisi solas virtutes.

O Majestas summæ Veritatis, quid opus est interpretatione? Fateor coram Angelis tuis, hominibus, & spiritibus malignis, sine ulla tergiversatione, me esse omnium creaturarum viliorem. Dignitas moralis rationalis creaturæ, quæ est verè ejus laus, pretium & valor, constat ex cognitione & advertentia obligationis suæ, & operatione juxta illam: hæc in nemine majori fũt vitiata abusu, quàm in me. Licet plures Viri Sancti majorem lucem habuerint, & aliqui homines in numero exteriorum peccatorum re ipsâ fortè excessissent, sed hæc copula, plus peccâsse, & neglexisse majores obligationes suas, cum cognitione illarum, admonitione conscientiæ, & inspirationibus cæli; in nullo, ut in me, invenitur. Si aliquis plura, quàm ego peccata forsan fecerit, minores inspirationes accepit, & obligationes pauciores habuit: si aliquis magis admonitus, & obligatus à DEO fuit, minùs peccavit, & magis respondit: si fortè, quod non possum credere, aliqua creatura fuit, quæ plus peccaverit, & majorem cognitionem officii sui habuerit, adhuc non puto eum deteriorem me fore; quia non est cognitura, nec habitura majores obligationes: & quamvis alius majores obligationes haberet re ipsâ, ego id non puto:

puto: officia autē virtutis, ex conſcientia ponderanda ſunt; cùmq; ego putem me plus omnibus teneri ad ſerviendum DEO, & minùs ſerviam, omnium ingratisſimus & vilisſimus ero. Antichriſti peccata licèt excesſiſſent numero, non excedet ejus cognitio, illuſtratio, & obligatio: nam non toties remisſionem peccatorum conſequetur, ut ego; nec tam efficacibus & inſtantibus beneficiis & inſpirationibus ſolicitabitur, nec ab occaſionibus peccandi præſervabitur. Lucifer, licèt majorem à DEO lucem habuerit, nonniſi propter unicum peccatum damnatus fuit, nec habuit obligationes, quas ego: non pro illo factus eſt Filius DEI Angelus, non fudit ſangvinem ſuum. Judam quoque necdum Chriſtus obligaverat, ut obligavit me, nondum mortuus erat. O humilis & mitis Immenſitas DEI! quomodo me toleras, quia non confundor, & abſorbeor in profundum ignominiæ meæ? Nè quæſo alicui me præferam, cùm non inveniam fundamentum ad ſuſpicandum alium eſſe deteriorem.

Majoris peccatoris ſcelera numero finita ſunt: quomodo illi ego non ſubjicior, qui in infinitum peccare poſſum, & efficaciam in me habeo, ut totum mundum inficiam? Nam iniquisſimus ſum poſt tot beneficia, exceſſum DEI amoris, inſpirationes Divinas: quid ſi DEUS meam malitiam non cohibuiſſet ſuâ gratiâ in me, & in aliis? Singulis peccatis aptior factus ſum in dies, ut pejùs corrumpam me, & univerſos. Si unum peccatum Adami tot infecit innocentes poſteros, ſi unum peccatum Achan totum Iſrael reum fecit vindictæ Divinæ; quid facient mihi peccatori infinita ſcelera? Neſcio, ſpiritus infirme, quomodo non deficis, conſiderans exiguitatem tuam, & deinde magnam multitudinem culparum tuarum, ſi componas hæc cum immenſitate DEI, cum multitudine beneficiorum ejus, cum magnitudine operum Redemptionis Chriſti, cum indicibili dilectione & fidelitate ejus erga te; præ qua parva videbantur opera ſtupenda, quæ pro te fecit, & à quo ſolùm quaſi coactus eſt, illa facere. Sed adhuc nihil eſt, quidquid de vilitate & infamia tua comprehendi poteſt, & longè infra rei veritatem manet: imò puta nihil; nam in infinitum viliorem te invenires, ſi à DEO illuſtrareris. O pretioſisſima Veritas, ſi ita eſt, quomodo non me deſpicio, dedignor, aſpernor;

ſpernor; ut neſciam quid de me cogitare, & facere poſſim? Miror me non ſtudere revereri plùs DEUM, ſtupeo non magis me contemni deſiderare.

Unum ſolùm delictum, eum, qui committit, facit infamem, etiam apud homines peccatores, qui neſciunt penetrare malitiam peccati, nec odium dignum illius habent: quomodo tot mea peccata & negligentiæ coram ſanctitate DEI, Angelis puris, & Beatis glorioſis, me deformabunt, & dehoneſtabunt? Nam licet ſperem plura dimiſſa eſſe per miſericordiam DEI, quod ſemel fui, ex me ſemper ſum; nec magis ex me ero. Si ſemel in me fuit, unde vilem me putarem, cur non ſemper? Nam ex me nunquam plus boni habeo: potiùs pudor debet creſcere, & humilitas de peccatis præteritis, quò magìs acceperim miſericordias Divinas; cùm experientiâ didicerim, mè contempſiſſe tam bonum erga me Dominum, & modo ingratum permanere. O Spiritus viliſſime, quomodo cum tanta ingratitudine non te putas indignum omni gratiâ DEI? quomodo audes ullam gratiam petere? quomodo, ſi tibi à DEO, ultrò conceſſa eſt ſine poſtulatione tua, non contremiſcis, ut ferè dubites, quid melius foret; carere DEI dono, quàm exponi iterum periculo abutendi, quòd toties contempſiſti? Sed in ſpe, Domine, miſericordiæ tuæ, volo eſſe audax & temerarius, imò importunus toti curiæ cæleſti, oſtentans vilitatem & ulcera mea; nec ceſſabo clamare ad omnes & ſingulos Beatos, donec moleſtiſſimus ſim, & ſaltem propter improbitatem, cùm alium titulum bonum ex me non habeam, conſequar majorem gratiam & miſericordiam IESU, ne me deſerat, quòd deſeram gratias ejus.

Punctum Tertium,

Quid ſit nihilum ſe dicere, & maximum peccatorem,

ALios ſeduces, dicendo te nihil eſſe, & maximum peccatorem, ſi non ſentias: ſed te decipies, ſi id ſentias, & non conformiter opereris, & conſequenter te tractes & habeas. Quid putas eſt, nihilum eſſe? Perinde nihil de te ſolicitari, ut gloriam DEI quæras, ac ſolicitaris de iis, quæ non ſunt, derelinquendo ſe penitus,

nitus, & exinaniendo in omni patientia. An fortè impatiens esses contra eum, qui aërem verberaret, aut iracundus adversus illum, qui extra mundum in vacuo spatii imaginarii positus, in nihilum illud inane, ictus mitteret, & objurgaret? Sic tu si nihilum te putas, & vacuus tui es; inquantum potes, non debes commoveri ob quascunque injurias: alioqui jam esse te aliquid existimabis. Tuam reputationem, & commoditatem quærere, cùm te dicas nihil esse, perinde erit ridiculum & otiosum; ac si nimiùm anxius esses, quomodo honoraretur, & fortunaretur homo, qui nondum creatus est, nec esset creandus. Quare ita debes affici erga te, & tua, acsi non esses creatus.

At dum te nihil verè, & seriò æstimas, mirificè te purgabis, ad munera DEI, & ipsum DEUM sine impedimento suscipiendum. Natura non suffert vacuum; nec DEUS patitur manere humilem vacuum, quin statim ipse impleat. DEUS, ut fieret homo, exinanivit se: nonne ut homo fiat DEUS, unus spiritus cum DEO, debet exinaniri? Exinanitio tui erit, te semper æstimare, & curare tua, acsi merum nihil esses, nullam circa te cogitationem insultare, quæ sapiat aliquid tui, & terrenum; denudare te pravis affectibus & habitibus ut nihil tui habeas, velut si recens à DEO creatus esses è nihilo. DEUS se exinanivit pro te, gerendo se acsi non esset, tuam salutem duntaxat curans; velut si tu esses: tu ita cura Divina, quoad possis, acsi DEUS esses. Debes exinaniri summo modo, & distare à te ferè infinito modo, plus quàm si non esses: quod fiet, si fias aliud per gratiam & amorem, transiens à te ad DEUM, qui infinitè distat à nihilo, & ab omni essentia. Duæ sunt gloriæ Divinæ voluntatis, amor & potentia: sed potentior videtur quodammodo amor, quàm ipsa omnipotentia, quæ te potest reducere in nihilum, non verò quomodolibet te facere, ut sis aliud, neque ut natura hominis, sit natura Angeli, in quo magis distares à te, quàm si fieres nihilum: sed amatus à DEO, & redamans DEUM, absumpto omni affectu proprio, humiliatâ voluntate suâ & annihilatâ, velut fit DEUS indutus beneplacito Divino; nam licèt in sua essentia maneat, non manet in affectu erga se, sed conformis voluntati DEI, tam longinqvus à se dissidens, ac si aliud esset. Homines non capiunt dolorem de alienis

lienis vulneribus, nec sentiunt contumeliam de convitiis conjectis in alios: sic erga te, velut alienum, quoad possis, pro gloria Divina non afficiaris ægrè tua contemptione.

Tum si te putas maximum peccatorem, consequenter omnia adversa & infortunia, quæ aliis etiam accidunt, debes credere fuisse ob tua peccata & negligentias. Quidquid afflictionis DEUS immittit, est pro peccatis, in pœnam illorum & remedium; atque in hac vita, aliorum peccata in aliis quoque curat & punit. Igitur pro culpis meis, cùm sim maximus peccatorum, omnia mala accident: cùm pro peccatis accidant, cur pro peccatis aliorum, & non pro illis, quæ sunt iniquioris? Prælia, pestes, fames, pœnæ sunt meorum scelerum, & remedia: omnia sunt beneficia mea, & supplicia mea: in cunctis exercetur circa me misericordia Divina atque iustitia: ubique pro me justitia & pax osculatæ sunt, misericordia & veritas obviaverunt sibi; ut ubique Domine, & in omnibus te timeam, amem, confundar de mea malitia, & sperem de tua bonitate. Non miror tot calamitatibus afflictari mundum, siquidem me alit: ego velut Jonas sum causa hujus naufragii & ærumnæ multorum. Propter unum peccatum Achan percussus fuit populus DEI innocens: pejor sum ego; cur non præsumam propter me affligi multos innocentes communibus plagis? Ego anathema in medio tui sum, Israel; ego sufficio prophanare mundum. Ego tam impudens sum, ut cùm sim major peccator omnium, non faciam majorem omnium satisfactionem pro me, & pro aliis quos audio affligi, cùm eorum ærumnæ me credam esse causam. Omnibus injuriam feci meis peccatis, omnibus debitor sum, & omnium pœnarum & humiliationis reus.

Punctum Quartum.

Actus veræ Pœnitentiæ, & humilitatis.

TRansfer, transfer à me peccata mea O Pater amantissime qui in cœlis es. Sic te invocare audeo, consensu & doctrinâ amantissimi tui Filii JESU, ut te distingvam ab eo patre, quem in inferis elegi sceleribus meis, quibus malui esse filius diaboli, & fui diu. Facio tibi palam peccata mea immania, & innu-

mera,

mera, quæ, si possem, illa potiùs occultarem, & obliterarem sangvine cordis mei, nè vultus tuus læderetur horrendis spectaculis. Sed quia nec omnium hominum, nec animalium sangvis unum solum occultare & delere potest, ostendo tibi, ut unâ guttâ sangvinis dilecti Filii tui JESU penitus aboleas. Ostendo tibi quæ peccaverim in te: nam non minuit malitia mea bonitatem tuam. Post malignitatem meam, & innumera scelera, manes ô Pater, bonus; si ergo malus & pessimus ego perhorresco, & nollem videre crimina mea, tu bonus & optimus, quomodo poteris ferre talia spectra, quin aboleas & destruas? Plùs tu bonus odisti peccata mea, quàm ego pessimus nunc odi, & antea amavi. Tentavi flumine lachrymarum abluere illa: sed nonnisi cruor amati mei JESU, lixivium peccatorum est. In inferno nequitiæ meæ sum; non guttam aquæ, ut ille dives à Patre Abraham, sed guttam sangvinis Christi postulo à Patre misericordiarum ego dives & locupletissimus omni iniquitate. Hac meâ petitione nolo fraudare Justitiam tuam, sed solùm nolo offendere bonitatem tuam. Ut abluas culpas magìs precor, quàm quòd remittas pœnas.

O Pater cœlestis, perinde exosculor & amo justitiam tuam erga me, sicut misericordiam tuam: non tam precor indulgentiam pœnæ, quàm culpæ veniam. Opto summopere, & ex toto corde, omnium creaturarum desideria in unum cogere: & vellem omnia simul desiderare, ut vindicet justitia tua peccata mea. Omnium dœmonum & hominum pœnas infernales in me unum susciperem libentiùs, nec terrerent illæ, ut non terreret me facies tua. Majus malum est, peccatum meum, quàm illæ; imò non est comparatio, quia solum peccatum meum malum est, illæ bonæ sunt, quia tu infligis. Atque si haberem illas, non me facerent ex eo magìs malum, temperatâ & immixtâ malitiâ meâ cum bono illarum, nec haberem malitiam meram à me, sed cùm aliquo bono à te ex justitia tua.

Sed O Pater misericors, vereor, nè dum cupio humiliter detestari peccatum, denuò superbè peccem, optarem descendere in infernum, si fieri posset, ut simul gratiam tuam obtinerem. Quomodo ergo plenus peccatis audes optare, quod Sancti tui a-

mici optaverunt? Quomodo ego ſolum infernum deſiderabo, qui ſolus peccator peccatorum ſum? Quis locus inferni mihi erit? An in profundisſimo ad pedes Luciferi? Si hanc jam optavit ſedem aliquis amicus tuus, quomodo auſim ego? Locus eſt ille concupitus à ſanctis tuis, & gradus ad cœlum alicui fuit. Servus tuus ex Dominicana familia Frater Urigman, cùm nullum ſibi locum congruum reperire putaret, niſi in profundisſimo inferni ſubipſo Lucifero, audivit vocem è ſupremo cœlo delapſam, invitantem,: Citò huc aſcende ad thronum altisſimum, in cor DEI Patris: quomodo ego illum locum audeo appetere? Quid ergo? Erit alius locus infra omnes mihi peccatori ſuper omnes? An ad pedes Judæ? ſed hunc locum ſibi arrogavit jam alius ſervus tuus, Beatus Franciſcus Borgia, qui & decesſit illo loco, cùm attendiſſet à Domino meo JESU humillimo occupatum aliquando. Quis locus mihi reſtat? An ſub pedes ejus qui alapam IESU dedit, cùm ſæpius ego colaphum impegerim? An ſub pedes Caiphæ, cùm quotidie damnaverim ego Chriſtum ejusque doctrinam? An ad januam inferi, ut omnes introeuntes me peſſumdent? An expectabo præcipitium Antichriſti in barathrum infernale, ut ſubter ejus pedes patiar? O benignisſime Domine, pejor & pesſimus omnium peccatorum ſum ego, non mihi locus eſt in inferno, quia indignus omni loco ſum. Indignum me accuſo, etiam ſocietate dæmonum, ut mihi ſoli infernus vilior, & atrocior præparandus eſſet. Ego ſum opprobrium naturæ, pudor generis humani. Si in te Pater verecundia cadere poſſet, nullius rei te puderet, niſi quòd tam horrificum & abominabile monſtrum conſerves in mundo, ut meæ culpæ me fecerunt.

Quin & ipſis dæmonibus dedecori ſum, & à ſua ſocietate infernali meritò me repellerent. Nonne pejor ſum dæmonibus? In natura apertum eſt: in moribus etiam fateor. Non video plura in me propter quæ id concedam. Siquidem damnatio dæmonum unicum peccatum cogitationis fuit: mea verò ſunt infinita peccatorum gravisſimorum opera. Quæ diſtantia erit à malitia eorum ad meam? quæ eſt ab unitate ad numerum innumerum. Sed mutentur conditiones adhuc: majorem nequi-

tiam

tiam meam agnoſco, etſi dæmones propter innumera peccata damnati fuiſſent, & ego unum ſolùm haberem: nam dæmones non peccârunt contra Deum, qui propter ipſos Angelus factus eſt, non experti erant tantam bonitatem DEI: non peccârunt contra Deum, qui pro ipſis crucifixus fuit; non peccârunt contra DEUM, qui ſe ipſis dedit in cibum: non peccârunt contra DEUM, qui tam ſublime Sacerdotium illis reliquit; non peccârunt contra DEUM, qui exemplo ſuo eis dedit documenta benè vivendi, qui per 30. & tres annos continuis laboribus eos docuit. At ego peccavi (proh anima mea! quomodo non liqueſis, cùm tale cogitas?) contra DEUM, toties optimum mihi, qui pro me mortuus eſt, qui mea peccata in cruce lachrymatus eſt cum clamore valido, & in horto guttis ſanguinis luxerunt ſinguli artus ejus meas ſingulas culpas. Ego indignior ſum Lucifero, indignior dæmonibus, indignior Judâ, qui nondum viderat IEſUM pro ſe mortuum; indignior Antichriſto, qui non toties experietur tantam miſericordiam DEI, ut ego: meritò igitur dedignari poſſunt mei contubernium, neque infernus dignus me eſt, nec tantam iniquitatem meam capere valet.

Plus quàm infernum hunc mereor: mereor eſſe extra omnem naturam, nè inhonorem illam, qui dedecoravi decus ſuum: occidi quoad in me fuit Patrem ejus: abſtuli coronam creaturarum de capite ſuo; contemnendo Authorem, ſingulas creaturas inhonoravi: ideo deberem eſſe ſcopus odii omnium, & gaudere meâ annihilatione poſſent. Fortaſſe hoc peterem, ſi ſimul fieri potuiſſet, quòd ego dedecus naturæ, injuria gratiæ, irriſio Divinæ voluntatis non fuiſſem: tamen quia mereor torqueri, quem locum inveniam?

Tu O Potentia infinita! ô Sapientia incomprehenſibilis! ô Iuſtitia immenſa, quærere potes, quid de me agas. Interim dum locus invenitur, & præparatur, expecto non ſub Sathana, non ad pedes Iudæ, nec interim occupabo locum Antichriſti, quibus locis adhuc me indignum fateor: ſed ad pedes Filii DEI, & Matris ejus ſtantis & lachrymantis ad pedem crucis mei IESU; qui majorem patientiam habent, & tolerabunt me, quem non tolerarent Sathanas, nec Iudas, nec Concilium damna-

torum. Parcas quæso, si abutar patientiâ Filii tui, & Virginis ejus Matris. Ad pedes IESU & MARIÆ jaceam; noscunt jam hæ plantæ calcare venenata. Ego sum chimæra illa virulenta & ferina, & quadriformis deformitas, & monstrum multiplex; oculos basilisci habens; caput aspidis, ungues leonis, & immanitatem draconis. Sed ô Pater misericordiæ, quia super me aspidem & basiliscum non potest modò ambulare IESUS meus, nec conculcare hunc leonem & draconem; fixos suos pedes mea peccata tenent; conterat interim malitiam meam planta Beatissimæ MARIÆ meæ Matris, conterat misericordi intercessione suâ, hujus serpentis caput. Ego sum causa doloris ejus, & reus suarum lachrymarum: de me conqueri jurè potest, & in me sævire. Assueti sunt etiam monstra peccatorum tolerare, & tollere pedes purissimi IESU. Non quæro illos inter epulas & delicias ut Magdalena; sed inter clavos, cruces, dolores: & quia rigare illos lachrymis nequeo, cupio illorum cruore ablui. Non irretiam capillis illos pedes, quos video, ne fugiat Dominus meus horrorem & fœtorem mei peccati: implexos ferro acutissimo video; officium meum fuit hoc. At si gratum fuit his pedibus beneficium à Magdalena factum, etiam jucundum fuit tormentum, quod ex meis peccatis occasionem habuit. Ego Domine confixi illos; plùs mea valuit in hoc malitia, quàm bonitas omnium creaturarum. Angeli dolent ac stupent; creaturæ tremunt, ac conqueruntur: repugnat omnis lex, reclamat omne jus, solùm peccata mea mortem Unigeniti Filii tui postulârunt & patrârunt. Palam hoc obtestor, si fortè hoc modo includar in oratione IESU. Ipse, ipse oravit pro crucifigentibus se. Ecce adsum, ego fui crucifixor, & carnifex præcipuus: ego carnificum manus armavi, & imposui malleum in dextera, & clavum in sinistra. Ego primus impuli manum, ut transfoderentur tenerrimi pedes. O quantum majus peccatum meum, quàm carnificum; qui Pilati sententiam, & Judæorum voluntatem impleverunt! Illi crucifixerunt jussi, quem putabant hominem & malefactorem, & toto vultu deformem ex calamitosa illa nocte. Ego crucifixi illum denuò jam gloriosum, qui pro me jam crucifixus erat. Quis Iudæorum videns Christum, ut vidit S. Stephanus ad dexteram

DEI

DEI, auderet tollere illam vocem : Crucifige, crucifige? At ego ausus sum, non dicere modò sed plùs quàm facere. Ego purgo & excuso carnifices Christi: illi in die extremo confundentur videntes gloriosum, quem confixerunt; ego videns gloriosum crucifixum pro me, non confusus sum, sed iterum crucifixi: quam ergo excusationem ego habebo?

O Pater quoties hujus memini, considerans tuam infinitam misericordiam, quâ tantam meam ingratitudinem sustinuisti, non possum non optare mihi tuam justitiam, nequeo recusare inferni pœnas meæ iniquitati debitas, dum tamen culpa deleta esset. Eritne infirmior Divinus amor, quàm humanus? debilior charitas, quàm concupiscentia? Levior amor tui, quàm amor mei? Si amor mei contemnere DEUM potuit; amor DEI cur non poterit me penitus contemnere, & humiliare usque ad inferos? Iterum, iterum exosculor justitiam tuam: puni, & ulciscere in me tuas offensiones: nam qui temeravi omnia attributa, ut destruerem quantùm in me est per peccatum, nunc talem remissionem & pœnitentiam vellem, ut restituantur omnia, & integra maneant. Manebunt Domine, si per misericordiam tuam, mihi tuam gratiam dederis, & per justitiam pœnam meam. Servi tui Moyses, & Paulus, anathema pro fratribus suis voluerunt esse: ego pro DEO meo, pro justitia DEI mei, anathema & maledictum volo esse, ut Christus JESUS fuit pro me. Coriarius ille Alexandrinus optabat reliquis paradisum, se solum dicens inferni cruciatus ingressurum, & Magni Antonii superavit perfectionem. Sancta Christina potiùs, quàm cœlum, elegit maximos cruciatus pro animabus. Ego, ut salva sit justitia DEI, quam violavi, cruciatus inferni non debeo rejicere. O si imitarer JESUM, qui cùm inseparabilis à Patre sit, descendit ad miseriam nostram, ut maledictum esset: ego quoque vellem inseparabilis charitati tuæ fieri maledictum, fieri anathema usque ad infernum; etiam ibi amplexarer JESUM meum. Duo sunt mihi brachia; unum est humilitatis, quod illi supponerem, & sacratissimæ suæ Humanitati unirer; alterum dexterum est amoris, per quod Divinitatem circumplecterer. Eja Pater ad pedes JESU, per ipsum JESUM precor, deleas fœditatem mei peccati: per illum

lum ipsum à te impetrabo ut ignoſcas, per quem tu non impetrâſti, ut non te offenderem. Major eſt tua bonitas; quàm mea malitia: valet tamen potiùs crucifixus Chriſtus flectere & inclinare bonitatem tuam; & non prævaluit apud me flectere, & declinare malitiam meam. *Hactenus Nierenbergius.*

Punctum Quintum.

PAter *Thobias Lohner in Bibliotheca manuali, titulo Humilitas* proponit quæſtionem dicens: Quomodo quis cum veritate ſe omnium infimum & maximum peccatorem reputare poſſit? Reſp. Variè hoc explicari ab Aſcetis, nempe, ut vel quis cogitet, poſſe eſſe aliquid occultum, quo alius nos ſuperet (quemadmodum S. Auguſtinus tradit.) Vel, ut propter dona, quæ alius actu poſſidet, & ipſi deſunt, alium anteponat (quomodo S. Gregorius hanc difficultatem explicat.) Vel, ut perſuadeat ſibi, quemvis ſceleratum hominem, multò majorem gratitudinem DEO exhibiturum, fideliùſque ſerviturum fuiſſe, ſi tantâ eum miſericordiâ fuiſſet proſecutus (quemadmodum S. Franciſcus inſinuavit, & P. Iacobus Alvarez convenientiorem cœteris putat.) Vel, ut ſua peccata conferat cum DEI donis, quæ ſunt in altero (uti S. Thomas, & S. Anſelmus fecerunt) Vel, ut cogitet alia eſſe judicia DEI & hominum; ideoque illud S. Pauli dicat: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; quia neſcit homo, an amore, an odio dignus ſit (& hic modus Sancto Bernardo aptior eſt viſus.) Vel, ut propter Scripturæ ſacræ authoritatem, ſervum ſe inutilem, atque aliis longè minorem judicet, non multùm diſputans, quomodo cum veritate id dicere poſſit, quomodo Lancizius hanc quæſtionem ſolvi poſſe exiſtimavit. *Hucusq; P. Lohner.*

S. Auguſt. S. 21. de verb. Apoſt. S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Vit. l. 6. Tom. 2. lib. 4. p. 3. c. 5. S. Thom. q. 161. a. 3. S. Anſelm. lib. de ſim. c. 109. S. Bern. ſerm. 37. in Cant. Opuſ. 8. c. 4.

Vit S. Magd: de Paz.

De Sancta Magdalena Pazziana ſcribitur, quòd etſi Monialibus impoſſibile videretur, ut in rei veritate adeò de ſe ipſa S. Magdalena de Paz viliter ſentiret propter magnas virtutes, quas in ipſa advertebant: tamen cùm interrogaretur ſemel; an pro illo tempore, cùm diceret ſe timere, nè viva à terra abſorberetur; ita cenſeret in corde, reſpondit: Verè ita cenſeo, & habeo hujus rationem. Nam quòd facta ſim libera à mortalibus peccatis, quæ deſtruunt gratiam Divinam; factum eſt ideo, quòd DEUS mihi

mihi ademerit occasionem, & servaverit me ab illis. Et si partitus fuisset aliis talia beneficia & modos ad faciendum benè, sicut mihi, nunquam illum sic offendissent ut ego; & multò constantiùs, ferventiùs, & cum majori gratiarum actione honorâssent illum, quàm ego. Igitur mereor propter meam ingratitudinem omnes pœnas & tormenta. Cùm verò hæc verba dixisset, protinus cadens in genua humiliter cœpit se accusare de suis præteritis tentationibus, ita ac si essent ei libera transgresio; tum posthæc dixit: Cernite an non habeam rationem ita sentiendi de me. Denique cùm enarraret modum quare judicaret se esse causam omnium imperfectionum, quæ fierent in Religione; ita inclamabat in suis devotionibus alienas deflens culpas: O si ego fuissem in orationibus fervens! ô si haberem collectum cor meum, & abstractum à rebus nullius frugi: vel si fecissem his similia opera; profectò aliter me DEUS illuminâsset, quod facere nequivit propter meos defectus. Unde habuissem plures modos ad impetrandam veniam animabus, nè essent in tam misero statu.

Et hæc de Cognitione conditionis propriæ, de primo & principali fundamento omnium cognitionum, omniumquè Virtutum (sine qua nec Humilitas, dicta fundamentum Virtutum potest haberi) sufficiant. Quomodo autem Cognitio sui est applicada ad praxim Humilitatis, aliásque Virtutes, sub iisdem *infra* vide.

Vide de Peccatis infra *c.* 2. *Sect.* 4. § 2. *&* 3. ubi ostensa infinitudo offensæ DEI in peccato mortali, meritò te in infinitam abyssum humiliationis propriæ dejicere deberet.

§. VIII.

De Memoria DEI, & salutem æternam concernentium.

In Schemate supra erecto *in Summa Theologiæ Spirit: cap*: 5. antepostuimus Memoriam DEI Lectioni, Meditationi, Contemplationi, propter rationem ibidem datam: hìc verò postponimus ex alio respectu: quia scilicet per Lectionem, Meditationem, Contemplationem comparatur Memoria DEI, & salutem æternam concernentium. Hæc ergo *Memoria DEI &c. apud Spirituales, est revocatio in mentem præsentiæ DEI, & ante cognitorum, ac volitorum, quæ pertinent ad suam proximque salutem, Cælitum ac DEI gloriam.*

Illicia ad continuandam Memoriam præsentiæ DEI, & re-

rum salutarium, hujusmodi sunt. 1mum. Quia delectabilis est DEI memoria. Hinc Psalmista ait: *Renuit consolari anima mea* (in creaturis) *memor fui DEI, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit Spiritus meus.* Et: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.*

Psalm. 76.

Psalm. 144.

S. August: Medit. c. 10.

2dum. *S. Augustinus* inquit: Nihil aliud agit DEUS, nisi ut saluti meæ provideat, & ideo totum ad mei custodiam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit: semper præsentem se mihi exhibet DEUS, semper paratum offert, quocunque me verto, me non deserit: ubicunque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit, & cunctis tandem actionibus meis perpetuus inspector, & quantùm ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit. *Idem*: DEUS unumquemque nostrum sic curat, quasi solum curet. *Hugo de S. Victore* dicit: Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur DEI bonitate & misericordiâ; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus, in quo de DEO non cogitas, hoc te reputa perdidisse. Et *S. Gregorius Nazian.* ait: Non tam sæpe respirare oportet, quàm meminisse DEI.

Hugo lib. 1. de Claust. animæ

S. Greg. Orat. de cura pauper.

3tium. Quia tali modo est cælestem & beatam agere in terris vitam. Angeli enim Sancti Custodes nostri in terra positi, *semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Et *Abbas Besarion* inquit: Monachus debet esse totus oculus, sicut Cherubim & Seraphim, qui semper intuentur DEUM præsentem, eum amant, & laudant. Hinc sequitur quod *Hesychius* inquit: Status Divinus nascitur in animo nostro ex continua DEI memoria, & assidua ejus invocatione.

Matth. 18.

Hesych. Cent. 1. c. 96.

4tum. *Ab exemplis* I. Coronatus Propheta de se ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Tum aliorum antiquorum Patrum hoc fuit vulgare: DEUS in cujus conspectu sto: & similia. II. Dixit *Abbas Allois*: Nisi dixerit homo in corde suo, ego solus, & DEUS sumus in hoc mundo, requiem non habebit. III. Iter agebat aliquando simul, Abbas Daniel, & Abbas Ammoys: dixit autem Abbas Ammoys: Putas aliquando & nos sedebimus in cella pater? Dixit ei Abbas Daniel: Quis enim aufert à nobis DEUM? Nam & foris DEUS est modò, & iterum in cella DEUS est.

Psalm. 15.

Ex vitis Patrum lib. 5. libello 11.

5tum. Quantùm ad memoriam Salutem æternam concernentium aliqua de Meditatione ſupra dicta huc ſerviunt. Addo breviter: *Princeps Apoſtolorum* excitat nos dicens: Veſtram excito in commonitione ſinceram mentem, ut memores ſitis eorum, quæ prædixi verborum à Sanctis Prophetis, & Apoſtolorum, veſtrorum præceptorum Domini & Salvatoris. *Caſſianus* ait: Hìc ergo nobis principalis debet eſſe conatus, hæc immobilis deſtinatio cordis jugiter affectanda, ut Divinis rebus, ac DEO mens ſemper inhæreat. Quidquid ab hac diverſum eſt, quamvis magnum, ſecundum tamen aut etiam infimum, aut certè noxium judicandum eſt. *Mellifluus Doctor:* Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt ſapiens, ſibi ſapiens erit, & bibet de fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſideratio, non ſolùm autem, ſed & in te finiatur. Quocunque evagetur, ad te revocaveris eam cum ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de ſummo omnium Patre, Verbum ſuum, & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua: quæ ſi procedit non recedat, ſic progrediatur, ut non egrediatur, ſic exeat, ut non deſerat. In acquiſitione ſalutis nemo tibi germanior unico matris tuæ. Contra ſalutem propriam cogites nihil. Minus dixi contra: præter dixiſſe debueram. Quidquid ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo, ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum. Exemplum Prophetæ dicentis: *Erravi ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.*

2. Pet. c. 3.

Caſſian. Collat. I. c. 8.

S. Bernard. lib. 2. de Conſid. c. 3.

Pſalm. 118.

6tum. S. Ephrem: Nihil pejus graviuſque eſt, quàm ipſius DEI oblivionem capere, continuâ enim DEI recordatione turpes animæ paſſiones recedunt, inſtar maleficorum Prætore accedente, unde & mundum Spiritûs Sancti habitaculum efficitur. Ubi verò memoria DEI abeſt, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omniſque res improba exercetur. *S. Diadochus:* Qui igitur vult cor ſuum purgare, ſemper illud recordatione Domini JESU inflammet, in eo ſolùm occupatus, & hoc tantùm ſine intermiſſione agens; non enim oportet quandòque quidem orare, quandòque verò non, eos qui volunt tabem ſuam abjicere, ſed potiùs dare ſemper operam orationi in cuſtodia mentis, tamet ſi extra orationem ſint Ut enim cùm quis vult aurum purgare, ſi paulis-

S. Ephrem lib. de virtute.

S. Diadochus de Perfect. c. 97.

pèr ignem in fornace cessare sinat, facit ut rursus materia auri, quæ purgatur, durescat: sic qui aliquando memor DEI est, aliquando non est, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio. Est autem ejus, qui studio virtutis tenetur, propriū, id quod est in corde terrenum, recordatione DEI consumere. Ut anima consumpto ad hunc modum vitio ab igne hujus bonæ recordationis, ad splendorem sibi naturalem (id est naturæ ad DEUM creatæ conformem) cum majori gloria perfectè redeat.

Praxis ad jugem Memoriam DEI & Divinorum obtinendam est. 1*mo.* Secundùm *D. Bonaventuram:* Memoria ut in DEUM intendere jugiter assuescat, eique inhæreat, quinque vias tenere, & frequentare addiscat, quæ sunt: *Lectio, Collatio, Meditatio de* DEO, *Oratio, & Contemplatio.* Lectio & Collatio bonæ, sunt quasi semina & materia meditationis. Unde qualia vis tibi meditanti, vel oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus, aut negotiis priùs occupare stude memoriā, quia qualis liquor vasi infūditur, taliter redolebit, & quales herbas in horto cordis tui plātaveris, talia semina germinabūt. Collatio Spiritualis instruit intellectum, affectum inflammat, memoriam bonæ & sāctæ cogitationis prole fœcūdat. Sicut è converso, otiosa fabulatio tempus perdit infructuosè, affectū infrigidat, inutiles cogitationes cordis inserit, cōsciētiam rodit, profectum spiritualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur, de qua postea non sit inutile in oratione cogitare, quæ illuminet ad DEI notitiam, accendat ad ejus amorem, mores bonos instruat, animet ad tolerandum adversa, mundi contemptum ingerat, desiderium patriæ cœlestis inferat, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia utilia ad salutem. Lectionem sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones: ut sæpè mens ad DEUM elevetur, à quo omne bonum fluere necesse est. *Idem inquit:* Solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desiderii que fervore circa tuum Creatorem intendas, ut (quasi omnium inferiorum oblitus) quidquid agas, ubicunque steteris, & quibuscunque negotiis implicēris, die ac nocte ac omni momento & horâ, DEUM semper habeas in memoria, credens & cogitans te esse verissimè coram eo, & ipsum cogitans undi-

D. Bonavent. de Perfect. Relig. lib. 2. c. 58.

Idem 25. memorial. in 22.

que

que te aſpicere. Hæc autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter & amore, & cum magna diſcretione, nunc ante pedes immenſæ Majeſtatis ejus proſtratus, corde amariſſimo peccatorum veniam poſtulando, nunc ſacratiſſimæ Paſſionis Filii DEI gladio compaſſionis coram ejus cruce vulneratus, cum eo lachrymoſus, & flebilis apparendo: nunc totius Vitæ illius decurſum obliquitati tuæ, velut rectitudinis lineam proponendo: nunc inenarrabilia, & immenſa DEI beneficia mente pertractans gratiarum actionibus inſiſtendo: nunc ſtimulis ipſius amoris ardentiſſimè punctus, ipſum in creaturis omnibus intuendo: nunc potentiam, nunc ſapientiam, nunc bonitatem & clementiam ejus attendens, eum devotiſſimè in cunctis operibus ſuis collaudando: nunc deſiderio patriæ cæleſtis attractus ad ipſum gemebundis ſuſpiriis anhelando: nunc circa nos viſcera inæſtimabilis charitatis ejus aſpiciens, lætabundâ quadam exceſſivâ admiratione, corde & animo in ipſo deficiendo: nunc præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem, nunc DEUM te timentem, ſublevantem, retinentem & attrahentem; nunc DEUM te ingratum per omnia concernentem conſiderans, ineffabilibus Divinæ miſericordiæ viſceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conterens, totum te fletibus reſolvendo: nunc verò occultiſſima, profundiſſima, & ſummè arcana nimiùmque ſtupenda judicia juſtitiæ ejus diligenter attendens eum in omnibus, fidelis & conſtans cum ſummo amore, ingenti quoque timore ac tremore diſcretus, ſupplex & humilis venerando: præ omnibus autem continuam & vivam memoriam ipſius ſacratiſſimæ Paſſionis in anima & corde tuo ferens. *Hucusq; D. Bonaventura.*

2do. Incipientibus, & qui vix aliquid vident, quod non carnis oculis vident, difficile eſt formare conceptum præſentis ubique DEI: in quo puncto Media quatuor deſcribit *S. Franciſcus de Sales* ita dicens: *1mum* eſt, ut imagineris DEUM, verè & realiter, in omni loco exiſtere, hoc eſt DEUM eſſe in omnibus, & per omnia, nec locum, nec rem aliquam eſſe in hoc mundo, cui ille præſens non ſit. Quod ut faciliùs intelligatur ſimilitudine aliqua erit demonſtrandum. Sicus aves quocunque loco voli- *S. Francis. Saleſius Introduc. ad vit. devot. prax. p. 2. c. 2.*

tant, ſemper aërem obvium habent: ſic nos ubicunque fuerimus, DEUM ſemper præſentem invenimus. Veritas hujus rei omnibus pervia & manifeſta eſt, ſed rari ſunt qui illam apprehendunt. O utinam hi cæcos imitarentur, qui licet Principem ſuum præſentem ſibi non videant, nihilominus illum honorant, modò tantùm de ipſius præſentia ſint admoniti: ſed quia illum non vident, hinc facilè ipſius obliviſcuntur, & obliti etiam facilè honorem ei deferre intermittunt. His & nos ſimiles eſſe videmur, nam licet per fidem illum nobis præſentem credamus, nihilominus tamen, quia corporeis oculis non videtur, contingit nos ſæpisſimè obliviſci, & ita vivimus quaſi DEUS longisſimè à nobis remotus eſſet; fides igitur hac in parte nihil nobis prodeſt, niſi quod credimus, etiam opere ipſo exequamur. *2dum Medium* elevandi mentem ad DEUM, eſt, cogitare non ſolùm DEUM eſſe in loco ubi tu es, ſed potiùs eſſe in corde tuo, & in imo ſpiritûs tui, quem ipſe vivificat Divinâ præſentiâ ſuâ. Nam velut anima per totum diffuſa corpus, omnibus illius partibus præſens eſt, & nihilominus in corde ſpecialiter reſidet; ſic DEUS omnibus rebus præſens, præcipuè cordi noſtro præſens eſt. Quare rectisſimè David pſalm. 72. DEUM vocabat: *DEUM cordis ſui*: & Sanctus Paulus, inquiebat, nos vivere, nos moveri, & eſſe in DEO: propter hanc igitur veritatem, in corde tuo, DEO ter Optimo Maximo præſenti exhibebis ſummam reverentiam. *3tium Medium* eſt, conſiderare Salvatorem noſtrum, in Humanitate ſua, ex ſummo cælo omnes in hoc mundo homines, præſertim Chriſtianos filios ſuos, & maximè illos qui circa orationem occupati ſunt, intueri. At hæc imaginatio meliùs aliis perpendi, animòque revolvi debet, cùm ſit ſimplex veritas: licet enim non videamus ipſum, tamen ex alto ille nos conſiderat: uti videre eſt in Sancto Stephano, qui Actor. 7. vidit illum in Martyrio ſuo, & idcirco rectè cum Sponſa Eccleſiæ Cant. 2. dicere poſſumus. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* *4tus. Modus* conſiſtit in ſimplici imaginatione, ut repræſentemus nobis Salvatorem noſtrum, in Sancta ejus Humanitate, quaſi nobis proximus eſſet: ſicuti ſolemus nobis amicos repræſentare dicentes: puto me videre talem, hoc & illud facientem, puto me illud, aut quid ſimile

videre. Aut si Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum præsens foret, præsentia ista realis esset, sed non omnino imaginaria, nam species & forma panis essent tanquam tapes, post quem Salvator noster realiter præsens nos videt, & considerat, etiamsi non videmus ipsum in propria ejus forma. *Hactenus D. Salesius.*

Verùm hìc adverte, qualem virtutem intendis exercere, talem proportionatè exhibeto tibi præsentiam DEI: ut si Timorem, iratum Judicem tuis peccatis DEUM tibi imaginare; si Spem, ut misericordem Patrem, DEUm intuere; si Amorem, DEUM ut in se summum Bonum, & Pulchrum contemplare, & in eo oblectare.

§. IX.

De Bona Voluntate.

Bona voluntas in sensu Spiritualium est, quæ ad supernaturalem fidei, vel altioris luminis cognitionem, informata actibus spei, vel charitatis, elicit tum efficax propositum universale omnis virtutis, tum juxta regulas prudentiæ descendit ad praxim perfectè & supernaturaliter exercendi actus virtutum salutares in particulari.

Dicitur: *Bona Voluntas:* non tam quoad bonitatem potentiæ physicam, vel bonitatem moralem congenitam, aut habitualem acquisitam, sive infusam (etsi ejusmodi bonitas etiam hìc præsupponatur) quàm quoad bonitatem morum seu virtutum actualem tum in generali Proposito, sive præparatione animi, tum in particulari Executione. Unde dicitur: *quæ ad supernaturalem fidei, vel altioris luminis cognitionem, informata actibus spei, vel charitatis.* Hæc enim cognitio in intellectu, & actus spei sive charitatis in voluntate, exercitium virtutis præcedere debent, tanquam harum potentiarum circa ultimum Finem dispositiones. Quia ut rectè D. Thomas docet: *Cùm in agibilibus finis sit principium, necesse est virtutes Theologicas, quarum objectum est ultimus finis, esse priores coeteris virtutibus. Ipse autem ultimus finis, oportet quòd prius sit in intellectu, quàm in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum. Unde cùm ultimus finis sit quidem in voluntate per spem & charitatem, in intellectu autem per fidem, necesse est quòd fides sit prima inter omnes virtutes;* id est actus cognitionis per fidem, vel 2. 2. q. 4. A. 7.

æqui-

æquivalens cognitio cognitioni fidei, aut eam Supereminens per alia supernaturalia dona Spiritûs Sancti, intellectûs, scientiæ, sapientiæ, aut actualia lumina infusa. Dicitur: *elicit, tum efficax propositum universale omnis virtutis* &c: quia postquam homo in intellectu & voluntate per virtutes Theologicas ac dona luminaque Spiritûs Sancti rectè fuerit dispositus circa ultimum finem, & cognoverit fide dictante non posse hominem eundem assequi, & sperare finem quà homini bonum, nisi per media virtutis: & ibi esse veram charitatem seu hominis unionem cum ultimo fine per amorem, ubi beneplaciti Divini fit executio in exercitio virtutum, prout Joannes Apostolus ait: *Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est*: mox spes, vel charitas movent voluntatem tum ad eliciendum universale propositum exercendæ omnis virtutis proportionatæ in ratione medii ad eundem finem ultimum, tum movent quatenus juxta regulas prudentiæ, descendat ad praxim perfectè & supernaturaliter exercendi actus virtutum in particulari. Quia sicut Theologicæ virtutes sunt hominis dispositivæ circa ultimum finem, ita Cardinales sunt perfectivæ hominis circa media ad eundem finem, ita ut prudentia disponat intellectum, justitia voluntatem, fortitudo appetitum, quà irascibilem, temperantia quà concupiscibilem. Porro nos post tractatam virtutem Prudentiæ, agimus de virtutibus Universalibus quæ in se continent virtutes Cardinales; tum de Fundamentalibus, quarum primariò prærequiritur exercitium ante alias omnes virtutes. Dicitur in descriptione: *juxta regulas prudentiæ* &c: de quibus infra, nunc vero potissimùm reducuntur ad circumstantias actûs infra positas, quibus undique regulatus actus, potest in optimum sui prodire exercitium. Hæ autem circumstantiæ sunt: *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Epist. Joan. 1. cap. 2.

V. Prudentia. l. 2. tr: 2. c. 4.

Incitamenta ad conservandam bonam Voluntatem efficacem. 1mum. Bonæ voluntatis hominibus etiam imperfectis, pax vera promissa, & opera quanquam defectuosa in cælo erunt coronanda, modò tamen semper in meliora conentur. Hinc piissimus *Ludovicus Blosius* magnus encomiastes bonæ voluntatis ait: Nullo pacto diffidere debes propterea, quòd imperfectus sis. Deus enim abiicere non potest hominem bonæ voluntatis

Lud. Blos. Spec. Spirit. c. 7.

tis. Ipſe penitus novit infirmitatem tuam, & te blandè conſolatur in Evangelio, ubi Sancti Angeli narrantur Chriſto nato ceciniſſe verba illa optatisſima. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* *Luc: 2.* Non dixerunt: Pax hominibus magnæ, vel perfectæ ſanctitatis, (quanquam ſi hoc dixiſſent, id quod maximè verum eſt, dixiſſent) ſed ut etiam infirmi ac puſilli, qui bonæ voluntatis ſunt conſolationem acciperent, læti dixerunt: Pax hominibus bonæ voluntatis. Si facis rationabiliter quod in te eſt, & DEO placere verè deſideras: DEUS hauddubiè conatum tuum, laborem, deſiderium, & bonam voluntatem tuam eximiè aliquando coronabit: etiamſi piis operibus exercitiis atque orationibus tuis magna inæqualitas adiuncta, & multi defectus permiſti ſunt. Quamdiu enim non avertis voluntatem tuam à DEO, & ſæpiùs doles atque ingemiſcis propter imperfectionem & multiplices offenſas tuas, DEUS, pro ineffabili bonitate ſua reputat opera tua digna æternâ remuneratione. Quamdiu inquam bonam voluntatem retines, & humilitati cœteriſque veris virtutibus das operam, atque à peccatis ſedulò abſtines, places DEO, & in bona conſcientia tua, tamquam in amœno paradiſo iucundè commorari potes.)) *V. Ludovic.*

2*dum.* Quia in cruce latronem bona voluntas ſaluavit, & *Bloſium. Mon:* ipſa eſt fundus & radix virtutum. Ita idem author refert e- *ſpirit. c. 5.* xemplum *ex Revel. S. Brigittæ*, quâ degente Romæ, quidam volens confiteri, ob carentiam Sacerdotis in ſuo idiomate, nequivit, pro quo cùm conſuleret S. Brigitta Dominum, reſpondit Dominus: Ille plorat quòd non inveniat auditorem confesſionis ſuæ, ſed dices ei, ut bono animo ſit. Voluntas ſufficit, ubi homo bonum opus præſtare non poteſt, quod præſtare deſiderat. Quid enim ſalutem latroni in cruce attulit? nonne bona voluntas? quid item efficit infernum, niſi mala voluntas, & affectus inordinatus? Itaque pauper iſte permaneat ſtabilis, & non retrocedat. Qui poſtquam in patriam ſuam redierit, quærat & audiat à Sapientibus ac juſtis ea, quæ animæ ipſius ſalutaria ſunt, eisque voluntatem ſuam ſubmittat, ſequendo eorum conſilium potiùs, quàm propriam inclinationem, ac proprium judicium. Et ſi mortuus fuerit in via, fiet ei quod ego pendens in cruce dixi latroni: *Eris*

Luc. 13. *mecum in paradiso*. Profectò bona voluntas magnus & dulcis est thesaurus: qui hanc habet, is desiderat & conatur obedire & placere DEO, & facere ea, quæ illi accepta sunt. Hæc Sanctarum omnium virtutum fundus & radix est. Ipsa è Spiritu Sancto nascitur, & est eximia DEI gratia, atque infusa claritas. Beatus qui illam à Domino accepit, & eam diligenter in se conservare studet. *Hucusque Blosius*.

Sed jam videamus in specie circumstantias, juxta quas ad regulatos actus virtutum in singulari practicè procedit bona voluntas.

Prima & Secunda circumstantia: Quis & Quid.

PRimò itaque Exercitator Christianus consideret quamnam viam decurrat, aut currere debeat, sive intendat; an purgativam, vel illuminativã, vel unitivam. Deinde an sit in statu vitæ communis Christianæ, vel in statu perfectionis assequendæ, aut exercendæ. Deniq; an ejus status, tum officium requirat actus virtutum vitæ activæ, sive contemplativæ, aut mistæ. Tandem videat quæ virtutes ac earum actus harum viarum vitarumq; magis conveniant ætati, complexioni, valetudini, societati cui convivit, quævè magis suo arrideant proprio spiritui.

Quibus ita perspectis, deligat in exercitium actuale illas virtutes (nisi jam sint ex vi statûs sui delectæ) quæ videntur sibi, vel potiùs per mandatum aut consilium Magistri seu Superioris sui, sive Professionis, & modi vivendi, convenire suæ viæ, suo statui, suo officio, suæ vitæ.

Tertia & Quarta Circumstantia: Ubi & Quibus auxiliis.

COnsideret, quæ ex delectis virtutibus, earumque actibus conveniant illis locis, in quibus versari solet, & quæ non, atque adaptet proportionatè ad circumstantiam loci. Quippe non exigua Sapientiæ pars est, quam Stoici appellabant: *Scientiam rerum earum, quæ aguntur aut dicuntur, loco suo collocandarum*. Tum quia contingit in uno loco esse licitum, & virtutem, in alio illicitum & vitium.

Quod

Quod concernit circumstantiam; *Quibus auxiliis* scilicet adjuvandus homo ad praxim actuum salutarium: de hoc puncto copiosè tractatum supra parte I. Theologiæ Spiritualis, & infra tractabitur sub singulis penè virtutibus. Unde prudens exercitator seligat curetque opportuna auxilia, proportionata suæ conditioni ad perfectum exercitium virtutum.

Quinta Circumstantia: Cur.

HÆc circumstantia *Cur*, Causam innuit finalem, ejusque Intentionem. Verùm de Causa finali, alibi, hic de Intentione agendum: *Intentio itaque apud Spirituales, est actus voluntatis, tendens per media aliqua in ratione virtutis ut meritoriæ, & impetratoriæ, in finem supernaturalem, ratum habendum, ponendum, & obtinendum.* Dicitur: *Actus voluntatis*; quia docente D Thoma, *cùm voluntas moveat omnes animæ vires in finem, ejus propriè Intentio actus est.* Dicitur: *tendens per media &c.* Ubi *1mo* supponitur ex Angelico Doctore ad rationem Intentionis esse, ut tendat in finem non absolutè, quod voluntas dicitur, neque ut finem respiciat, tanquam in eo quiescat, quod est fruitionis: sed ut tendat in finem, tanquam in terminum alicujus, quod in ipsum ordinatur, non enim ex hoc solùm dicimur intendere sanitatem, quia volumus eam, sed quia volumus ad eam, per aliquid aliud pervenire. *2do.* Supponitur ex eodem Sancto, unum & eundem esse motum voluntatis in finem tendentem, & in id, quod est ad finem: quia finis ratio est volendi ea, quæ sunt ad finem. Dicitur: *tendens per media aliqua*; nimirum sive illa media sint ex sua natura supernaturalia, sive ex se indifferentia, & non nisi ex fine supernaturali fiunt moraliter & supernaturaliter bona, qualia v. g. sunt, comedere, bibere &c. Quæ ex supernaturaliter intento fine gloriæ DEI &c. Et ipsa supernaturalizantur. Dicitur: *in ratione virtutis*: quia scilicet illud, quod ponitur in ratione medii ad finem supernaturalem debet esse bonum moraliter, & supernaturale, ut habeat vim meriti, & impetrationis. Nam quidquid homo potest ponere in ratione medii ad finem supernaturalem, illud obtinet vel vim meritivam, vel vim impetrativam, atque ad hæc duo est illud reducibile: prout quoq; reducit *Suarez* effectus morales

1. 2. q. 12. a. 1.

Ibidem ad 4.

Ibid. ad 4.

Lib. 12. de merit. in Præluds.

rales gratiæ ad rationem meriti & impetrationis, quibus addi potest vis gratiarum activa, quia & hæc servit ad finem supernaturalem obtinendum, quatenus ob gratitudinem pro præteritis, movet DEUM ad promptiùs & liberaliùs conferendi dona sua homini grato Divinorum beneficiorum. Imò tanta potentia est bonæ intentionis, ut actui meritorio potest superaddere vim impetrationis non modò latè sumptæ, prout nimirum ratione alicuius operis vel obsequii aliquid ab alio obtinetur (de quo vide *Suarez*) sed etiam strictè sumptæ, prout impetratio pertinet ad actum Religionis, quando v. g. ex motivo Religionis exercetur: tum superaddere potest rationem gratitudinis ex suo motivo. Et è converso actui impetratorio potest superaddere, seu potiùs superaugere vim meriti & gratitudinis, acceptâ ratione meriti de condigno in ordine ad primam gratiam, & ultimam, seu finalem perseverantiam promerendam, quas impetrare, non verò mereri de condigno possumus. Dicitur: *in finem supernaturalem*; qui vel exnatura sua est talis uti v. g. Beatitudo patriæ, & supernaturaliter cognitus, vel etsi ex sua Specie non sit supernaturalis, supernaturaliter tamen est cognitus, nempe fide Divina. Ut v. g. honestas naturalis intrinseca virtuti, si fide supernaturali cognoscatur. Ejusmodi ergo finis *1mo*, respectu operantis & ejus proximi reducitur ad sequentia; nempe ad merendam & impetrandam propitiationem sive veniam & satisfactionem peccatorum, seu puritatem à culpa, & immunitatem à pœna, tum in gratiarum actionem pro beneficiis, tum ad merendam, & impetrandam gratiam, & gloriam, tum ad impetrandam finalem perseverantiam in gratia: adeòque ad merendam, & impetrandam Perfectionem, Sanctitatem, & Beatitudinem viæ & patriæ. *2do.* Finis supernaturalis respectu DEI & Cœlitum intendendus est peractus meritorios & impetratorios, nempe Gloria DEI extrinseca, sicut in oratione Dominica precamur, ut sanctificetur nomen DEI, & possumus offerre merita nostra ad augendum cultum DEI & Sanctorum, & per consequens ad eorum Gloriam accidentalem. Dicitur: *ratum habendum*; ubi finis jam præsupponitur existere à parte rei, sicut v. g. dum actum bonum facit ex intentione ratum gratumque habendi seu ratihabitionis intrin-

Ibidem.

secæ

ſecæ Gloriæ DEI. Dicitur : *ponendum*; id eſt in præſenti aliquem finem vel effectum, quem hìc & nunc per actum virtutis ponere intendo v. g. ut hìc & nunc ad exercitium iſtius actûs glorificetur DEUS, ædificetur proximus, gratia habitualis mihi augeatur, &c: Dicitur : *obtinendum*; id eſt in futuro, ut v. g. per iſtum actum N. obtineam finalem perſeverantiam in gratia.

Intentio alia eſt Formalis ſeu Actualis, alia Virtualis, alia Habitualis, alia Indirecta, alia Conditionata. *Formalis eſt*, dum hìc & nunc per actus virtutis exercitos, vel exercendos explicitè & actualiter intendo aliquem finem ſupernaturaliter v. g. Gloriam DEI. *Virtualis Intentio* juxta *Card. de Lugo* & alios, eſt actus quidam voluntatis relictus ex præterita Intentione actuali, clara, & expreſſa, tenuis tamen & debilis, ac confuſus, ſemper conjunctus applicationi mediorum ad finem, adeòque ſic executrices potentias in operando dirigens. *Habitualis Intentio*, eſt actualis Intentio præterita, non retractata formaliter, vel æquivalenter per contrarium actum. *Intentio Indirecta* eſt volitio cauſæ aut alterius rei, unde ſecuturus effectus infallibiliter prævidetur: Sicut v. g. vult quiſpiam perfectionem ſuam ex qua prævidet proximum ædificandum; hanc ædificationem proximi etſi directè non intendat, intendit tamen indirectè. *Conditionata Intentio* eſt, cui aliqua conditio, vel de præterito, vel de præſenti, vel de futuro adjungitur. His poſitis.

De Sacram. diſp. 8. Sect. 5.

Dico 1mo. *Actualem, vel ad minùs Virtualem Intentionem requiri, & ſufficere, ad actum virtuoſum, gratiarum actorium, meritorium, & impetratorium finis ſupernaturalis.* Dixi, *requiri*: & quidem 1mo ad actus indifferentes, qui cùm ex natura ſua nec ſint moraliter boni, nec ſupernaturales, hoc utrumque ſortiri debent à fine ſupernaturali intento. 2do ad actus virtutum moralium: quia nec iſti fiunt moraliter boni, niſi ex intento fine intrinſeco ſuæ honeſtatis, vel extrinſeco v. g. bonitatis & gloriæ DEI, ut infra videbimus. 3tio ad actus virtutum Theologicarum: quia eorum munus cùm proprium ſit diſponere hominem circa ultimum finem, profectò id præſtare nequeunt ſine in eundem finem intentione, idque per media virtutum, ſi loquamur de perfecta diſpoſitione (nam imperfecta ſeu initialis in recentisſimè converſis id tantopere non requi-

p. 2. 2. ad initium.

Jac. 2. requirit) *Fides enim sine operibus mortua est*: & Spes habet pro formali objecto bonitatem seu fidelitatem DEI promissivam beatitudinis, utique sub conditione boni operis: Amor quoque DEI verus, non est otiosus. Dixi in asserto: *Sufficere, & requiri, id est ad minus Virtualem Intentionem*: ubi duo sunt bene animadvertenda. *Imum.* Actualem Intentionem sive ante opus, sive sub ipso opere eliciatur, esse semper meritoriam, & quidem cum tanto incremento meriti, cum quanta perfectione fuit elicita. Ratio est: quia ejusmodi Intentio, est actus voluntatis talis, qui habet omnia requisita ad meritum, & ejus perfectionem majorem, vel minorem, ut ex supradictis patet. Per hocque solùm differt ab opere intento, quòd hoc sit actus imperatus, illa verò Intentio actus imperans, jam verò cæteris paribus nobilior est actus imperans qui solius etiam est voluntatis actu imperato, qui etiam potest esse aliarum potentiarum externarum. *2dum est.* Virtualem Intentionem ad minùs requiri, quatenus actus sit virtuosus, & meritorius, vel impetratorius, sive gratiarum actorius: quia sine tali intentione actus virtutis erit tantummodo materialis, & non formalis, siquidem formale motivum finis intrinseci, seu objecti motivi quod est honestas, vel finis extrinseci, dat esse formale, & speciem virtutis actui. Exinde verò sufficit virtualis Intentio supra explicata ad actum ut sit meritorius &c: quia si non sufficeret, tunc maximè ideo, quia conditiones meriti, nempe libertatem, moralem bonitatem, supernaturaliter propositam &c: non nisi debiliter, & haud clarè & expressè, in actum meritorium derivaret. Atqui hæc ratio minimè obstat, nam ut supra ex Suario diximus: *Ad meritum non esse necessariam deliberationem omni ex parte perfectam, sed sufficere & necessariam esse eam libertatem, quæ saltem includat actualem advertentiam, quæ ad moralem potestatem agendi, & non agendi sufficiat.* Ex his.

Theol. Spirit. p. 2. c. 1, s. 1. in descript. actus Salutaris.

Conclude Habitualem Intentionem non sufficere ad actum virtutis meritorium, ac impetratorium finis supernaturalis. Ratio est, quia *Imo* quoad rationem virtutis. Siquidem intentio habitualis, quà talis, actui virtuoso non proponit suum formale motivum idque supernaturaliter, ejusmodi actus erit materialis, non formalis, nec supernaturalis virtus. *2do.* Respectu meriti; præter modò datam ratio-

rationem, si habitualis intentio peccati, cæteris paribus, non habet demeritum seu pœnam æternam, multò magis habitualis Intentio actûs honesti merebitur, plus namque requiritur ad bonum, quàm ad malum. *3tio.* Respectu impetrationis, quia ibi similiter per habitualem Intentionem deest formale motivum bonum tum ex parte actûs orationis, tum ex parte materiæ, pro qua fit oratio, vel ex parte finis orationis. Quòd verò aliqui dicunt habituali Intentione posse mereri, ly *Habituali* fortè supponunt pro virtuali.

Dico 2do: *Indirectam Intentionem sufficere ad certum actum virtuosum, meritorium, & impetratorium.* Ratio est: Tum quia si actus mali indirectè intenti, reputantur ad culpam, & pœnam per DEI justitiam, multò magis actus boni indirectè reputabuntur ad meritum & prœmiũ per DEI misericordiam, quæ est super omnia opera ejus. Tum quia per talem Intentionem possunt poni conditiones requisitæ ad actum quà virtuosum, quà meritorium, quà impetratorium, ut patet.

Dico 3tio. *Conditionatam Intentionem de præterito, præsenti, & futuro, sufficere ad actum virtuosum, meritorium, & impetratorium.* Ut v. g. quis intendat, si possibile foret, ut actus vitæ suæ præteritæ, præsentis, & futuræ, fuissent, & essent, ac forent omnes consentanei in ratione virtutis, meriti & impetrationis finis supernaturalis. Ratio est, quia si ille actus S. Augustini, quo fertur dixisse: Si ego essem DEUS, & tu DEUS esses Augustinus, facerem, ut tu DEUS esses DEUS: si inquam hic actus conditionatus tendens planè in impossibile obiectum, dicitur tamen fuisse excellentissimæ caritatis. Ergo & alii actus intenti sub conditione, & accedentes ad majorem possibilitatem, erunt actus virtutum, adeoque gratiarum actorii, meritorii & impetratorii finis supernaturalis.

Motiva Formandi Intentionem rectam, hæc afferuntur.

PRimum. Necessitas intentionis actualis, ante quamlibet saltèm potiorem actionem & passionem iterandæ inde patet: quia cùm virtualis saltèm intentio, requiratur ad actum moraliter bonum adeòque meritorium, hæc verò post factam actualem intentionem

intentionem ſenſim per ſingulas moras temporis deficiat, quousque deſinat, cùm ſcilicet ſenſim ab aliis ſpeciebus ſeu cogitationibus illæ ſpecies expreſſæ, ſeu advertentia debilis & tenuis ad motivum intentionis, obruatur: ſequitur neceſſariam eſſe actualem intentionem ad minimum ante majoris momenti actus, ut fiant ſalutares, imò & ante alios actus minoris pretii, qui non ſunt conjuncti cum illis potioribus, quibus præmittitur intentio.

S. Gregor. 28. Moral. c. 6. 2*dum.* Intentio recta eſt baſis virtutum docente *D. Gregorio*: Sicut *inqui* fabrica columnis, columnæautem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima ſubſiſtunt.

S. Bonav. de 1. Itin. æternit. diſt. 2. 3*tium.* Intentio recta indifferentes quoque actus facit meritorios vitæ æternæ. Accipe pulchrum diſcurſum *Seraphici Doctoris*, qui ait; Intenio propriè & principaliter eſt actus voluntatis, ut elicientis & liberè ordinantis, & moventis in finem, & à ratione directus. Et nota quòd iſta intentio, ut eſt à voluntate per gratiam formata, non ſolùm actualis, ſed etiã habitualis facit actum & opus meritorium. Cujus ratio eſt, quia præter naturalem bonitatem, quæ eſt in actu voluntatis, eo ipſo, quo eſt ens, tota alia bonitas ipſius eſt, ex ejus ſufficienti ordine intentionis ad debitum finem. Tunc autem debiti finis eſt ſufficiens ordo, quando ex parte agentis per intentionem bonam fit ordinatio actûs ſui in debitùm finem, & quando exparte actus eſt, quod ſit ordinabilis ad illum finem, ut per ipſam posſit finis acquiri, id eſt, quod actus ſit de genere bonorum, talis enimordo includit bonitatem eſſe in actu, quæ ſibi debetur ex obiecto debito, & ex forma debita, quæ eſt charitas, & ex circumſtantia, & ex debito fine. Deficiente autem altero iſtorum, actus vitioſus eſt. Ex quo patet, quòd etiam actus indifferens per ordinationem debitam in debitum finem, fit meritorius: quia intentio recta, ſi ſit actualiter à voluntate elicita, mediante gratiâ addit aliquã bonitatẽ ſupra habitum, cui debetur prœmium ſubſtantiale. Per actus enim voluntatis elicitos ex gratia, meremur vitam æternam. Ex his etiam patet, quòd intentio actualis eſt perfectior, & magis meritoria habituali, quia addit aliquam bonitatem ſupra habitualem

lem Unde *Gregorius* dicit: Sicut lucerna corporis est oculus carnalis lucens toti corpori; ita per radium intentionis illustrantur itinera actionis. Nam dicit Dominus: intentio sicut lucerna fulgoris illuminabit te. *Hactenus D. Bonaventura.* Hinc vulgare illud: *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes.* Hæc enim dat speciem actui morali, ut docent Theologi. *S. Greg. 28. Moral. c. 6.* *Luc. 11.*

4tum. Intentio recta ex Christi sententia, ipsa est illud unum necessarium, ut explicat D. Basilius inquiens: Uniformis est vita Christiana ad unam tendens intentionem, scilicet ad gloriam DEI. Multiformis verò, & varia est vita eorum, quæ deforis sunt pro libitu suo variata. S. Hieronymus: *Non virtus, sed causa virtutis apud DEUM mercedem habet* *Luc. 10.* *Lib. I. in 5. Matth.*

5tum. Placet hìc addere quod *Blosius* refert nimirum: Beatam Gertrudem audivisse à Domino, quòd tunc eximiam illi dilectionem exhiberet, quando ad laudem ejus cogitabat, aspiciebat, audiebat, loquebatur, vel faciebat aliqua utilia. Intellexit etiam, quòd quoties quis devotâ intentione inspicit imaginem Christi Crucifixi, toties respicitur amanter à DEI benignissima misericordia: & hinc anima ipsius tanquam lucidum speculum, suscipit in se ex Divino amore imaginem admodum jucundam, unde etiam tota curia cælestis mirificè lætatur. Et hoc erit illi in gloriam æternam. Intellexit item DEO gratum remuneratione que dignum esse, si quis pro honore & amore DEI etiam, calamum è terra levaret, aut passum unum faceret. *Ludov. Blosius Monil. spirit. c. 2.*

6tum: Ab exemplo *1mùm DEI.* Proverb: *Universa propter semetipsum* (id est gloriam suam) *operatus est Dominus.* 2do *Christi*, qui de se ipso hæc protulit: *Qui* (Christus) *quærit gloriam ejus* (Patris) *qui misit eum, hic verax est.* Et Apostolus de Christo: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* 3tio. S. Magdalena de Pazis dixit: Si quis absolveret omnes suas actiones cum hac pura intentione: *Dare gloriam DEO:* directè iret post mortem in cælum sine purgatorio. Quare suas discipulas, ut hac informaret Intentione, detestabatur exercitium operum factum casu, & sine consideratione meriti, aut propter alium finem, & non propter hunc, nimirum: *Placere DEO.* Interrogabatque sorores, quanam intentione hæc vel illa perficerent *Prov. c. 16.* *Joan. 1.* *Apost. ad Hebr 12.* *In vit. S. Magdal. de Pazis.*

 exercitia,

exercitia, labores, opera: dumque adverteret casu ea fieri arguebat dicens: Non videtis quòd perdatis meritum in hoc opere? Deus non pascitur operibus factis casu. Si ego intelligerem per unum verbum, quod propter aliquid aliud loquerer, & non propter amorem Divinum, (etiamsi ibi non esset offensa DEI) posse me fieri ardentem Seraphim, nunquam tamen illud loquerer. Unde hæc Sancta si eam quandoque contigit actum aliquem incipere pro more humano, vix dum adverteret, confestim illum relinquebat etiam non consummatum: neque enim priùs illum exercere voluit, donec ad finem rectum direxisset, qui ei secundùm DEUm erat propriè debitus. Quare adeò excellenter in hoc se perfecit, ut summè miraretur, si omnem actum, locutionem, cogitationem, motum corporis, nutumque oculi illæ DEO ad gloriam non redderent animæ, quæ ejus servitio puro corde se consecrârunt.)) Vide supra plura fusissimè sub perfectionibus actûs salutaris.

p. 1. 2. tr: 1. c: 1. sectio: 2.

Contra *Intentionem malam* in bonis operibus serviunt ea, quæ infra sub Hypocrisi posita sunt.

Praxis seu Formula Intentionis.

AMator Christianæ perfectionis, & tuæ veræ felicitatis, quid putas, si fructus Vitæ æternæ hoc Opere hinc & inde sparsos, in unum collectos, ad usum & delicias tuas haberes? Id est, ferè cuncta, quà speculativè, quà practicè fusiori hoc toto Opere Theologiæ Spiritualis dicta, simul ad brevem Praxim coordinata acciperes? Equidem ut rem magni momenti, & pretii æstimares, quæ immensum Oceanum rerum Spiritualium in exiguum redigeret fontē, bonitatē sparsim diffusam in quintā essentiā, latū, altū, & profundum in cōpendium, quod tibi simul præstaret viam compendii ad omne, ipsumque summum Bonum. Pretiosiorem crederes, & meritò, unione, seu margaritâ Cleopatræ, integri Regni opibus æstimatâ, habere immensas Spirituales divitias in brevi Intentione unitas; vel modicum lapidem non dico Philosophorum, sed Theologorum possidere, quo quidquid aptæ materiæ attingeres in aurum inæstimabilis virtutis & gloriæ perennis converteretur. Igitur hoc in passu quoque inservire conamur tibi:

haud

haud ambigentes, quin ferè omnia, vel saltèm potiora Vitæ supernaturalis, ex hoc Opere decerpta, & convenienti ordine digesta sequenti formulâ Intentionis, ad quotidianam Praxim, cum indicibili salutis tuæ incremento reperies.

FORMULA INTENTIONIS GENERALIS.

DEUS meus, ego indignitas & miseria, Toto me, Toto Universo, Toto JESU, Toto Te, credo Tibi, obedio Tibi, obedio Superioribus meis, trāsformativè imitor Te, JESUM maximè Crucifixū, & MARIAM, Tuosq; in hoc; quòd ego ex amore Tui, JESU, ac MARIÆ, & Tuorum, summo & ardentissimo, intensissimè desidero, intendo, ac humillimè oro; quatenus omnes & singulas Actiones, & Passiones totius vitæ meæ, usq; ad punctum mortis, eas & cum iis perfectionibus, nunc pro tunc, & semel pro semper, punctuali, imò anticipatâ & protractâ, vel dilatâ morâ temporis, per modum quoque voti, & sacrificii, Heroicè, Seraphicè, Marianè, Theandricè, Divinè, sub ratione Virtutis, Gratiarum actionis, Meriti, & Impetrationis omnium possibilium finium supernaturalium, unquàm fecerim, ac toleraverim, & faciam, ac tolerem; quæ Actiones & Passiones, ac earum perfectiones, fuerunt, sunt, & erunt, punctualiter juxta misericordissimam, summam, efficacem, specialem, bonam, beneplacentem, perfectam Volūtatem Tuam: Ad Tuam, JESU, & MARIÆ, meam, Tuorumque Gloriam. Simulq; meipsum, omnia mea, & omnes ac singulas Actiones, & Passiones meas, nunc pro tunc, & semel pro semper, in unione Amoris Actionū Tuarū Divinarū, necnon Amoris Oblationis & Actionū ac Passionū Domini nostri JESU Christi, Dilectissimæ Virginis Matris, & Electorum Tuorum, per Cor & Manus ejusdem Domini nostri JESU Christi, & Virginis Matris, corrigēda perficiēdaq; sublimissimè, Offero Tibi DEO meo vivo & vero; ad Tuam, JESU, &

MARIÆ, meam, Tuorumq́; Gloriam, ratumhabendam, ponendam, & obtinendam. Id est: In actuale exercitium omnium Virtutum; & quidem Fidei, (quâ persuasus motivis credibilitatis, Credo omnia per Ecclesiam Catholicam in ratione Fidei proposita, esse à Te revelata, eaq́; vera propter summam Tui Veracitatem) Spei, (quâ propter Tuam summam Potentiam, Bonitatem, & Fidelitatem, per merita Domini nostri JESU Christi, B. V. MARIÆ, & Electorum Tuorum, Confido me à Te accepturum omnia Media necessaria ad Fines supernaturales, Gradusq́; finium supernaturalium Viæ, & Patriæ assecuturum, punctualiter juxta misericordissimam, summam, efficacem, specialem, bonam, beneplacentem, perfectam Voluntatem Tuam) Charitatis, (quâ propter summam Tui Bonitatem diligo Te, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis, & Proximum meum sicut meipsum) In actuale exercitium Prudentiæ, Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, cum sibi annexis Virtutibus: specialiter N N. (specifica eas in quibus te illo tempore exerces, & quibus maximè indiges) *In Odium, & Dolorem de omnibus peccatis meis, ut offensis tuis DEI mei super omnia dilecti. In Remissionem, & Satisfactionem peccatorum meorum, & proximorum meorum. In Gratiarum actionem pro omnibus beneficiis Tuis, mihi & toti Universo, concessis, & concedendis in æternum. In augmentum gratiæ sanctificantis, habituum virtutis, ac donorum Spiritûs Sancti, specialiter N N.* (specifica illas virtutes, quarum illo tempore exercitium tenes, & quibus virtutibus ac donis potissimùm opus habes) *gratiarum actualium, efficacium, specialium; ac gratiarum gratìs datarum, pro me, & proximis meis. In dispositionem ad frequentissimè, dignissimè, & fructuosissimè (celebrandum Missæ Sacrificium)* (vel *suscipiendam Sanctissimam Communionem*) *&*

alia

alia percipiẽda (administrãda si sacerdos es.) *Sacramenta. In suppletionem omnium omissionum, & imperfectionum mearum, & proximorum meorum. Ad acquirendam perfectissimam Transformationem Mei intentionalem, moralem, activam, passivam, seu mysticam, in amantissimum meum JESUM, Lumen & Amorem Crucifixum pauperem, contemptum, dolorosum, usq; ad punctum mortis.* (Ubi specifica illas Virtutes in quibus te illo tempore exerces, & quæ sicut & Dona potissimùm sunt tibi necessaria: v. g. sub ly *Lumen*, intelliguntur intellectuales Virtutes Fidei, Prudentiæ, & Dona Intellectûs, Sapientiæ, Scientiæ; aliaque supernaturalia Lumina: sub ly *Amorem*, intelliguntur Amor spei, & Amor charitatis. Ad ly *Pauperem, contemptum, dolorosum*, reducuntur omnes aliæ Virtutes, Dona, Gratiæ, prout *infra* habes subs. 4.) *Ad adipiscendam Perfectionem, Sanctitatem, Beatitudinem Viæ pro me, & proximis meis, punctualiter iuxta misericordissimam, summam, efficacem, specialem, bonam, beneplacentem, perfectam Voluntatem Tuam. Ad obtinendam Finalem Perseverantiam in gratia tua, seu pretiosam mortem Sanctorum, & æternam Gloriam Essentialem, & Accidentalem, præcipuè Aureolas Martyrum, Virginum, Doctorum, & specialia Gaudia, uti Pauperũ spiritu, &c. participanda à me, & proximis meis vivis, & piè defunctis. In obsequium, laudem, cultum, honorem, gaudium, & gloriam ratumhabendam, ponendam, & obtinendam omnium Electorum Tuorum, specialiter Patronorum meorum N. N. ac potissimùm dilectissimæ Virginis Matris MARIÆ. Denique me totum, & hæc omnia, offero omni meliori modo, in obsequium, laudem, cultum, honorem, sacrificium holocausti, in gaudium, gustum, beneplacitum, & gloriam ratumhabendam, ponendam, & obtinendam Domini nostri JESU CHRISTI, ac ultimò & finaliter in Tui Gloriam DEUS meus TER OPTIME MAXIME.*

INTENTIO PARTICULARIS.

DEUS meus, ego indignitas, & miseria, Toto me, Toto Universo, Toto JESU, Toto Te, credo Tibi, obedio Tibi, obedio superioribus meis, transformativè imitor Te, JESUM Crucifixum, MARIAM, Tuosq; in hoc; quòd ego ex amore Tui summo & ardentissimo, desidero, intendo, & humillimè oro; quatenus hæc N. Actio vel Passio mea (specifica eam si potes v. g. orationis, vel meditationis, vel lectionis, vel studii, vel charitatis, vel obedientiæ, vel patientiæ, vel laboris, vel comestionis, vel recreationis, vel dormitionis, &c.) fiat Seraphicè, Marianè, Theandricè, Divinè, sub ratione virtutis, gratiarum actionis, meriti, impetrationis, punctualiter juxta summam, efficacem, specialem, bonam, beneplacentem, perfectam voluntatem Tuam. Simulq; in unione Amoris Actionis tuæ Divinæ (specifica illam si potes) & Amoris Actionis, vel Passionis (specifica illam si potes, v. g. in unione orationis, vel contemplationis, vel charitatis, vel humilitatis, vel obedientiæ, vel patientiæ, vel laboris, vel comestionis & gustationis fellis in cruce, vel somni capiendi, &c.) Domini nostri JESU CHRISTI, Deiparæ, Electorum Tuorum; Offero Tibi per Cor & Manus Domini JESU, & Virginis Matris, corrigendam perficiendamq; sublimissimè; ad Tuorum, & Tuam Gloriam ratumhabendam, ponendam, & obtinendam.

ALIA INTENTIO BREVIOR.

DEUS meus, Toto me, Toto Universo, Toto JESU, Toto Te, credo Tibi, obedio Tibi in hoc; quòd ex amore Tui summo & ardentissimo, Seraphicè, Marianè, Theandricè, Divinè, Ago, vel Patior hoc N. in ratione virtutis, gratiarum actionis, meriti, impetrationis, sicut Vis. Simulq; in unione

Amoris Actionis, vel Passionis (specifica si potes) *JESU, & Tuorum, per Cor & Manus D. N. JESU Christi, Tibi Offero ad Tuorum, & Tuam Gloriam ratumhabendam, ponendam, & obtinendam.*

NOta in ejusmodi particularibus intentionibus non esse opus distinctâ & clarâ advertentiâ ad alia contenta sub generali intentione, sed sufficit uno intuitu mentis simul ea respexisse, & voluntate generaliter intendisse; quod fieri uno momento, vel instanti potest. Quare si aliter nequeas elicere intentionem, tum ante actionem, vel sub illa, unâ breviusculâ, vel saltèm momentaneâ reflexione & intuitu mentis, transcurre totam Formulam generalis intentionis, & dic: *Volo secundùm omnia hæc Tibi DEO meo, ad Tuorum & Tuam Gloriam.* Quia tali modo facta hæc particularis exigua intentio ferè æquivalet illi generali intentioni, ac si eam actualiter fecisses. Nam quòd in generali intentione reflectit se particulatim ad singula puncta intellectus; hoc idem facit in hac particulari intentione, dũ ad omnia simul respicit mẽtis oculus, & per voluntatem approbat, ac intendit. Reliquum defectum supplet bona voluntas, quæ pro facto suscipitur, dum deest facultas. Sic Pater Iacobus Lainez solitus erat quotidie renovationem votorum perficere in Missa tribus verbis: *Placet, quod promisi.* Sic etiam & nos docente P. Druzbicki, dicere per respectum ad Paradigma positum, possumus: *Placet, quod intendi.* Vel: *Quæ intendi, rata habeo.* *In Negot. spirit. Indust. 6.*

Declaratio Terminorum in Formula Intentionis positorum.

QUoniam in præcedenti Formula Intentionis pene quot verba, tot pondera & mysteria reconduntur; placet illorum obscuritati lumen afferre sequentibus. Itaque Dicitur: *Toto me*; quod explanatum vide in hac Theologia Spirituali, parte ejus primâ secundæ, tract. 1. cap. 1. sect. 2. § 1. *Toto Universo*: vide ibidem § 2. *Toto JESV.* Ex dictis de Toto me, Toto universo, Toto Te, facilè colliges, quid intelligendum de ly: Toto JESU. *Toto Te*: vide ibidem § 3, *Credo Tibi*: vide parte secun-

dâ secundæ ad initium. *Obedio Tibi:* vide ibidem § 3. & 4. & 5. Et parte I. 2. tract. I. cap. I. sect. 2. § 4. & sub Obedientia. *Obedio Superioribus meis:* vide ibidem excepto § 3. & 4. in secunda secundæ. *Transformativè Imitor Te, JESUM maximè Crucifixum, MARIAM, Tuosque:* vide I. 2. tract. I. cap. I. sect. 2. § 5. Et sect: 4. subs: 4. Et 2. 2. § 6. 7. 8. 9. Ubi nota dictum: *Maximè Crucifixum;* quia etsi omnis Vita, & Passio Christi sit nobis proposita ad imitandum tanquam omnis perfectionis absolutissima idea, tamen quia per respectum ad nos potissimùm in eo, ut Crucifixo & Moribundo relucent perfectiones DEI, tum virtutes in eminentissimis gradibus (quod etiam intellige de Matre DEI dolorosa) ideo ad Christum Crucifixum maximè reflexio facienda, tanquam principale Objectum hujus Theologiæ Spiritualis. Nota quoque sub dicto *Tuosque:* intelligi specialiter S. Josephum, & Patronos tuos, tum alios DEI Electos in sua vita tibi ad imitandum propositos. Nota etiam præassertorum terminorum connexionem: Etenim actus salutaris in Voluntatem DEI tanquam in primum, & ultimum sui principium, seu Regulam resolvitur, adeoque fieri debet ex Obedientia erga DEUM; porrò DEUS obedire jubet Superioribus, Magistrisq; spiritualibus, illi verò quid jubere vel consulere debent, nisi imitari DEUM, Christum, Deiparam, Electos DEI in sequentibus? Nimirum ut homo ex amore DEI, JESU, MARIÆ, Electorum DEI, suo, & proximi, summo & ardentissimo (de quo vide I. 2. tract. I. cap. I. sect. 2. §. 6. Et infra de charitate in DEUM & proximum) *intensissimè desideret, intendat* (de hoc vide I. 2. tract. I. cap. I. sect. 2. §. 7. 8. Et sect. 4. subsect. I. § 9. sub circumstantia Cur) *ac humillimè oret,* &c. (de qua infra tit. Oratio) Dicitur: *Actiones, & Passiones,* sive supernaturales, sive indifferentes, sive liberæ, sive necessariæ, prorsus omnes quæcunque intendi possunt. *Nunc pro tunc,* id est, ut omnes actiones & passiones tuæ præteritæ, præsentes, & futuræ, sint in particulari quæque pro sua circumstantia temporis tali perfectione peractæ, quali eas nunc generali intentione peragis. Vide huc posse aliquomodo referri dicta I. 2. tract. I. cap. I. sect. 2. §. 9. 10. Dicitur: *Semel pro semper;* vide ibidem §. II. Dicitur: *Punctuali, imò anticipa-*

tâ, & protractâ, vel dilatâ morâ temporis. Vide ibidem §. 12. Dicitur: *Per modum quoque voti & sacrificii*: Vide ibidem §. 13. 14. Dicitur: *Heroicè*. Vide ibidem § 15. Dicitur: *Seraphicè, Marianè, Theandricè, Divinè*, id est Seraphico, Mariano Theandrico, Divino affectu, voluntate, perfectione; Vide ibidem § 16. Dicitur: *Sub ratione virtutis*, &c. ubi voluntas, quantùm ex se est, intendit, ut Actiones & Passiones quoque indifferentes sortiantur rationem virtutis supernaturalis, & vim gratiarum actionis, meriti, impetrationis, respectu finium supernaturalium. Potest enim una eademque Actio vel Passio per Intentionem voluntatis multiplicem sortiri bonitatem, ac perfectionem diversarum virtutum, & meriti, ut variis in locis potissimùm hâc *parte primâ secundæ* ostenditur. Dicitur: *Quæ Actiones & passiones, ac earum perfectiones*. Hi termini sunt relativi ad paulò ante dicta, nempe *ad eas, & cum iis perfectionibus*. Dicitur: *Fuerunt, sunt, & erunt*: id est respectivè ad ipsas Actiones & Passiones, quarum aliæ præterierunt, aliæ nunc sunt in fieri, aliæ futuræ sunt; cùm Divina voluntas sit eadem semper, nec præteritum vel futurum quoad se habeat. Dicitur: *Punctualiter* (id est, in supremo gradu conformitatis ad voluntatem DEI) *juxta misericordissimam*, (quia scilicet, non est volentis, neque currentis hominis, sed miserentis est DEI, prævenire hominem in benedictionibus dulcedinis, inspirando homini, quæ ipsi sunt summè salutaria, & DEO suisque gloriosa, nec permittere eum currere vias, quæ videntur illi esse rectæ, quarum finis tendit ad interitum, vel saltèm ad minorem salutis æternæ profectum) *summam*, (id est, ut illa gratia illustrans & inspirans ad executionem voluntatis DEI sit tanta, quantam ab æterno DEUS decrevit dare, nisi se illâ homo indignum faceret) *efficacem*, (id est, ut illis illustrationibus & inspirationibus Divinis, homo actualiter & effectivè cooperetur) *specialem*, (ut scilitet illæ gratiæ illustrantes & inspirantes non sint communes, sed extraordinariæ, solitæ dari magnis DEI Electis) *bonam, beneplacentem, perfectam voluntatem tuam* (id est, ut Actiones & Passiones hominis gratiis DEI misericordissimi summis, efficacibus, specialibus, adiuti, sint exactè conformes ad bonam, beneplacentem, perfectam voluntatem DEI, qui gradus Divinæ voluntatis describuntur hìc 2da 2dæ

§ 4. Ad animandum hominem in facienda intentione, præfixâ methodo maximè conformandi ad volūtatem DEI etiam præterlapsum vitæ tempus, aliàs contra & præter DEI voluntatem exactum, placet hìc afferre magnum spiritûs solatium ex vita S. Gertrudis lib: 3. c. 11. Hæc cum Christo colloquens dixit ad ipsum: *Pro omnibus delitiis exopto, ut tam in me, quàm in omni creatura, placitissima & laudabilissima voluntas tua perficiatur. Et ad hoc perficiendum quodlibet membrorum meorum sigillatim cuilibet pœnæ exponere paratissima invenirer. Cujus verbis benignissima pietas DEI, quæ aspirando prævenerat, subsequendo remunerans, sic respondit: Ex quo tantæ devotionis affectu voluntatem meam promovere studuisti, ecce secundùm assuetam mihi benevolentiam remunero conatum tuum hoc dono; Tibi præstans, ut ita placita appareas oculis meis, quasi nunquam vel in minimo meam præteriens voluntatem.* Dicitur: *Simulq;*: Est conjunctio sequentium cum antecedentibus, ut ab eisdem suas intentas perfectiones, & quæque meliora participent. Dicitur: *In unione Amoris &c.* Quia DEUS quidquid agit, Christus, & Deipara egerunt, passique fuerunt, id totum ex amore, in amore, propter amorem egerunt & passi sunt, nunc agunt, & in æternum agent. Vide etiam 1. 2. tract. 1. cap. 1. sect. 2. §17. Dicitur: *Per Cor & Manus &c:* Ibidem. Frequens quoque memoria est taliter faciendæ Oblationis in Revelationibus S. Gertrudis seu in libro insinuationum Divinæ pietatis. Vide ibi quæque nobilissima ad altitudinem æternæ salutis. Collige etiam ex dictis part: 1. Theol: Spirit: cap: Quid enim non sublimabitur transiens per Divinissimum Cor & Manus JESU? Dicitur: *Ad Tuam, JESU, & MARIÆ, meam, Tuorumq; Gloriam:* cujus multiplicis gloriæ vide explanationem in parte tertia hujus Operis sub Finibus *Cui.* Dicitur: *Ratumhabendam, ponendam, & obtinendam:* Vide hæc declarata 1. 2. tract. 1. cap. 1. sect. 2. §18. & sect. 4. §9. sub circumstantia *Cur.* Dicitur: *In actuale exercitium omnium virtutum.* Vide 1. 2. tract. 1. c. 1. sect. 2. §19. & §20. Reliquæ particulæ Intentionis sunt clariores, & hoc toto Opere suis locis explanantur.

Nota, si in præmissis Intentionibus aliqua tibi ad speciem absona apparuerint, ea prudenter intelligenda vel interpretanda sunt V. g. Actio Lectionis, vel Comestionis DEO non convenit sed tibi; ita tamen, quòd possis eam modo Divino, seu Divino affectu, id est, ex amore DEI ad ejus Gloriam facere: sicut DEUS omnia ex amore sui ad sui Gloriam operatur.

Sexta Circumstantia: Quomodo.

HÆc circumstantia non solùm innuit modum, sed & modificatum, id est non tantùm accidentalia, verùm & substantialia prædicata actûs salutaris, quomodo scilicet hic exercendus. Igitur quantùm ad substantialia actûs hæc infra sub quâlibet virtute ponuntur, ubi actus interni & externi, præcepti & consilii quoad suam essentiam exprimuntur. Quantùm concernit quasi accidentalia actûs salutaris, horum aliqua sunt necessaria simpliciter, v. g. fides, obedientia &c. alia tantùm necessaria propter melius & perfectius esse actûs salutaris, v. g. imitatio DEI, Christi, DEIparæ, Cælitum &c. ut dictum *supra*, & patebit *infra*. Deinde advertendum est accidentalia actûs salutaris aliqua transire in substantiam actûs dupliciter: *Imo*, quòd actum specie suâ indifferentem constituant in specie actûs moraliter boni, sicut v. g. circumstantia intenti finis gloriæ DEI, indifferentem actionem sumendi cibi & potûs constituit in ratione dilectionis DEI. *2do*, quòd actui in sua specie bono superaddant aliam bonitatem specificam, sicut v. g, actui Religionis ex intento fine obsequendi DEO, & promovendæ gloriæ DEI superadditur bonitas obedientiæ & dilectionis DEI. Aliqua accidentalia actûs salutaris non transeunt in substantiam actûs, nisi quòd accidentaliter perfectiorem reddant, qualis est v. g. major intensio duratioque actûs. *I. 2. tr: I. c. I. sect: 2. & 2. 2.*

Porrò ejusmodi perfectiva, imo & effectiva actûs salutaris, sunt fides, obedientia erga DEUM & superiores, imitatio DEI, Christi, DEIparæ, Cælitum &c. Quæ qualiter se habent ad actum salutarem dictum supra, & vide infra *2da 2dæ*. Cæterùm pro confirmatione & declaratione dictorum, insero hìc Industriam binam, quâ modum in actionibus servandum docet, *R. Pater Druzbicki Soc: JESU.*

Industria Prima.

Modus & regulæ unicuique operi assignandæ, atque in ejus executione servandæ.

MOdi nomine intelligimus, observationes & veluti regulas cuilibet operi competentes, quarum diligenti observati- *P. Druzbicki Negot. Spirit: Ind. 2,*

vatione fiant opera non tantùm bona, ſed etiam perfecta, etiam ornata, etiam meritis fœcunda, & animam ditantia, conſequenterque DEI guſtui, atque placito valde grata: hæ obſervationes ſeu regulæ triplicis generis eſſe poſſunt. Quædam præſcripta à Religione, aut ab aliqua ſimili authoritate, cui ſit obediendum. Quædam à natura rei profluentes. Quædam ſponte à nobis ex devotione noſtra deſumptæ, & nobis in tali, vel tali opere ad obſervandum injunctæ. Atque hæ triplicis generis obſervationes, aliquando aliquæ tantùm ex eis v. g. actio comedendi, habet à Religione præſcriptam obſervationem, ut præmittatur ei benedictio, & ſequatur etiam gratiarum actio, item ut dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animæ refectio tribuatur. Eadem actio habet à natura ſua, præſcriptam regulam temperantiæ, ut in cibo non gulæ, non voluptati, ſed neceſſitati & ſufficientiæ ſerviatur. Eadem inſuper actio habere poteſt obſervationes eas, quas quiſque ex ſua devotione & pietate ſibi præſcribit. Quomodo S. Gertrudis ex Chriſti conſilio, omnem bolum ſumendo, in Chriſti ſanguine intingebat. Beatus noſter Aloyſius ad prandium recolebat fel, & acetum Chriſti, eoque condiebat cibos ſuos, ad cænam Chriſtum cænantem cum ſuis Diſcipulis habebat propoſitum. Hæ ultimi generis obſervationes in bifariam dividi poſſunt. Aliæ namque ſunt veluti ſubſtantiales operi bono, & meritorio, quatenus tale eſt, ita ut niſi illæ adſint, opus parum valoris ſit habiturum, cujusmodi ſunt, ut opus ſit vel ex natura ſua bonum, ſive honeſtum, vel ſaltèm non malum, ſed indifferens & capax honeſti finis. Item ut ſit rectâ intentione factum, & eâ quidem ſupernaturali. Item ut ſit ab homine in gratia poſito &c. quas obſervationes quàm ſit neceſſè adhiberi, ad operum executionem, vix attinet dicere, cùm res ipſa loquatur, ita ſiquidem ſe habent, ut ad medium illud genus ex tribus revocari meritò posſint. Aliæ porrò ſunt non jam ſubſtantiales, & neceſſariæ, ſed veluti exornativæ: quæ ſuppoſitâ bonitate & ſupernaturalitate operis, illud inſuper ornant variis virtutum actibus, variis piis affectibus, quos ſuggerit pia & devota placendique DEO cupida voluntas. In quibus ipſis adhuc ſunt gradus, & celſitudines ſublimitateſque defœcatæ

tæ, in spirituali vita non incognitæ, quæ operibus nostris adjunctæ non possunt non magnum illis pretium & pondus, & meritum afferre, consequenterque eximiè animam ditare, & ditatam DEO insuper gratam ac gratiosam repræsentare. Namque cui dubium esse potest, plus DEO placere, defœcatumque magìs esse opus perfectum ex charitate DEI, quàm ex servili timore, aut ex præmii æterni cupiditate?

Præsens igitur industria hoc præcipuè vult, ut amator profectûs sui Spiritualis, in singulis actibus suis ordinariis atque notabilioribus, habeat certas praxes, & observationes, quas in eis observet, ex quibus actiones illas, modo quodam supererogatorio exornet, gratioresque DEO, & sibi fructuosiores faciat. Industriæ istius exempla vix ullo in sancto desunt. *Sancta Gertrudis* ut in Divinæ pietatis insinuationibus refertur, nihil quoque unquam videtur egisse absque hujusmodi industriis: inter has fuit illa una, ut quoties esset alicui locutura lingvam suam in Christi sangvine intingeret, ut sic lingva purificatior & sermo efficacior esset. Talia verò plurima in dicto insinuationum libro reperiet, qui volet, atque ad eorum normam pro suo spirituali gustu, multa sibimet in suis actionibus observanda deliget. Pater Jacobus Alvarez vitæ spiritualis Magister, inter primos clarus, in hoc genere industriæ explicando bene magnum volumen insumpsit, omnia quæ à nostræ Societatis hominibus, diebus, hebdomadis, mensibus, semestribus, annis singulis, obiri solent opera, recenset, & quâ unum quodque perfectione obiri possit, satis exactè docet, ita ut qui ejus præcepta observet, nihil magnopere in suis operibus desideraturus sit, quod ad perfectionem desit. Quanquam & ille his, quæ dicto volumine docuit, nemini interclusit facultatem alia & alia excogitandi, quæ pro sua pietate, in suis operibus & actionibus observet, quin potius etiam modum ad talia invenienda aperuit, dummodo sit, qui hâc industriâ uti non gravetur. Atque ut hâc de re expresliùs quid dicamus.

Amator sui profectûs, habebit certas observationes, quas observet, dum è lecto consurget, dum se vestibus induet, dum orationi initium dabit, dum orabit, dum ab oratione recedet, habebit

bebit certam rationem Missæ audiendæ, examinis faciendi, coronam Beatæ Virginis recitandi, cibum capiendi, foras vel è cubiculo, vel domo prodeundi. Habebit certas observationes in confessione suorum peccatorum, in recitatione officii Divini, in præparatione sui ad Missam, in confessionibus aliorum audiendis, in adeundis proximis & alloquendis, in concionibus parandis, & dicendis, in lectionibus parandis & docendis. Habebit certam rationem recollectionis hebdomadariæ, & menstruæ, ac semestris, & annuæ faciendæ. Habebit certam rationem certas festivitates Ecclesiæ celebrandi, ut sunt tempus Adventûs, Quadragesimæ, Rogationum, Quatuor temporum, Festa quoque Natalis Christi, Circumcisionis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, nec non Festa Beatæ Virginis, Festa Patronorum &c. Has istorum & similium operum obeundorum rationes, unusquisque vel excogitabit ipse, vel ex Patribus spiritualibus discet; nam hic illas poni à me, & longum esset nimis, ac præter hujus tractationis propositum, ac præterea frustra hic labor assumeretur, quia non omnia omnibus sapiunt, & præstat in hoc genere permittere, ut quisque in suo sensu abundet, suoque palato serviat.

Quæret aliquis, quænam potissimùm censeam in operibus nostris prædictis observanda, & ad quæ in hisce observationibus respiciendum sit? Respondeo imprimis: Non probare me, ut multæ observationes fiant: hæc enim res est onerosa & fatigat: fastidium deinde parit, contemptum tandem, ac denique neglectum. Paucæ igitur atque selectæ designentur, quæ commodè fieri possunt suo tempore, neque opus sit festinanter ac tumultuosè fieri. Addo deinde in actionibus primum locum deberi observationibus, quæ sunt vel ex natura rei, vel ex præscripto Religionis, obedientiæque alicui actioni annexæ, quibus ubi fuerit satisfactum, & alias insuper addere placuerit, tum id fiat. Ac præcipuus primusque locus sit Intentioni bonæ, quæ quò erit purior, tantò melior. Intentioni succedat prævisio occasionum tam peccandi, quàm merendi in opere faciendo. Quodsi hæc prævisio non est necessaria, eò quòd jam hæ occasiones aliàs sint notæ, succedat propositum, de eis vitandis, quæ sunt ad malum, arripiendis, quæ ad bonum. Atque hic potissimùm cuperem

haberi

haberi rationem, vel ejus vitii, cum quo examine particulari menſtruòve exercitio pugnatur, vel ejus virtutis, quæ ſimiliter per ſingulos menſis dies ad exercendum aſſumpta eſt. His ſi placebit addere exercitationem fervoris, ac intentionis ſeu applicationis, ac diligentiæ in agendo, exemplum quoque ſeu imitationem Chriſti, aut Beatæ Virginis, aut certi Sancti, honorem quoque Sancti cujuspiam, oblationem ſui, impetrationem aliquarum rerum ſibi aut aliis, ſatisfactionem pro aliis, pro ſe, vivis, mortuis. Hæc omnia utiliter fient, modò ne longo tempore cum fatigatione, feſtinatione, ſed ſeriò, breviter, devotè fiant; præſtat alioquin pauca benè & ſtrenuè facere, quàm multa tumultuariè & faſtidioſè, quia actus unus intenſus, pro mille remisſis facit. *Et infra.* Quis credat in dicendo Sacro tot poſſe devotiones (ut vocant) obſervari, quot, ſi in unum congregentur, poſſent Sacrum ipſum quod dicitur, mole ſua exæquare? obſervari autem ita, ut nulla ſit temporis prolongatio, nullum per hoc præjudicium reverentiæ, attentioniq́ue ad ea, quæ in Sacro dicuntur, aguntùrve, fiat, quin potiùs ut per hoc & augeatur devotio, & excitetur reverentia, & attentio innovetur, & fructus ingens animæ proveniat? Hoc inquam vix credibile videtur, & vix poſſe cum iis, quæ in Miſſâ dicuntur agunturque conſiſtere, præcipuè, nihil ad mediam horam Sacrò præſcriptam, temporis addendo, & tamen id fieri poſſe, ac ſolere ab iis ſcio, qui facere ſolent, neque operæ pretium mentiendi habent. Quòd ergo fit ab aliquibus, cur non ab omnibus perfectionis & negotiationis Spiritualis amatoribus? & quod fieri poteſt, in hac una ſatìs per ſe difficili, & totum ſibi hominem vendicante actione, cur non posſit fieri in aliis, vel ſimilibus, vel minùs etiam hominem totum deſiderantibus? Poteſt abſque dubio, modo non deſit conatus, induſtria, prudentia, perſeverantia: quæ ſi adfuerint non patietur ſe deſiderari avida talium laborum Divina gratia.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt, facilè concludi poteſt, quanta ſit & utilitas & necesſitas hujus induſtriæ iis, qui perfectionem amant: hæc enim eſt una ex præcipuis rationibus proficiendi in Spiritu, virtutes exercendi, merita conquirendi, interiùs operandi, aſſiduè cum DEO agendi & verſandi, otioſos & inu-

inutiles actus devitandi, perfectos autem & sublimes multiplicandi. Hæc etiam ratio est una animam propriam semper in manibus suis tenendi, ejusque profectus & defectus, quasi in numerato habendi. Dum enim cuique actioni peragendæ, certos homo habet modos, ut primum in modum oculos mentis conjecerit, & actionem ad eum comparârit, illico perfectionem actionis, statimque profectum suum & vigilantiam cognitam & perspectam habebit, unde perpetuus ei erit stimulus aut ad perseverandum, si proficere se advertit, aut ad acriùs vigilandum, si deficere aut negligere aliqua cognoscet. Quòd totum maximi est in vita Spirituali, momenti. *Hæc P. Druzbicki.*

Industria Secunda,

Per partes assuescendum observationibus in Actionibus, ut vitetur fatigatio & actuatio.

PRæmissa proximè industria hanc obiicere solet, eâ uti cupientibus, difficultatem, quam etiam, ibidem perstrinxi, quòd videatur laboriosa & multiplicatæ reflexionis, itaque obnoxia fatigationi capitis, viriumque, ac instrumentorum per quæ anima nostra operatur. Huic difficultati, necnon aliis similibus, quæ sese etiam in aliis industriis offerent, obviat & medetur præsens industria.

Nè igitur hâc observatione observationum fatigemur atque obruamur, hæ servandæ erunt velut regulæ atque hic tenendus modus.

Prima: Non multiplicentur observationes dictæ in operibus, nec multæ iis apponantur, sed tantùm tot, quot faciendis sufficere possumus, imo etiam non tot, sed pauciores, præstat namque paucas, diu vel perpetuò facere, quàm multas aliquamdiu tantùm, posteaque deficere, & nec illas, nec ullas posse exercere. Qualem etiam regulam dant Magistri Spirituales in mortificationibus externis, quas tales esse oporet, ut diu adhiberi possint, hoc est præstat eas breves esse & frequentes, quàm longas & graves, & esse raras: graves enim semel vel iterum adhibitæ, frangere sic vires possunt, ut postea vel nunquam vel diu fieri non possint, imo nec aliæ leves sustineri. Breves autem & moderatæ, etsi frequen-

frequentes, nunquam ita vires atterent, quin repeti valeant. Itaque graves illæ, vires corporis frangent, rebellionem autem sensûs & passionum non edomabunt. Sanctus Bernardus)) Imò dum fracto corpori indulgendi necessitatem inducent, & sensui, & passioni robur dabunt. Breves autem ac modestæ sensum, & passionem sensim compescent, vires non frangent, sicque & hostem expellent, & civem servabunt. Gregorius.)) Consimilis etiam est regula in observationibus asservanda.

Secunda. Ut observationes dictæ, quoad fieri potest ejusdem generis seu speciei, vel omnibus, vel pluribus actionibus accomodentur. Sic enim fiet, ut observationum istarum usus in una actione, evadat facilior in altera actione, atque ita uno eodemque labore assuefiat animus iisdem observationibus observandis in ordine ad plures actiones. v. g. Intentionis renovatio assignetur observanda, in matutina surrectione, in oratione, tum sacri auditione, in studiorum initio &c: Inde fiet, ut in decursu harum actionum usus renovandæ Intentionis, quando surgitur è lectò, valeat ad duo minimùm. *Imo* valebit ad hoc ut etiam crastinâ die, dum surgetùr, Intentio renovetur & sic deinceps. Aliquot enim diebus, vel hebdomadibus Intentio renovata inter surgendum, sic insuefaciet mentem & memoriam hominis, ut deinceps quotiescunque surget, semper etiam cogitatio renovandæ intentionis in mentem labore nullo, sed quasi naturaliter innovet Intentionem. *2do* valebit ad hoc, ut etiam in sequenti opere v. g. in Meditatione innovet Intentionem facilè, minùsque in ea laboret, & sic deinceps. *3tio* Ut observationes dictas, non laboremus in omnibus simul actionibus diurnis etiam usurpare, sed sensim, id, & per partes faciamus. Assumantur initio actiones duæ, vel tres Divinæ; iis observationes modo jam dicto assignentur: assignatæ aliquanto tempore, hoc est per unam, alteram hebdomadam aut mensem usurpentur: ita ut usurpatio illa sine labore fiat, ut ad eam spontè se mens excitet, ipsaque sponte suamenti occurrat semper, quoties aliqua ex illis actionibus duabus vel tribus agenda erit: ubi jam ad tres actiones sic assueverimus dictis observationibus, assumamus rursus alias tres, & priores non intermittendo, his etiam novis, eodem modo per aliquot hebdomadas

madas insuescamus, & posteaquam his quoque insueverimus, iterum alias assumamus, & observationes in eis observare itidem ea ratione condiscamus, donec omnibus actionibus, quibus volumus, assuescamus. Talis modus servatus nullam fatigationem inferet viribus, nunquam enim labor assumetur major, quàm fuerit initio ad tres primas actiones assumptus; cùm enim ab assuetis non fiat passio, & quibus insuevimus non fatigemur (quod præcipuè in mentalibus actionibus verum est) hinc fit ut initio tantùm circa tres actiones laboremus, quo labore in assuetudinem & facilitatem verso, tum circa alias tres novas actiones laboramus, tantùm circa has tres laborem habemus, circa priores verò nihil fatigamur, quia jam ex habitu & facilitate operamur. Et sic deinceps discurrendum est. Atque hæc regula servata, omnem indiscretioni, atque actuationi aditum præcludit. *4to* Ut actiones, in quibus observationibus nostris uti volumus non sint minutæ, sic enim fatigatio non evitaretur, & vis fieret capiti, exhaurirentur spiritus animales & vitales, nimia & nimìs frequenti continuaque actuatione, quod periculum in vita & B. Aloysii & Joannis Berchmanni nostrorum, observatum à Patribus Spiritualibus legimus, sed non perinde ab *illis Beatis animabus* declinatum. Sint ergo actiones observationibus nostris exornandæ, graviores & notabiliores, non nimìs multæ, non nimìs breves, sic namque fiet, ut vitetur multitudo, continuatio, actuatio, fatigatio: fiet verò ut actiones obeantur prudenter & perfectè, observationes verò usurpentur suaviter & discretè. *5to* Ut harum observationum nostrarum non simus servi & mancipia, neque auari & scrupulosi earum à nobis exactores, neque si eas, vel aliquas earum omitti aliquando contingat, ob id nimiùm simus anxii, agamus talia in spiritu libertatis, & ejusdem ingenuitatis, quodsi subnascentem in nobis morosam solicitudinem adverterimus, ejus remedium sit omissio talium observationum, saltèm ex parte & aliquarum, earum præsertim, quarum omissio nos pungere videtur, aut si omissio cui dura videtur, non omittat, sed permutet aliam in aliam, aut certè differat aut transponat, ut ita suum jus in his retineat, & sub devotionum suarum non redigatur potestatem. Anxietatis enim illius, si à rationis & prudentiæ moderatione

tione remedium esse non potest, præsentissimum remedium est illa omissio vel commutatio, quorum utrumque est etiam aliquando remedium opportunum vanæ gloriæ subnascenti ex observationibus, (vel aliunde) istiusmodi reprimendæ, si quis enim sibi complacet, ex eo quòd consuetudines suas: (loquor de spontaneis, non autem de præceptis ab Obedientia & natura rei ipsius,) diu & exactè servet: is prudenter faciet, si eas vel omittet vel immutabit, vel transponet. Quod si damnum metuit meriti, tum vel aliter supplebit vel ipsa omissione ob dictam causam, se hoc ipsum meritùm lucraturum sciat, neque hoc è diabolo cedere, sed potius diabolo & vanæ gloriæ resistere, occasionemque intumescendi conscientiæ aufferre; quia enim ex continuitate observationis efferebatur, eadem si se aliquando omisisse recordabitur, elationis occasionem non habebit, quod est non tantùm diabolo resistere, sed etiam periculi imposterùm creandi, illi materiam subduxisse. *6to* Imò verò expedit hoc etiam in dictis observationibus servare, ut non semper serventur, sed aliquando immutentur, ut fastidium vitetur, ut mutatione mens & fervor renovetur, & perfectioribus exercitiis (quod notandum) locus detur; neqne enim semper omnia nobis occurrent: imò DEI mos est, ut ab imperfectioribus ducat ad perfectiora, imò adhuc experientia constat; unam eandemque veritatem, quæ sat clarè videbatur esse penetrata, postmodum auctâ desuper à Patre luminum luce, longè sublimiùs penetrari, & ex ejus penetratione practicas conclusiones atq; observationes deduci, & actionibus apponi posse. Quare hic etiam habet locum illud, ut non simus servi nostrarum devotionum, observationum & consuetudinum id enim fieret magno animæ damno, & magno (ut ita dicam) gratiarum Divinarum in nobis vel impedimento, vel contemptu, semper hærendum esset in incipientium statu, aut cum eo ad altiorem viam pergendũ quod necessarium non est, imò frequenter absurdum. Itaque si ad perfectiora nos DEUS vocet exercitia, non vereamur relinquere imperfectiora. Cùm essem ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cùm autem factus sum vir, evacuavi ea, quæ erant parvuli, *ait Apostolus*: quidni & nos ejus exemplo faciamus. *7timo.* In observationum istarum (idem in quotidiano omnium nostrarum pri-

vatarum devotionum, & exercitationum uſu, locum habet), Uſurpatione vitandum eſt, ne propter noſtras Spontaneas & voluntarias obſervationes, negligamus ab Obedientia, vel à natura rei præſcriptas ſive obſervationes, ſive actiones, id enim eſſet non proficere, ſed deficere, id eſſet propriæ voluntatis mancipium fieri, & obſervationibus ſuis ſervire. Illa Chriſti regula ſervanda eſt. *Hæc oportet facere, & illa non omittere*, alioquin objiceretur nobis meritò quod Phariſæis: *Quare vos propter traditiones veſtras tranſgredimini mandatum* DEI? In hoc peccant illi, qui v. g. propterea, ut officium de Conceptione recitent, tempus Spirituali libro, meditationis præparationi, examini conſcientiæ deputatum ſuffurantur. Similiter & illi, qui devotionibus ad menſam attendunt, lectioni autem menſæ aures non dant, neque ex ea fructum capiunt. Item illi, qui in externis occupationibus peragendis, ad ſuas internas devotiones abſorbentur, & exteriùs imprudenter contra judicium cum damno, cum aliorum moleſtia operantur. Horum mores probare non poſſum, neque ſectandos cuiquam ſuadeo, quippe hi mores, & diſciplinæ, & ordini & obedientiæ adverſantur, ſcandalis, ſchiſmatis, ſermonibus occaſionem dant, & ipſis eorum actibus, ad nihil niſi fortè ad ſuperbiam, illuſionem & ruinam proſunt.

Quæ in hac induſtria explicanda tradimus, ad eum præcipuè fructum nobis pariendum conducent, ut in exercitiis noſtris Spiritualibus ſecurè diſcreteque progrediamur, tum ut cum facilitate, imò & cum celeritate in eis proficiamus, etſi enim hic videtur modus lentior, per modicos quæſtus opes Spirituales corradere, eſt tamen velocior oppoſito agendi modo. Celeriùs is certè currit, qui lento quidem & æquali & continuato ad finem uſque viæ curſu currit; quàm is qui initio quidem feſtinavit, ſed ipſa feſtinatione fatigatus, de curſu deſiſtere ob virium defectum ad peragendum coactus eſt. Ille enim tandem ad finem viæ perveniet, iſte autem finem itineris nunquam attinget. Sat citò, qui ſat bene, neque ſat citò qui nunquam. *Hactenus P. Druzbicki.*

Septima Circumſtantia : Quando.

EX circũſtantia Temporis maximè pulchrima rerum harmonia

ſuis

ſuis coordinata temporibus conſurgit. Unde ſapiens: *O-* *Eccles. 3.*
mnia tempus habere aſſervit. Et quidam inquit; *Omnia ſuo percepta, recreant, tempore.* Quod in exercitio virtutum ſatis notum perſpectumq; eſt. Atque hæc eſt commendatisſima induſtria vitæ ac negotiationis Spiritualis vita ordinata, ſeu quoad tempora & actiones vivere ordinatè prout vir divinus *Druzbicki* aſſervit hiſce. *Negot: ſpirit: Induſt. 1.*

Nihil hic ago, de Ordinis commendatione, ex libris hæc peti aliis poteſt, mihi aliud propoſitum eſt, ſatis eſt, quòd ordo ſit anima rerum. Quantum corpora ſine animabus, tantum res & actiones, ſine ordine precii habent, & utilitatis. Prudentiæ non poſtremus labor eſt, ordinem curare, inſtituere, ſervare. Conpendiū quoque maximum in rebus eſt obſervatio ordinis: neque ſolùm compendium, ſed etiam decorum & ornatus, ab ordine rebus advenit: Tolle ordinem in membris humanis, monſtrum eſt, tolle ordinem, in ædificiorum ſaxis, acervus eſt; ſic de aliis. Præcipuè tamen ordo invenit ſibi locum atque domicilium in cætibus, ac domibus, ac Perſonis Religioſis, adeo ut etiam Ordines vocentur Religioſorum Cœtus, non alia de cauſa, quàm quia in Religionibus, præcipua eſt cura Ordinis, quæ ſi non ſit, Religioſi Cœtus Religioſorum nomen non merentur; ut proinde amor, cura, obſervatioque Ordinis, Religioſis tam cœtibus, quàm Perſonis commendatisſima eſſe debeat, ac inter alias obſervantias hæc maximè obſervanda.

Dicimus ergo *Exercitatori Chriſtiano* maximam curam eſſe habendam Ordinis, ſi vult proficere in virtutum ſtudio, & alia commoda conſequi, damnaque non perpeti evenientia his, qui Ordinis aut non ſtudioſi, aut incurii ſunt. Eſt autem Ordo obſervandus duplex: *Alius ſtatûs & officii, alius perſonæ ipſius.* v. g. *Collector.*
in ſtatu Religioſo, alius eſt Ordo Religionis, alius Religioſi ipſius: Religionis Ordinem illum voco, quem Religio præſcribit, vel omnibus, vel penè omnibus. Talis ordo eſt, certâ horâ ſurgere, poſt ſurrectionem tantum temporis immediati præparandæ orationi ſeu meditationi impendere, per horam meditari, tum ſacro intereſſe, deinde ſtudiis operam dare. Religioſi Ordinem voco illum, quem ſibi ipſe Religioſus, pro ſuo uſu, & libitu à ſe ipſo ſeruādū præſcribere, debet ita tamē ut nō prætereat

Ordinem illum Religionis, sed eo supposito, atque salvo, suum ei adjungat. Cujus ratio hæc est: quia enim Religio non potest, neque etiam debet, unicuiq; personæ suæ, præscribere Ordinem minutum & particularem omnium agendorum; id enim nulla ratione commodâ fieri potest à Religione, aut â Prælatis Religionis, potest autem à Religioso ipso; ideo Religiosus ipse, debet sibi hunc Ordinem præscribere particularem. Exemplo fiet res clarior. Religio præscribit personæ, ut Concionatorem agat, huic illa dat suum illum Ordinem prædictum communem omnibus surgendi, meditationem parandi, eandem faciendi, sacri dicendi, examinandi conscientiam &c. Sed tempus & ordinem studendi, Patres legendi, concionem parandi, scripturam ipsiusve interpretes legendi, Horas Canonicas dicendi, extra ordinem, orationi mentali aut vocali vacandi, librum spiritualem pro sua ædificatione lectitandi, à laboribus conquiescendi templi visitandi &c. Religio non præscribit, neque potest, neque tenetur, relinquit hoc Concionatori seu personæ, ut ipsa sibi, hunc Ordinem actionum, & temporum actionibus deputandorum præscribat.

Par sit de illis, qui à Religione superiores, Professores, Magistri, Confessarii, temporalium offfciorum curatores constituuntur, omnibus enim hæc industria, per se ipsos conficienda, à Religione relinquitur, quam industriam, *Ordinem temporum* & *actionum* possumus appellare, in quo cupio & suadeo, ut Religiosus sui profectûs amans, ita tempus arbitrio suo à Religione relictum ordinet, ut cuique tempori assignet actionem certam, illo tempore peragendam, & nullatenùs differendam, nisi necessitas, obedientia, charitas exigat oppositum. Sub hoc porrò temporum & actionum, privato & personali ordine, comprehendi cupio à Religioso, atque ordinari non solùm tempora notabilis quantitatis, aut actiones longioris durationis, sed etiam minuta tempora & opera, quæ micæ & fragmenta temporum dici possunt. Meminerit itaque hasce micas temporum notare, & cuilibet earum, actiunculam aliquam seriam (cuperem autem piam, & ad DEUM directè ducentem, aut mentem recolligentem sibique reddentem) juxta tempus illud peragendam assignare, citrà tamen notationem aliorum, citrà fatigationem virium, citrà occupationum

publicè

publicè incumbentium detrimentum ac impedimentum, sed suaviter, & modo soli DEO noto, ab aliis autem vix notando. V. g. Illud tempus quod insumis per curritorium à tuo cubiculo ad alium quempiam locum, quo aut vagè circumspiceres, aut otiosa cogitares, impende brevi tuimet recollectioni, impende intentionis renovationi, impende actuum, vel charitatis in DEUM vel humilitatis tui, vel resignationis repetitioni, impende alicujus rei postulationi, impende virtutis menstruæ actui, impende propositi in oratione facti innovationi, impende practicæ operis præmeditationi, quod acturus vadis. Cuicunque ex his exercitiis piis, fragmentum illud temporis impendes, absque fructu tuo non impendes. Atque si id cuilibet tuo per curritorium transitui condimentum addideris, tu ipse judica, quot, & quantis, & quoties in unam diem, mensem, annum, meritis profectibusque animam tuam locupletabis, quotve actibus, virtutis habitum in te radicabis & firmabis?

Explicatus hactenus Ordo temporum & actionum si à Religioso, ea, quâ par est diligentiâ servetur semper, inter alias plurimas commoditates, quas parturiet, afferet etiam hanc, quia semper constabit Religioso, ratio vitæ suæ, semper habebit animam in manibus suis, ad otiosa nunquam vacabit non dico opera sed etiam verba & cogitata, nulla illi erit in suæ conscientiæ discussione difficultas, denique semper spiritu mentis suæ innovabitur, quod experiētiæ remitto. Quāta verò sint à Spiritualibus viris librisque discenda, non à me hic explicandum puto. *Hactenus P. Druzbicki.*

Verùm majoris animi addendi gratiâ ad praxim disponendæ suæ vitæ ad circumstantiam ordinata temporis prælucet nobis exemplo *Beatissima Virgo*, quæ relatore S. Bonaventura ex D. Hieronymo hanc sibi regulam statuerat; *Ut à mane usque ad horam tertiam orationibus insisteret; à tertia usque ad nonam, externo opere se occuparet: à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quousque dum illi Angelus appareret, de cujus manu escam accipere solebat, & meliùs in DEI opere & amore proficiebat.* *S. Bonav. Medit. vit. D. Christ. c. 3.*

Ordo

Ordo Temporum & Actionum Particulariùs explicatur.

DIvidimus Tempus cum sibi proportionatis actionibus salva tamen ratione Temporum, & illis alligatarum Actionum ex vi statûs & officii proprii.

Primò, in *Prius & Posterius Tempus.* Et ita ordinariè Priùs se debet Christianus exercere in virtutibus viæ Purgativæ, postea Illumiativæ, tandem Unitivæ. Tum priùs in actibus vitæ Activæ, posteaContemplativæ, ac deinde Mistæ. DEUS enim & natura ordinario cursu ab inferioribus & imperfectoribus ad superiora & perfectiora gradatim in dispositione naturali sive supernaturali universi ejusque partium progreditur. Deinde priùs oportet se disponere circa Finem vitæ Christianæ, postea circa Media. Ne incertum terminum more fatui currat, sed bravium æternæ vocationis, intentionis oculo aspiciens, ad illud contendere festinet mediis virtutum proportionatis. Denique ex ipsis mediis priùs debet ea sumere, quæ obstacula removeant progressûs ad perfectionem, tale medium est contemptus mundi. Atque priùs jacere fundamentum virtutum, quale est humilitas, odium, & contemptus sui. Postea tandem accedere ad media propria viæ Purgativæ, nempe Pœnitentiam & mortificationem sui.

2do, Tempus dividitur in *Omne, & aliquod Tempus.* Omne tempus intelligitur non Physicè, quasi nullum omittendum foret momentum temporis, quo non esset exercendus v. g. Amor DEI: hæc enim possibilitas & felicitas est Beatorum in Patria; sed intelligitur omne tempus moraliter, quatenùs omni data opportunitate, pro ratione possibilitatis fragilitatis humanæ aliquid ex modò dicendis exerceatur. Atque ita inPurgativa existens incipiat assuescere semper ad præsentiam DEI, sed ut iratissimi Judicis impœnitentibus, pœnitentibus verò ut misericordissimi Patris, unde pœnæ peccatorũ & temporales & æternæ erunt replicandæ,quibus punit peccatores idẽ justus judex,& à quibus liberat justificatos idem misericors Pater. Tum eliciendi Actus Timoris DEI, odii peccatorum, doloris, exprimenda suspiria, lachrymæ, tamen sine ostentatione pro venia delictorum &c. obtinen-

da

da gratia ad cavenda mala culpæ imposterùm. Similiter in via Illuminativa ob oculos semper habenda præsentia DEI ut munificentissimi Patris & Benefactoris præmiantis merita hominum ultra condignum tanto bono, nempe se ipso, aliisque vitæ huius & futuræ divinissimis donis, gratiis, bonis; atque pariter exercendi actus spei. Denique in via Unitiva semper tibi præsentem habebis seu contemplaberis DEUM ut summum in se bonum & pulchrum, illumque ardentissimis prosequeris Amoris, amicitiæ affectibus, & ex isto amore alia quæcunque geres. In quo puncto *Omnis Temporis*, vide exercitia designata apud *Iacobum Alvarez de Paz* de vita Religiosè instituenda, unde quisque pro suo statu proportionata applicabit. *Aliquod Tempus* intellige, nempe quod v. g. in via Purgativa existens non omninò te debeas alligare, omni tempore, quo manes in eadem via, ad ipsius propria exercitia motivorum & virtutum, sed posse te, imò expedire, ac debere aliquibus quoque certis temporibus, (maximè si ad hoc urget instinctus S. Spiritus, vel pro meliori tuo esse videbitur) assumere exercitia præcipuè motivorum viæ Illuminativæ, aut Unitivæ, nempe actuum spei, vel charitatis, & ex eis exercere actus pœnitentiæ aut mortificationis. Legere denique ac meditari de pertinentibus ad easdem vias, ut ita ad ipsas, sensim te disponas. Similiter expediet ab altioribus exercitiis v. g. viæ Unitivæ ad inferiora aliarum viarum aliquando descendere, vel propter rationem humilitatis, vel si intepueris, quatenùs occasione motivorum ex quatuor novissimis desumptorum exciteris ad reassumendum fervorem progrediendi urgentiùs in vita Spirituali. *Sect. 6.*

3tiò. Dividitur *in Determinatum, & non Determinatum Tempus* Determinatum Tempus est, quod pro certis quibusdam ordinariè determinatur seu deputatur actionibus, vel ex natura rei, vel ex vi statûs & officii, vel ex propria electione. Subdistingvitur autem 1mo in Nocturnum & Diurnum. Diurnum in Matutinum Meridianum, Vespertinum. Item Nocturnum & Diurnum tempus in quadrantem horæ, mediam, integram horam, vel plures. Item dividitur in certos dies v. g. Jejuniorum Festorum. Item in integras Septimanas, menses, annos. Hoc igitur Determinato tempore aliquæ erunt exercendæ virtutes juxta statum & officium

tuum selectæ, quæ serviant certis partibus diei & noctis, aliæ quæ certis diebus, aliæ quæ per integras septimanas, menses, annos, unum, vel plures exercendæ erunt. Cujus Determinati temporis pro omni vita, statu & officio, ejusmodi generalem disponimus seriem, ex qua quisque sibi particularem constituat. Itaque quoad Nocturnum tempus, id religiosus status insumere consuevit in cultu, precibus, laudibusque Divinis ad exemplum S. Regis David: *Media nocte surgentis ad confitendum DEO.* Tum illi qui Mistam profitentur vitam, imitari debent Christum, de nocte servientes operibus vitæ Contemplativæ, & de die Activæ. Christus enim pernoctabat in oratione DEI, & de die prædicabat in templo. Quoad Matutinum Tempus: Hoc omni omninò statui expedit consumere in piis exercitiis Matutinis, quæ in devotis libellis passim circumferuntur, tum saltèm media horula in sui ipsius recollectione, ac meditationibus sacris; tum denique in Sacrosancti Missæ sacrificii auditione, vel (si sacerdos est) celebratione. Ita enim *primò quærens Regnum DEI & justitiam ejus*, habebit fidenter sperare, quòd faventissimâ fortunâ iuxta promissum Christi toties experientiâ probatum, *omnia*, hujus vitæ necessaria, suo statui convenientia, *adjicientur.* Et quod majus est, circa spiritualia quoque erit meliùs recollectus & dispositus, utpote quibus primas dederit partes, & locum in sua anima, ut non tam facilè postea admittat temporalia vel si admiserit cum cautela, ne dissipent Spiritum.

Psalm: 118.

Matth. 6.

Reliqvum tempus usque ad Vespertinum quisque pro ratione statûs, & officii sui, applicabit pro actibus indifferentibus, vel bonis, idque vitæ Activæ, vel Contemplativæ, vel Mistæ. Quanquam etiam Contemplativæ vitæ deditis expediat animum relaxare per aliquod exercitium corporale indifferens, vel ad corporalia opera vitæ Activæ pertinens: Ne intellectu semper speculationibus intento instar arcus, debilitetur caput ad perfectiùs obeunda munia in statu suo. Sub quibus tamen Actionibus meminerit exercitiorum *omni tempori* destinatorum; tum ut certum numerum Actuum internorum & externorum illius virtutis, in qua se se exercere proposuit, deputet, & peragat à Matutino ad Meridianum, item a meridiano ad nocturnum usque tempus:

pus: Vespertinum denique tempus, quibus exercitiis spiritualibus occupandum sufficienter & obviè præferunt pii libelli precum. Quoad certos dies v. g. Jejuniorum, quòd illis sunt augendæ mortificationes; & Festorum, quòd devotio major excitanda: Item quoad septimanas, ut singulis fiat confessio & communio à non sacerdotibus & Laicis, quo ad menses & annos, ut in singulis strictum examen habeatur de profectu virtutum, & similia, qualia, & quomodo his & aliis diurnis nocturnisque temporibus debeant fieri virtutum exercitia egregiè descripsit R. P. Jacobus Alvarez de Paz in libello de vita Religiosa instituenda. Unde quilibet status proportionata pro se desumat. Quantum ad *Non Determinatum tempus*, hoc intelligitur esse illud, quod ordinariè pro aliqua certa non determinata actione, quæ tamen illo tempore exercenda venit ex aliqua occasione, vel circumstantia. Ejusmodi actiones sunt illarum virtutum, quibus resistimus tentationibus derepentè insurgentibus. Tum actus Charitatis inserviendi proximis in operibus misericordiæ corporalibus, vel spiritualibus: tum actus Obedientiæ ad aliquod occurrens negotium exequendum &c: Tali igitur methodo ex prædictis circumstantiis compilata harmonia, & ordo locorum, temporum, actionum, & suarum perfectionum, ineffabile est quantam exercitatori Christiano afferet facilitatem, securitatem, velocitatem perveniendi ad culmen altissimæ perfectionis, sanctitatis, beatitudinis, quod utinam ipsâ experientiâ probare velis, imo necessariò debes; si vitam pietati & perfectioni Christianæ conformem instituis. Alioquin & citiùs à bene cœptis deficies, & nunquam proficies, disordine rerum & temporum distractus, confusus, perturbatus.

De Tempore quo commorandum cuique in decursu viæ Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ,

NOn est quidem in manu hominis via ejus, maximè in cursu supernaturali: Hinc alii præventi benedictionibus, dulcedinis, citiùs decurrunt vias vitæ, & consummati in brevi, explent tempora multa: Alii tardiùs prægravante eos corpore, ac vitiorum pondere. Attamen obviando Satanæ, qui & in hoc

passu offendicula ponit, incitando quosdam intempestivo fervore sive ad velociorem justò cursum, & inde casum, sive ut ab imis, intermisso medio, mox per summa vagentur, & ruinentur: aliquos verò retrahendo ab ordinario progressu Spirituali. Hinc expedit delineatâ habere temporis rationem, quantam quisque ordinariè moram facere debeat in præfatis viis vitæ, salva tamen ratione specialis instinctûs Spiritus S. qui in momento potest honestare pauperem, & eximia perfectionis gloriâ ditare.

Itaque ante *ingressum viæ Purgatiuæ*, quoad initiales seu fundamentales virtutes resignationis sui in Divinā voluntatem, obedientiæ, contemptus mundi & sui, harum exercitium, quia mox ab initio veræ conversionis durare debet usque ad consummationem virtutis, seu finem vitæ suæ: igitur ad principium probæ vitæ post factam confessionem suorum peccatorum & propositum serium se emendandi, seu proficiendi ad Christianam perfectionem, invocata ope DEI, excitatus potenter per aliquot tempus lectionibus & meditationibus quatuor novissimorum &c. ad Timorem DEI & exercitium sequentium virtutum juxta supra datam methodum sub praxi meditationis. *Primo mense* exercens se in actibus Resignationis sui in DEI voluntatem. *Secundo mense* in actibus obedientiæ, ubi firmissimè statuat imitari cæcam obedientiā B. Dosithei Discipuli, Dorothei qui studio obedientiæ intra quinque annos ad magnam simplicitatem & sanctitatem deveniens, iuvenis mortuus, visus est in cælis inter antiquos eremi Sanctos Patres. Similiter proponat sequi obedientiam B. Pauli simplicis, discipuli S. Antonii: hic quoque licet sexagenarius è mundo veniens, adeo tamen per simplicem Obedientiam profecit, ut magnum Antonium senem, Magistrum suum in gratia miraculorum superarit, & quod tantæ sanctitatis non prævaluit Antonius, prævaluit simplex obediens Paulus. Lege vitas ipsorum, & imitare, simulque jam ab hinc assume tibi in Magistrum Spiritualem & ducem viæ cælestis quempiam virum probum, doctum, discretū, eumq; precare, ut instar B. Dosithei & Pauli simplicis, alioq; modo, tuo statui proportionato exerceat te in obedientia, contemptu mundi & sui mortificatione &c: promittas ei omnem promptitudinem ad punctum & nutum voluntatis ejus tan-

S. Doroth. doct. 4. vide Nebridium in Antiquor: Epi: 30. & 101.
In vitis Patrum

tanquam ipsius DEI. *Tertio* igitur *mense* secundùm directionem Magistri Spiritualis exerceat se in contemptu mundi, & Christianæ paupertatis. *4to.* mense ordinante Magistro assum at exercitia humilitatis, præcipuè contemptus & odii sui ipsius. De quibus virtutibus, & earum tali coordinatione vide infrà. His itaque præjactis fundamentis vitæ Christianæ iam expeditior factus ad curendam viam mandatorum DEI, ingrediatur feliciter viam Purgativam seu incipientum. Quanquam & ex motivo cuiuscunque virtutis, supradictis mensibus assignatæ, & ex motivo finis viæ Purgativæ poteris alias virtutes fundamentales, & ipsam pænitentiam ac mortificationem exercere iuxta praxim hac sectione subsect: 4. infrà positam. *l. 2. tra: 2. c. 5.*

In via Purgativa, quoniam finis ejus sive terminus est puritas animi à reatu culpæ & pænæ, seu puritas à peccatis præteritis, condonatio pænæ temporalis, & puritas à vitiis: iam verò alii plus, alii minus se inquinarunt, alii feruentiùs, alii tepidiùs pænitentiæ & mortificationi student: alii trium annorum, alii septem, alii decem, & plurium spatio agere tenerentur pœnitentiam ex præscripto antiquorum Canonum (quorum aliquos vide infrà, sub pœnitentia) qui etsi non obligant in foro fori, stringunt tamen in foro poli ad luendum horrendum purgatorium. Denique vide infrà sub pœnitentia carcerem ad mortem usque Seuerissimè pœnitentium, de quo S. Climacus: Porrò ex altera parte lego S. *Elzearium* comitem Divinitùs moneri, non debere diutiùs ipsum immorari considerationi suorum peccatorum. Igitur in tanta diversitate, congruum videtur esse medium facere generalem confessionem totius vitæ coram Magistro Spirituali: qui quidem tunc assig net pœnitentiam Sacramentalem prout aliàs ordinariè assignaret: dicat verò pœnitenti, ut si ei placet altera die extra Confessionem petat à Magistro imponi sibi pœnitentiam pro peccatis in generali Confessione enunciatis, tot diebus, vel annis, ac talem, qualem videt expedire juxta præscriptum antiquorum Canonum Ecclesiæ. Ubi Magister prudenter advertat, quatenus ordinet hujusmodi pœnitentiam, quæ sit simul & præteritorum peccatorum deletiva (quanquam supponuntur jam esse deleta in sacramento pœnitentiæ per infusionem gratiæ sancti- *In vita ejus.*

Eccl. 9. ficantis, attamen *nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Et: *De*
Eccl. 5. *propitiato peccato noli esse sine metu)* & pro pœnis satisfactiva, & habituum vitiosorum eradicativa, & ab imminentibus peccatis præservativa, seu quod idem est, finis viæ Purgativæ, seu puritatis animi à reatu culpæ & pœnæ consecutiva. Ad hunc finem ex intentione ejusdem serviunt exercitia pænitentiæ & mortificationis (de quibus infrà) ad quas virtutes referri possunt, & debent suprà memorata exercitia Resignationis, Obedientiæ, Contemptus mundi, & sui, S. Paupertatis: in his enim continuò proficere & perseverare tenetur Christianus ad ultimum vitæ halitum. Porrò post expletum ferventer tempus pœnitentiæ & mortificationis à Magistro designatum, si adhuc sentiat propensionem vitiorum parum diminutam, continuet eandem pœnitentiam & mortificationem ex arbitrio Magistri, quousque in emortua carne emoriantur perfectiùs ejus vitia animi, quanquam ad plenum id præstari nequit in præsenti vita.

In Via Illuminativa seu Proficientium, Magister spiritualis præscribat Discipulis initium cursûs à Meditationibus Beatitudinis viæ & patriæ (de qua p 3. hìc) tum vitæ & passionis Christi, Deiparæ, Sanctorum, (quæ obviæ in libellis spiritualibus habentur, sicut & hìc vide in indice libri) tum penè sub singulis virtutibus) Actus & affectus post ejusmodi meditationes, vide hìc 1. 2. sub ipsa praxi virtutum. Taliter inflammato animo præcipiat Magister illas exercere virtutes vitæ Activæ, vel Contemplativæ vel Mixtæ, quæ cujusque statui proportionantur. Porrò omni statui conveniunt exercitia virtutum Christianæ paupertatis, humilitatis, patientiæ ad imitationem JESU Christi præcipuè Crucifixi, prout excellentia in hoc puncto exempla Christi infrà habes sub iisdem virtutibus potissimùm ex B. Angela de Fulginio. In quibus exercitiis eò usque durare debes, quousque manifestetur vita JESU in corpore tuo, possisque cum Apostolo dicere: *Chri-*
Galat. 2. *sto confixus sum cruci.* Et: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me*
Ibidem. *Christus.*

In Via Unitiva seu *Perfectorum,* quomodo procedendum, & per quos ascensus graduum, & quamdiu in iisdem contingit mòrari, vide suprà in praxi circa Contemplationem. Sed felicem te, si

ſi ad perfectionem deſcriptam in via Illuminativa deveneris. Equidem jam tum manifeſtabit ſe ipſum tibi Dominus, & Magiſtrum aget tuum, verba tibi loquens, quæ non licet homini loqui, ſublimanſque in faſtigia perfectionis. Verumtamen & ſic ſub obedientia & directione Magiſtri Spiritualis maneas, alioquin cum ſuperbo Lucipero irreparabiliter caſurus in ima inferni.

§ X.
De Antecedentibus, ſeu De Diſpoſitione Ad Exercitium Donorum Spiritus Sancti.

AD ea, quæ dicta ſunt modò de Antecedentibus praxim virtutum, placet addere non nulla, pro diſpoſitione ad exercitium donorum Spiritus S. demonſtrando, qui ſunt capaces, vel incapaces donorum Spiritus. De quibus *D. Bonaventura* ita diſſerit: Notandum eſt in donis Spiritus S. quod Dionyſius de Divinis nominibus lib.2. c. 4. ſecundùm commentum Abbatis Vercellentis dicit ſic: Cùm Divinitas ſuperſubſtantialiter ſit bona, & ſuam bonitatem ad univerſitatem extendat, cujus rei qualecunque indicium in ſole exporrectum oſtenditur, qui non præmiſſa electione, ſed ex principali naturæ ſuæ proprietate, per ſe ipſum quantum in ſe eſt, circumquaque cuncta illuminat, luminis ſui capacia, & ſibi expoſita, & hoc juxta ſingulorum illuminandorum proportionem; ſic meritò Divina bonitas in comparabiliter ſuper ſolem, non minùs ſuper obſcuram imaginem, quàm ſuper claram, non minùs ſuper cæcam, quàm ſuper videntem (ut alibi exemplificat) ex proprietate naturæ ſuæ omnibus creaturis ſuis proportionabiliter immittit radios ſuæ univerſalis bonitatis, per quos ſubſiſtit, vivit, & operatur unaquæque creatura prout ſibi competit. Propter quod Spiritus S. cùm ſit ſummæ liberalitatis, radios ſuorum bonorum omnibus exhibet liberaliter, qui ab uno lumine procedentes exhibentur diverſimodè diverſis, ſecundùm cujuslibet capacitatem. Unde *S. Bernardus* quaſi admirando clamat: Verè multiplex Spiritus in virtute qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur, ut non ſit, qui ſe abſcondat

De 7. Donis C. 5.

S. Bern. ſerm. 2. in Pentecoſt.

ſcondat à calore ejus, id eſt radiis beatificis ejus. Siquidem conceditur hominibus ad uſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad fervorem. Ad uſum quidem vitæ præſentis conceditur bonis & malis, dignis pariter & indignis, communia bona abundantisſimè tribuens, ita ut videatur hìc diſcretionis limen non tenere. Ingratus eſt vel cæcus, qui in his, beneficium Spiritûs S. non agnoſcit. Ad miraculum datur in ſignis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur. Ipſe enim antiqua miracula ſuſcitat; ut ex præſentibus fidem aſtruat præteritorum, quæ quandoque datur ſine gratia gratum faciente. 3*tio* infunditur ad ſalutem, cùm in toto corde noſtro revertimur ad Dominum DEUM noſtrum. Porrò ad auxilium datur, cùm in omni colluctatione adjuvat infirmitatem noſtram. Datur etiam ad conſolationem, cùm teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd filii DEI ſumus. Datur etiam ad fervorem, cùm in cordibus noſtris ſeu perfectorum vehementiùs ſpirans validum ignem charitatis accendit, ut non ſolùm in ſpe filiorum DEI, ſed & in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, deſpectionem exaltationem. Pauci ſunt, qui hoc ſpiritu repleantur. Hæc ille. Et *paulò infrà S. Bonaventura:* Iſtorum autem donorum, & actuum tam excellentium, & radiorum tam ſplendentium non ſunt capaces mundi amatores,

Joan. 14. quia Dominus dicit: *Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere.* Cujus rationem reddit ibidem dicens; *quia non vidit eum, neque ſcit eum: Animalis enim homo non percipit ea, quæ*

1. *Cor.* 12. *DEI ſunt* ut dicit Paulus. Quia *oculos ſuos ſtatuerunt declinare*

Pſalm. 16. *in terram* ſicut dicit Propheta. Et *S. Gregorius* dicit: *Spiritum*

S. Greg. lib. 5. *Sanctum mundus non poteſt accipere, quia ad diligendum inviſibi-*

Moral. c. 19. *lia non aſſurgit.* Quia ſæculares mentes quantò ſe foris per deſideria dilatant, tantò ad receptionem Spiritus Sancti ſinum cordis anguſtant & quandoque claudunt: quia ſicut dicit Apoſtolus: Qui *Secundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui verò ſecundùm Spiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt, ſapiunt, non quæ carnis.* Spiritus enim Sanctus odit ſordes peccati, nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis, ſed in mentibus puris. Ideo modò videndum eſt, qui ſunt capaces Spiritus S. & donorum e-

jus, non ex suis meritis, sed ex largitate dantis Spiritus. Qui igitur mundi bona odiunt, vilipendendo & contemnendo, Hierusalem ascendunt, mundum fugiendo, & se elongando: in templo cordis Spiritum Sanctum quærunt, fideliter orando, Paracletum desiderando, præstolantur adventum Spiritûs Sancti, inspirationes ejus studiosè observando, hi sunt, qui capaces ejus sunt. *Hucusque Seraphicus Doctor.*

Quod verò concernit exercitium practicum donorum Spiritûs Sancti, sciendum est, id ipsum non esse humanæ activitatis, sed potiùs operationis ipsius Spiritûs Sancti. Quia cùm dona Spiritûs Sancti sint quasi instrumenta altioris ordinis, quæ subsunt motioni solius Spiritûs Sancti, non verò motioni humanæ rationis, sicut eidem subsunt habitus infusi & acquisiti virtutum, (quod patet ex supra dictis) sequitur humanam mentem in hisce donis per ordinem ad praxim, potiùs se passivè, quàm activè habere: ita tamen ut agenti in se Spiritui Sancto simul vitaliter cōagat. Unde pro donis Spiritûs Sancti non tam præscribendæ praxes, quàm potius erant ostendendæ dispositiones & media, quibus adhibitis inclinetur illa summa Bonitas ad operandum in nobis per sua Carismatum dona.

SUBSECTIO II.

De Ipsa Praxi Actuum Salutarium Virtutis, & eam Comitantibus.

§ I.

HActenus de *Antecedentibus* praxim virtutum, nunc de ipsa *Praxi*, & illam *Comitantibus* videndum. Verùm opus est supponere aliqua. *Imo* actus virtutum, qui earum praxim intrant, alii sunt *Eliciti*, alii *Imperantes*, alii *Imperati*, utrique autem hi posteriores possunt esse eliciti, quatenus à potentia & habitu immediatè promanant. Porro *Actus Eliciti* possunt esse nec imperantes, nec imperati: & tales sunt, qui a propria potentia, & habitu, & motivo immediatè eliciuntur: sic v. g. Actus justitiæ, ejus potentia in qua subjectatur, est voluntas, habitus, est habitus ju-

ſtitiæ infuſus, & acquiſitus; A voluntate igitur & habitu juſtitiæ, tanquam ſuis propriis, & immediatis principiis effectivis, elicitur, ſeu oritur, idque ex proprio juſtitiæ motivo, nempe honeſtatis ſervandi æqualitatem cum jure alterius; atque modo tali erit & materialiter & formaliter actus juſtitiæ: & ſic de aliis: *Imperans actus* eſt, quatenus vel ſuæ potentiæ & habitui ex proprio motivo, vel alteri à ſe diſtinctæ potentiæ & habitui præcipit actum elicere, ut v. g: actus juſtitiæ erit imperans, ſi voluntati, & ſuo habitui juſtitiæ, ex proprio motivo juſtitiæ aliquem actum jubeat elicere. Similiter charitatis actus erit imperans, ſi juſſerit fortitudini, vel ex ſuo, vel ex alieno motivo actum fortitudinis exercere. *Imperatus actus* virtutis eſt, qui ſive à propria, ſive ab aliena potentia & habitu eliciatur, attamen ex actûs imperantis motivo elici præcipitur, ut v. g. velle reddere unicuique quod ſuum eſt ex hoc motivo, quia id multùm placet, eſtque gratum DEO ſummè dilecto, hic actus erit à juſtitia elicitus, ſed à charitate imperatus; & quia motiva dant formam & eſſe virtutibus, ille actus erit materialiter juſtitiæ, formaliter actus charitatis. Jam verò quando actus juſtitiæ & ex motivo proprio & ex alieno v. g. charitatis imperatus elicitur, erit ſimul & materialiter ac formaliter elicitus actus juſtitiæ, formaliter verò imperatus actus charitatis, duplicemque ſpeciem ſeu bonitatem moralem induet, nimirum juſtitiæ & charitatis. Idem dicendum, ſi ab aliarum quoque virtutum v. g. religionis, obedientiæ &c: motivis imperaretur, illarum enim multiplicem ſortietur bonitatem moralem, eritque actus ſimul & juſtitiæ, & charitatis, & religionis, & obedientiæ,
Cap. I. Sect. 2. &c: de quo fuſiùs ſuprà vide.

2do Actus virtutum alii ſunt Interni, alii Externi. Etenim ut
In Conſti: c. 4. S. Baſilius ait: *Quia ex duplici materia conſtamus, duplex quoque virtutis eſſe ſtudium debet, idque cum ſtrenuitate corporis, tum animi etiam induſtria exerceri.* *Interni* igitur actus ſunt, ſicut & affectus, qui ab internis animæ potentiis prodeunt. Actus internus reſpectu finis ut abſentis eſt *Intentio*, de qua fuſè ſupra: reſpectu autem mediorum ad finem ſunt quatuor. *1mus* eſt *Conſilium*, conſiſtens in deliberatione circa determinationem certorum mediorum, ad finem obtinendum. *2dus* eſt *Conſenſus*, qui eſt actus voluntatis

acceptantis ea media, quæ per Consilium sunt judicata conducere ad finem consequendum. 3*tius* est *Electio*, qui est actus voluntatis acceptantis & seligentis ex cœteris mediis particulare quodpiam medium, tanquam magis ad finem conducibile. 4*tus* vocatur *Usus*, qui est actus voluntatis applicantis animi vires, habitus, aliasque corporis potentias, ad sibi proprios actus virtutis producendos. Denique actus volitivæ respectu finis ut præsentis est *Fruitio*, qui est actus voluntatis quiescentis in possessione finis adepti. Porrò Affectus alii sunt Appetitûs rationalis seu voluntatis; alii Appetitûs sensitivi. *Affectus* qui etiam *Actus voluntatis* dicuntur, sunt, qui ex prælucentia rationis oriuntur. *Affectus appetitus sensitivi*: qui & *Passiones* appellantur, sunt, qui communes hominibus cum bestiis sunt. Porrò utriusque appetitûs Affectus, sunt alii partis Concupiscibilis, alii partis Irascibilis: alii Prosecutionis, alii Fugæ. Partis concupiscibilis affectus prosecutionis sunt: 1. *Amor*, quo aliquis fertur in bonum, ut nec absens, nec præsens spectatum. 2. *Desiderium*, quod est inclinatio appetitûs in bonum absens. 3. *Gaudium*, quod est inclinatio appetitûs in bonū præsens. *Delectatio* autem est inclinatio appetitûs in bonum vel præteritum, vel prælens, vel futurum. Affectus *Concupiscibilis*, qui vocantur Fugæ, sunt 1. *Odium*, estque animi recessus à malo absolutè spectato, seu nec in sua præsentia, nec in absentia attento. 2. *Fuga*, estque animi recessus à malo ut absente. 3. *Dolor*, estque animi recessus à malo ut præsente. Et *Tristitia*, quæ est animi recessus à malo, vel præsenti, vel futuro. *Affectus* verò partis Irascibilis prosecutivi sunt 1. *Spes*, quæ est motus, & elevatio animi, ad consequendum bonum arduum. 2. *Audacia*, quæ est appetitivæ motus ad aggrediendum, & superandum pericula difficilia, & obstacula assequendi boni ardui. *Affectus Fugæ* partis Irascibilis sunt 1. *Desperatio*, quæ est recessus animi à consequendo bono arduo. 2. *Timor*, qui est recessus appetitivæ ab aggrediendo malo difficili, impeditivo boni. Cœterùm *Ira* est partis Irascibilis motus prosecutivus vindictæ de malo arduo, quæ passio caret sibi opposita affectione. De ejusmodi internis actibus & affectibus hæc affert *P. Franciscus Arias*: Inter virtutum actus, exercitia interiora animæ, excellentiora, magisque meritoria sunt

exterioribus; primùm, quia homo operatur principaliore, ac DEO similiori parte, id est Spiritu, & quia virtutis perfectæ bonitas ac meritum, quod est in exteriori opere, procedit ex bonitate ac merito interiorum animæ actuum, estque intantùm aliquod exterius opus bonum, sanctum, ac meritorium, inquantùm à bona Deoque grata voluntate proficiscitur. Rursùs quando se homo interiùs colligit, solaque anima operatur, & seipsum excitat ad faciendum, quidquid cum Divino auxilio potest, operatur cùm majore intensione, conatu, ac perfectione, quàm quando se ad exteriùs extendit; quanquam virtus, quæ vera est, suo tempore satisfacit in omnibus exterioribus, quæ Divina lex ordinat, & præscribit; sed si nulla sit exteriùs se occupandi necessitas & obligatio, tunc, quia tota attentio, totusque bonus animæ affectus ad actus exercitiaque interiora convertitur, majore cum perfectione operatur.))

Actus Externi virtutum sunt, qui exercentur partim ore, partim opere, agendo vel patiendo, pro exigentia rei proportionatis membris corporis.

3tio Actus virtutum sive fiant cum elevatione mentis, oratione, vel allocutione ad DEUM, Christum, Deiparam, Cælites, sive per Apostrophen ad seipsum, sive alio quocunque modo, semper habent rationem virtutis, tantummodo fiant ex aliquo motivo, quod eis tribuat esse & substantiam virtutis. Etenim hæc se habent per modum accidentium extrinsecorum, seu modorum, qui non variant substantiam.

4to. De ipsa Praxi virtutum, & eam comitantibus, ac subsequentibus, dicta & dicenda hic intelliguntur, ratione notabiliorum exercitiorum virtutis. Ea enim, impossibilitatis, imo imprudentiæ foret, velle præstare ad singulos actus particulares cujusvis exercitii Spiritualis. Quin ad nobiliora exercitia, quæ ejusmodi dispositiones & perfectiones requirunt, non est opus, nec expedit omnes peragere: Sed quas videtur natura rei, vel communior usus exigere, aut Spiritus S. assumendas dictaverit.

5to. Praxis, vel notabile exercitium Spirituale virtutis intelligitur hìc, quod vel plures actus includit ejusdem speciei virtutis, aut etiam diversarum virtutum, vel unum quidem actum im-

importat, sed eum protractiorem, & aliquantò longioris moræ.

6to. Quando te intepuisse sentis ad actualem praxim seu exercitium virtutum, tunc vel ante exercitium, vel sub ipso, recordare brevitatis & fragilitatis vitæ tuæ, memorare vivacissima imaginatione novissima tua, vel quod denique te magìs excitare & accendere solet ad virtutem, alloquere te ipsum potentibus verbis, inclama adjutorium DEI, patrocinium B. MARIÆ, SS. Patronorum, & videbis successum bonum, adimplebis feliciter actu propositum virtutis.

§. II

Formula Praxis Exercendi Aliquam Virtutem Supernaturaliter & Meritoriè.

HIs igitur suppositis, postquam Christianæ virtutis amator per auditionem verbi DEI, collationem, lectionem, contemplationem, cognitione DEI & Divinorum fuerit in intellectu magìs & magìs illustratus, & in voluntate accensus ad omne virtutis genus prosequendum, ac vitium fugiendum: iamque per *prudentiam* spectatis circumstantiis sese determinaverit, ad ea virtutum exercitia, quæ respectu ipsius personæ, fini, loco, modo, tempori, congrua & proportionata fuerint, nihil amplius restat, nisi ut eadem determinata & per voluntatem proposita exercitia, actualiter in ipsas praxes deducat, quas sub specialioribus virtutibus delineatas, infra porrigimus, hacque potissimum methodo constare debent, quam nunc in genere proponimus (ut eam prudenter applicet illis virtutibus exercendis, & vitiis propulsandis, quibus praxes haud fusiores, sive nullas, brevitatis gratiâ subscribimus) Nimirum studiosè *lege*, & penitiùs *meditare* ea, quæ te *doceant* magis necessaria de illa virtute, quam in exercitium actuale assumis: tum quæ te *moveant* in praxim illius virtutis (quod nos hoc toto Opere, quantum brevitas permisit, præstare conati sumus) Lectio enim & meditatio, non solùm sunt necessariæ dispositiones ad virtutem; verùm etiam sunt actus illius virtu-

tis, ex cujus motivo & amore instituuntur, ac fiunt. Idem etiam sentiendum & de sequentibus actibus & affectibus. Deinde accenso animo per varia incitamenta, adde majores flammas excitando in te actus, & affectus, ex motivis infrà positis, pluribus vel paucioribus (non enim omnia conveniunt omni virtuti) v. g. hunc in modum.

I. Motivum ab honestate virtutis, seu à conformitate ad lumen rationis &c. O virtus v. g. *Charitatis*, vel *Iustitiæ &c.* totius Universi divitiis & deliciis pretiosius iucundiusque bonum! O virtus N. verus honor naturæ, cui impar omnis honor! Quid virtute pulchrius? quid amabilius? Nunquam cælum coronis syderum adeò ornatum, nunquam rutilantissimo sole ita ridens & amænum, quàm animus fulgore virtutis N. decorus & venustus. Nec mirum. Penè enim infinita distantia moralis pulchritudinis à quovis physico decore: sicut in immensum altior distat rationalis creatura ab inanimata & irrationali. Honestatis bonum in virtute N. situm vitâ ipsâ æstimabilius: hæc enim morte interit, illud immortalem gloriâ, in memoria DEI & hominum facit.

II. Motivum à conformitate virtutis N. ad legem æternam. Ascende, ascende anima; elevare supra ipsas cæli altitudines, attollaris si vales, ad incircumscriptum Divinitatis lumen: vide quàm conformis hæc virtus N. à te exercenda ipsi æternæ Sapientiæ, illi Primæ regulæ morum, illi Originali omnis ordinis & rectitudinis; vide quàm consona supremo dictamini legis Divinæ in sacris scripturis revelatæ. O consonantia omni concentu musicorũ suavior! O harmonia omni melodiâ dulcior, omni pulchritudine ordinis amabilior! Quid enim est illud, ab infinita Divinitatis luce splendores participare? à Suprema regula dirigi? a Sapientia legis æternæ instrui, rectificari? Verè magnum, admirabile, inæstimabile ipsius DEI magisterio erudiri! *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* O ineffabilem discipuli nobilitatem, quem sub magisterium suum dignatur suscipere, tanta Majestas!

Psalm. 93.

III. Motivum à conformitate ad Divinam voluntatem. Ecce anima mea hoc exercitium virtutis N. est conforme ad voluntatem DEI. Itane est conforme? O vox de cælo sonans! O vox,

quâ

quâ desiderabilius nîl auditur! O vox Beatis in cælo, ipsa eorum beatitudine formali pretiosior & optatior! Voluntatem DEI explere. Qui DEUM amat, intelligit quid dico. Æstus in DEUM amoris, panditur in executione ejus voluntatis. Amanti eloquia DEI dulciora super mel & favum, ut ea perficiat ad placitum, gustum, oblectamentum summè dilecti DEI. Eja nunc currite veloces pedes ad exercitia virtutis N. amplectimini manus gratissima DEO opera N. Omnia fac anima, perfecta & exquisita in omnes voluntates ejus.

IV. Motivum à conformitate ad humanam voluntatem propter Divinam. Superior vult, DEUS vult. *Qui vos audit, me audit,* dicit Dominus. O ineffabilis Bonitas DEUS, quid tibi retribuam pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Ecce inter tot discrimina, plurimis in profundum inferni ruentibus, providisti mihi manuductionem superiorum, regulas, leges, mandata, consilia, quæ sequens non devio, securus in Patriam cælestem curro; cuncta & minuta quoque in meritum ex obedientia cedentibus, immensas mihi æternitatis opes, delicias, honorum sublimitates, præparo. Quid igitur dissimulo? cur manifestatam voluntatem superiorum meorum in exercitio virtutis N. non perficio? Equidem hoc momentum jam sit finis cunctationis meæ, initium actuum virtutis N. *Luc: Cap: 10.*

V. Motivum à conformitate ad exemplar vitæ DEI. Itane vermiculo in ideam virtutis N. propositus DEUS? Quid hoc miraculi, ut cinis & pulvis similari possit DEO Factori suo? Ubi estis malè sublimes animi, cupientes esse sicut Dii scientes bonum & malum? Ubi ambitio volentis esse similem Altissimo? Ecce homo, monstratur tibi via tuos altos spiritus explendi, Filius DEI eris, similis Altissimo eris, si illum in sua sanctitate, & quidem nunc in hac virtute N. imitatus fueris, idque potissimùm ex amore DEI in gloriam ejus; quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Assurge ergo, assurge, resume magnos spiritus, pro possibili exprime in te mores cælestis Patris: Filiorum enim est sequi mores paternos. *Prov. 16.*

VI. Motivum à conformitate ad exemplar vitæ Christi. DEUS cælo altior est, & verè DEUS absconditus. Quid igitur pulvi-

ſcule, quomodo tam altum conſequeris, & quem non vides, qui nihil, niſi per carnem vides? En demiſit ſe illa ſumma Majeſtas uſque ad cinerem tuum, inviſibilis apparuit tibi viſibilis & ſimilis. En invitat te poſt ſe currere in odorem ungventorum ſuorum, aſperam cæli viam complanavit tibi, promittit adjutorium, proponit ingens prœmium, ut de facili premas ejus virtutis veſtigium. Quid deſes hæres? quid cunctaris? quid prætendis? Curre, curre citò, dum lucem Solis juſtitiæ habes, nè tenebræ æternæ mortis te comprehendant. Tot greſſus in via cæli facis, quot actus huius virtutis N. elicis. Sed potisſimum DEUS Homo crucifixus tibi ſequendus proponitur. Igitur omnia fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte Calvariæ. Verè exemplar omnis perfectionis abſolutisſimum. Et quidem huius virtutis N. quanti ex ea coruſcant radii, fulgores!

VII. Motivum à conformitate ad exemplar vitæ DEIparæ. O vos omnes, qui diligitis MARIAM Matrem veſtram, venite & videte, quàm pulcherrima ſit ipſa omnis virtutis Idea! quàm ſtupendum perfectionis miraculum! Quid filii; quid filiæ? diſcite mores maternos: oblectemini Matrem amabilem, repræſentantes ejus ſimilitudinem. Vides anima mea in Matre Virgine ſplendidisſimum hujus virtutis N. jubar? Eja illuminare, illuminare ejus ſplendoribus, ut quò ſimilior ipſi fueris in tempore, eò proximior asſiſtas in æternitate, fruiturus inenarrabili ejus materna dulcedine.

VIII. Motivum à conformitate ad exemplar vitæ Sanctorum. Quid cerno? En quot agmina Beatorum regnantium in cælis? Hìc Apoſtolorum glorioſus ſenatus: illic Patriarcharum & Prophetarum nimis confortatus Principatus: Hìc laureatus innumerabilium Martyrum exercitus: illic lucidus Confeſſorum populus: Hìc liliati Virginum chori: illic ornata albis & palmis immenſæ multitudiuis turba. Quid? Nonne hi fuerunt ſimiles nobis pasſibiles? Fuerunt, & tamen ad tantam gloriam ſunt ſublimati: nimirum bonum certamen certârunt, & ideo coronantur, & accipiunt palmas. Potuerunt ergo hi, & hæ, & tu non poteris? Abſit. Potero & ego, tua gratia adjutus clementisſime DEUS. Ideo jam ex nunc arripio exercitia deſtinatæ virtutis N.

IX.

I X. *Occasio excitans per exempla profana, ad operandum ex supernaturalibus allatis motivis.* Totus defixus admiratione hæreo, quantùm prævaleat natura, in quibusdam ad virtutem. Quid virtus? nonnè in arduo posita? nonnè à sensibus abstracta? nonnè genio & sensualitati aspera? nonnè naturæ horrida? cur tamen à natura dilecta, & in heroicis gradibus exercita? Et specialiter hæc virtus N. Cernis quantùm & à cœcis gentilibus fuerit æstimata, & culta? Equidem rubore suffusus exclamare cogor: Pudeat Christianos plures, vinci à paganis! pudeat plus in his posse naturam, quàm in illis gratiam ob malitiæ obicem! Væ reprobis Christicolis coram supremo tribunali, quos vel solus paganismus sufficiens erit condemnare ad profundum abyssi infernalis!

X. *Motivum ex fine supernaturalis gratiæ, & gloriæ.* Si honestas seu moralis bonitas virtutis, sive aliquod apparens bonum, v. g. honoris, famæ, gloriæ per virtutem assequibile, vel relatio inter astra ac immortalitas, adeò potenter movêre profanos ad insignia virtutis, & in specie hujus N. quantò magis te Christianum incitare debent præclarissimi fines supernaturales gratiæ & gloriæ perennis? O quantum bonum gratia DEI! quâ puritas, ornatus animi, unio cum summo Bono, perfectio, sanctitas, felicitas vera vitæ præsentis acquiritur! O imperceptibile bonum, gloria futuræ beatitudinis, nullo sensu, nullo intellectu comprehensibilis! O supernæ civitatis mansio beatissima: o dies æter- „ nitatis clarissima quam nox non obscurat, sed summa Veritas „ semper irradiat, dies semper læta, semper secura, & nunquam „ statum mutans in contraria O utinam dies illa illuxisset, & „ cuncta hæc temporalia finem accepissent. Lucet quidem San- „ ctis perpetuâ claritate splendida, sed nonnisi à longè & per spe- „ culũ peregrinantibus in terra. Norunt cæli Cives, quàm gaudiosa „ sit illa: gemũt exules filii Evæ, quòd amara & tædiosa sit ista. O quã- do finis horum malorum? quando liberabor à misera servitute vi- „ tiorum? quando memorabor Domine tui solius? quando ad „ plenum lætabor in te? quando ero sine impedimento omni in „ vera libertate, sine omni gravamine mentis & corporis? quan- „ do erit pax solida, pax imperturbabilis & secura, pax intùs & „

Thom. Kemp. lib. 3. de Imit. Christi c. 48.
Idem ibidem
Idem ibidem

Mm foris,

„foris, pax ex omni parte firma? JESU bone, quando stabo ad vi-„dendum te? quando contemplabor gloriam regni tui, quando „eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in regno „tuo, quod præparasti dilectis tuis ab æterno? Relictus sum „pauper & exul in terra hostili, ubi bella quotidiana, & infortu-„nia maxima. Sed quid? Et horum malorum finis erit. Nunc verò, dum tempus habemus, operemur bonum, & quidem in specie hujus virtutis N. ut mereamur assequi per gratiam & gloriam summum BONUM.

XI. *Motivum ex fine supernaturali gratiæ & gloriæ proximi tui.* En salus proximi in manu tua est. Quomodo ergo deseris eam? quomodo tua incuria patieris excludi consortē tuū è regno Beatitudinis? quomodo corde crudeli cernes destitutum gratia DEI, versari in discrimine horrendæ damnationis? Eia si scintillam veræ dilectionis, si micam compassivi affectûs habes, miserere proximi, adeo pulchræ imaginis DEI, pretio magno sanguinis Filii DEI redempti: offer ad ejus quoque salutem hoc exercitium virtutis N. nec ambigas id DEO fore gratissimum, curiæ cælesti magnum gaudium, tibi conferendæ gratiæ & gloriæ eximium incrementum.

XII. *Motivum ex fine supernaturali gloriæ Cælitum, DEIparæ, Christi, DEI Ter Optimi Maximi.* I. Quid putas, an non tu es spectaculum DEO, & Angelis, & hominibus? Equidem Beati in Speculo Divinitatis cernunt te, & opera tua. Quo ergo illos non afficis gaudio? quantos apud DEUM non mereris Patronos? dum eorum amoris & honoris intuitu quidpiam boni operis exerces? Age igitur, age, & cœlo, tibique perennia cumulare gaudia. II. JESUS & MARIA amores tui, delicium tuum, ô quàm prono affectu, quàm placido vultu spectant tui erga se propensionem! Quantus honor tuus à Rege & Regina totius Universi obsequia tua æstimari! quanta felicitas tua, posse te Majestatem tantam oblectari! Absit igitur, ut me prætereat aliquod exercitium virtutis, quod cultui amorique JESU & MARIÆ non fuerit dedicatū. III Omnis DEO honor & gloria. Hic ultimus finis tuus: huc omnia referenda. O te beatum, posse te assequi supremum Finem tuum, restitui primo Principio! Quæ exinde gaudia? quæ vo-

voluptas, pax & quies animi? Quis DEO gustus, placitum, oblectamentum non interturbari à te ordinem Divinum, sed conformari ejus Sapientiæ attingenti à fine usque ad finem fortiter, & disponenti omnia suaviter, omnia denique operanti propter semetipsum? Porrectò si incomprehensibile bonum in dicta intentione situm cernis, si sapis, tum hoc exercitium virtutis N. tum cuncta momenta vitæ tuæ, aliosque fines suprà intentos devotissimè elevabis *ad Majorem DEI Gloriam.*

Cõclusio ex allatis Motivis per varios actus & affectus.

IAm nunc ergo anima mea ecce altissimo pretio *Æstimo* exercitium virtutis hujus N. v. g. Charitatis, Iustitiæ &c. *Admiror* ejus ineffabilem vim & valorem. *Amo* tanquam inæstimabile bonum. O pretiosissimum decus animæ meæ, quàm mihi cordi es! quàm totum me rapis in amores tui! *Affectus desiderii*: Desiderio tui captus, nihil mihi curæ cum aliis, donec tui altissimam comprehendero perfectionem. O millies desideratissima virtus N. *Affectus Gaudii* (si scilicet habere te putas hanc virtutem) Ecce præ magnitudine æstimationis amorisque tui intimo cordis jubilo exulto, de possessione tui. Osculor te tenerrimè dos Deifica. O Deus meus tibi æternas occino laudes, gratias ago medullitùs pro ineffabili dono virtutis hujus N. *Affectus Odii Oppositorum Virtuti* N. Ocyùs ictu oculi, ruant in ima inferni, maledicta monstra adversa virtuti N. v. g. Odium, Inimicitia &c. *Affectus Fugæ*: O inimicum vitium virtuti N. scindant te acerbè crementque tortores inferni: nihil mihi & tibi tenebrosum scelus, ut cœlum à terra, sic ego à te. *Affectus doloris*: Heu mihi lumen oculorum virtus N. quomodo te amisi! infelix momentum, quo perdidi te: ite lachrymæ, rugite gemitus, inconsolabiles ciete fletus, periit bonum meum, heu periit inæstimabile bonum virtus N. ubi es gaudium cordis mei, dulcedo mea ubi es! O nimis tristis permutatio, pro virtute N. vitium N. pro luce tenebræ, pro cælo infernus! DEUS miserator & misericors, tu solus laborem & dolorem consideras. Vide afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus. Usquequo Domine oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tu.m à me? Quamdiu ponam con-

silium in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me Domine DEUS meus, & per virtutem N. IESU, & MARIÆ, pelle à me vitium N. oppositum, dona præstantissimam hanc virtutem N. *Actus Spei.* Itane anima mea possibile emancipari præfato vitio N. dilatari in amplissima spatia virtutis huius N? Equidem possibile per merita JESU, & MARIÆ, illorum ope gratiæ. Bene, optimè: jam ergo mihi ex nunc resolutio generosa, jam *Propono*, tum irrevocabile dico ultimum vale neglectui virtutis hujus N. Jam animus firmus & efficax per omne possibile assequendi ipsam. Anime, cur diutiùs tristitiâ premeris? Consurge, consurge, excutere de pulvere, assume generosum pectus, tolle in cælum oculos, leva manus, exclama in fortitudine non tam voce, quàm intensione desiderii (*Actus Orationis*) DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. JESUS, MARIA, JOSEPH adeste gemebundo, succurrite misero, miseria vitii hujus N: pellatur, gratia virtutis N. precor humillimè mihi tribuatur. *Affectus Iræ:* Eja anime exerito robur, Eja fortiter disrumpe vincula vitii contrarii virtuti N. perrumpe obstacula, dissipa in pulverem, cuncta cedant vibrantibus flammis desideriorum tuorum; evola ad felicitatem hæreditandam O millies & millies expetitæ, benedictæ virtutis hujus N. Evola autem deauratis pennis per praxim, seu exercitium Actuum Internorum & Externorum virtutis hujus N. Cujus actus, ô DEUS meus hodie tot (*hìc firmissimè propone numerum v. g. decem internos, decem externos*) exercebo, vel hac septimanâ, mense, anno, quotidie tot & tot diligentissimè practicabo cum gratia tua. *Fiat, fiat.*

Tandem ita inflammatus, priusquàm, vel, dum exerces actum virtutis alicujus, vel etiam indifferentem per brevem Intentionem, vel aliqualem animadvertentiam, reflectas te ad *Motiva formalia & exemplaria* illius virtutis per fidem proposita, prout habes infra, & supra eadem hìc præmisisti. v. g. Honestatis illius a- p. 2. 2.
ctus, vel Divinæ voluntatis, vel Exemplorum DEI, Christi, Deiparæ, Sanctorum, vel Finis gratiæ & beatitudinis tuæ ac proximi, vel gloriæ DEI, Christi, Deiparæ, Cælitum: ex qnibus motivis illum actum virtutis N. ferventer operare, ut tali modo moraliter

ter benè, supernaturaliter meritorièque opereris. Quod certè id toto vitæ Spiritualis exercitio vel maximè adnitendum, ne immensis lucris pro felici æternitate priveris, non operando ex aliquo supernaturali motivo. Secundùm itaque hanc formam elice plures, vel pauciores, hos, vel similes, quos tibi inspiraverit Divina gratia, actus & affectus, circa praxim tam generalium, quàm specificarum virtutum. Spiritualis quoque Magister similibus actibus & affectibus Discipulos virtutis desides tepidosque excitet. Proficientes ad majores ausus heroicorum operum ardenter inflammet. Etenim post singulas virtutes & vitia, in hoc Opere congerere similes actus & affectus haud expediebat; quippe in immensum excresceret Opus, & cuique sui magis placent partus, relinquiturque spatium Spiritui S. in cordibus Electorum pro cujusque captu loqui, ciere motus pios, & expostulare gemitibus inenarrabilibus. Quare sufficiat hisce dedisse occasionem & impetum similia faciendi.

Porrò Actus Interni & Externi præcipuarum virtutum, tum in gradibus illarum, tum in praxibus, infra abundè proponuntur; uti & supra sub praxi seu fructu meditationis.

§. III.

Formula Praxis Supernaturaliter & Meritoriè eradicandi quodpiam Vitium, & plantandi Oppositam Virtutem.

QUoniam vitium non evellitur, nisi per frequentatos actus & acquisitum habitum oppositæ virtutis; deinde quia ad eandem virtutem spectant sicut actus prosecutionis, ita & actus fugæ ipsi oppositi vitii: Igitur præter supra datos actus prosecutionis (quibus uti potes ad euellendum vitium exercendo ipsi contrariam virtutem) addo breviter & actus fugæ ex similibus ut supra motivis.

I. Anima mea quid es? creatura DEI, an horribile monstrum diaboli? si DEI: ubi ejus pulcherrima imago & similitudo?

 Heu!

Heu! heu! heu periit decus meum, amisi lumem meum, sedeo in tenebris, & in umbra mortis. Difformis lumini rationis facta sum nimis deformis. Honesto prætuli utile: luci lutum: rationi irrationales, bestiales motus; quanta hæc turpitudo! quanta ignominia mea!

II. O quàm immensa distantia tortuositatis hujus vitii N. v. g. iniustitiæ vel alterius &c. à rectitudine legis & voluntatis tuæ DEUS meus! quàm indicibilis impuritas aversa ab infinito splendore sanctitatis tuæ, à nitore summæ perfectionis IESU, MARIÆ, & Electorum tuorum! Et quid dicam? Etiam profanorum exempla horrentia hoc vitium N. nimis confundunt me. Sed restat adhuc, quod vehementer conturbat me; nimiùm timeo, nè hoc vitio N. victus offendam DEUM meum, priver gratiâ supercælesti, tradar in reprobum sensum, expellar à perenni felicitate, detrudar in gehennam ignis æterni.

III. O igitur omni malo detestabilius vitium N. vel peccatum N.! O nimis execrandum! cui comparabo, vel cui assimilabo te infelix peccator? Magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tibi? Pulvisculus es, & infinitæ malitiæ es, virus pestilentissimum, cælo invisum, terræ malignum, ad ima inferni sub pedes Luciperi & Antichristi propellendum. Homo nequam, cane rabido, angve virulento, sterquilinio fœtido odibilior. Indignus omni bono, & qui levem oculos ad cælum: dignus omni malo, cruciatu, conculcatione, contemptu. Quousque miserrime, quousque effræni malitiâ, bestiali concupiscentia perturbas te ipsum? Quousque cor tuum sicut mare fervens nequitiâ, haud quiescit? Infelix ego homo, quis me liberabit de corpòre mortis hujus? &c. Hos & similes Odii tuiipsius, elice actus, tum aliàs, tum maximè, quando sentis te tentari ad culpam, vel in illam prolaberis, tum miris modis te ipsum confunde, argue, increpa, contemne, punito. Ita enim perpetuum tui ipsius odium, est perenne odium peccati, est continuum humilitatis exercitium, est amoris proprii, ac per consequens omnium vitiorum & peccatorum excidium, est ad culmen perfectionis breve compendium. De odio & contemptu tui ipsius præclara vide sub actibus Humilitatis.

O DEUS

O DEUS meus, & me ipsum impium & impietatem hanc N. multùm odi & deteſtor.

Doleo me Te unquam ſummum Bonum hoc defectu N. offendiſſe.

Propono cum gratia tua, nunquam ampliùs te offendere, & tot v. g. decem N. actus virtutis contrarios huic vitio die iſta exercere.

DEUS propitius eſto mihi peccatori, & dimitte univerſa delicta mea.

Da ſatisfacere hic in præſenti, pro peccatis meis.

Gratias tibi ago DEUS, quia me non permiſiſti profundiùs in hoc vitium N. corruere.

Obſecro te per viſcera Miſericordiæ tuæ, libera me malignum ab hoc vitio. N. *&c: &c:*

Vide quoque actus & affectus huc ſervientes ſub praxi ſeu fructu meditationis.


Reliqua vide ſuprà in præcedenti formula, & hic proportionatè applica.

SUBSECTIO III.
De Subſequentibus Praxim Actuum Supernaturalium Virtutis.

PEractâ praxi ſeu notabiliori exercitio ſpirituali virtutis, imò breviter te Recollige, an aliquæ imperfectiones & negligentiæ, vel delicta irrepſerint in illud exercitium. Quod ſi ita eſt, (ut communiter fert ratio fragilitatis humanæ, qua iuxta Prophetam omnes juſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ coram DEO inficiuntur) tuæ vilitati & miſeriæ imputa. Geme & dole coram ſupremo Numine, pete veniam ab eo. Deinde quidquid boni factum, imputa gratiæ DEI, pro qua intimè gratias age, offer in unione Actionis & Paſſionis, vel in genere, vel in ſpecie illius vel illius Actionis aut Paſſionis N. N. Chriſti, Deiparæ, Cælitum, per cor & manus JESU Virginis Matris ad DEI, & ſuorum gloriam. Denique ſupplica, ut impoſterum exercitia virtutum perfectiùs ad punctum voluntatis Divinæ queas peragere.

2do. Quotidie de Diurno tempore: qualibet hebdomada, mensè, anno, de hebdomadario, menstruo, annuo tempore serium examen institue, considera quantùm illis temporibus in vita spirituali profeceris vel defeceris in exercitiis virtutum, prioris & posterioris temporis, omnis & alicujus, indeterminati & maximè determinati temporis; de quibus supra sub circumstantia *Quando* agitur. Erige tibi aliquam figuram ad similitudinem infra positæ, in cujus scalares gradus connota quotidie tuos in vitia casus, negligentias, imperfectiones, maximè circa vitium particulare, quod impugnas, vel virtutem, in qua proficere studes; & ita quotidie ad oculum videbis, profectum vel defectum tuum. Porrò ad cavendam complacentiam propriam & superbiam, non expedit annotare Actus bonos, sufficit eos connotari in libro vitæ, nisi quæpiam alia ratio intercesserit, prout factum habes infra sequenti subsectione 4. Nequitias & morales miserias tuas, has ante oculos semper delineatas habe ad elationis tuæ demissionem. Verùm plura & de hac praxi examinis præfati multiplices passim offeruntur libelli Spirituales. Videatur P. Jacobus Alvarez de Paz de vita religiosè instituenda. Et compendium Meditat. P. Ludovici de Ponte in Præfat. &c.

l. 2. tra: 1. c. 1. sec: 4. subs: 1. § 9.



Ne

Ne tamen & nos ex toto deesse videamur, subnecto formulas examinis faciendi *ex vita piissimi viri P. Gaspar Druzbicki Societatis J. cap. 15.*

Hic vir admirabilis quoad reflexivam vitam spectat, ita intentos supra se oculos habebat; ut non omninò quidem diversis temporibus, viginti tamen & octo ordinariè usurpaverit examina: idque præter examen breve post singulas horas usurpatum. Nisi urgens quid obstitisset. *Primum* Examen erat agendorum eo die, & tolerandorum. *Secundum.* Incidentium, quæ non cadebant sub ordinem sed evenire poterant. *Tertium.* Emendandorum ex præterito mense, vel ex proxima confessione, vel ex aliquo examine. *Quartum.* Repugnantiarum vincendarum. Tempus horum Examinum erat manè finita meditatione. *Quintum* examen erat in ordine ad sacrum Missæ faciendum. *Sextum* commune, quod à disciplina domûs præscribitur, ante prandium; cui examini adjungebat *Septimum* particulare, juxta mentem & normam S. P Jgnatii, & *Octavum* menstruum: quod quantùm ad materiam, idem erat, cum particulari, dispiciendo, an tot, & designatis temporibus, exerciti sint mortificationis externæ, & internæ actus, pro mense assumpti; & an actus virtutis menstruæ usurpati? *Nonum* Examen erat officiale, quod etiam adjungebat examini communi ante prandium. Rursùs post recreationem examina quatuor; nempe agendorum, ac sufferendorum, incidentium, emendandorum eo mense, & repugnantiarum vincendarum instituebat. *Decimum quartum* Examen erat, super lumina, gratiasque actuales, & inspirationes Divinas. *Decimum quintum* super exercitium virtutum in occasionibus, superque ipsas occasiones. *Decimum sextum*, super sublimationes actuum, seu super formalitates, ac modos sublimandi actiones, atque passiones omnes. Quæ tria Examina instituebat circa primam horam post meridiem. *Decimum septimum* Examen, super fontes imperfectionum quotidianarum. *Decimum octavum*, in quo inspectis defectibus contraponebat actus oppositos. *Decimum nonum*, super novitatem Spiritûs & fervoris. *Vigesimum*, supra speciales animæ nævos, habituales præsertim: Horum quatuor Examinum tempus designaverat ante cœnam pro commoditate. Sequebatur Examen vespertinum commune, cui adjun-

gebat iterato alia quatuor Examina; nempe particulare, menstruum, officiale, & corrigendorum ex mense, vel si in his nihil speciale advertebat, faciebat Examen vitandorum. Adjungebat quoque *Examen vigesimum sextum*, supra ordinem actionum, & horarum. *Et vigesimum septimum*, supra ejaculationes in DEUM factas. Denique quiescente jam Collegio, instituebat Examen *Vigesimum octavum Censorium*, ita dictum à rigore, & subsequentibus pœnis sibimet inflictis.

Horum omnium Fxaminum, in promptu habebat puncta, quæ ob prolixitatem, hic non adnoto: ut tamen appareat mira ejus perspicacitas in pervidendis imperfectionibus, & nævis animi, materiam solummodo Examinis decimi septimi ex ejus libello hic appono.

Fontes Imperfectionum.

1. INconsideratio & indeliberatio ante opus, & post opus. 2. Languor mentis, efficaciam fervoris enervans. 3. Inconstantia in bonis ob causas leves. 4. Dilatio agendorum, de tempore in tempus. 5. Fiducia sui, spes supplementi, blandimentum de facili compensatione. 6. Intentionis defectus; quia nulla, non pura, frigida, retractata. 7. Irresignatio, timor humanus, amaritudo sæpe vana imaginans, illudens, ab opinionis dominio profecta. 8. Delectationes satisfactionesque, naturæ indultæ, condescensionesque propter merum naturæ ductum. 9. Defectus præsentiæ ad se, raritas recollectionis, præcipitatio, festinatio, ursio inquietans sine rationabili causa. 10. Tardus ad DEUM, & orationem recursûs, in labore, difficultate, tribulatione. 11. Designationes ad pauca respicientes. 12. Tenax inhæsio ad proprium ordinem, designationem, judicium. 13. Justificatio & excusatio sui erroris apud se, & apud alios. 14. Querulositas de injuriis, & ingratitudinibus, ac difficultatibus, deque moribus, & morositatibus alienis. 15. Affectata dissimulatio remorsuum & instinctuum internorum. 16. Inordinatio temporum & actionum. 17. Fuga confusionis, celatioque quorumvis defectuum coram DEO, & Confessario. 18. Scandala, modica licet in specie. 19. Fuga laboris in advertendo & examinando. 20. Conjectio sui in angustias

gustias temporis, ex causa culpabili: unde perfunctoria actionum expeditio. 21. Eventuum præter mentem evenientium, non in DEUM rejectio, neque ex gustu providentiæ Divinæ acceptatio. 22. Merum, & nudum studium explendi numerum piarum actionum, obturandique conscientiæ clamorem, ac morsum. 23. Sordida quædam temporis parcitas, quâ volumus citò expedire obsequia Divina, interim & opus, & tempus perdimus. 24. Naturalis affectio ad personas, amicos, benefactores, amatoresque proprios: naturalis item affectus ad res, officia, occasiones, laudes proprias. 25. Naturalis aversio, & declinatio à personis, officiis, molestiis, indigentiis. 26. Applicatio effusa mentis in agendo, absque dominio in præsentiâ sui. 27. Debilis, & fluctuans applicatio ad agendas res, quæ præ manibus sunt. 28. Respectus humani, rationesque humanæ sperantes, timentes, differentes, dissimulantes. 29. Spes impunitatis. 30. Oblivio proveniens ex fiducia memoriæ, vel ex dilatione. 31. Desvetudo, vel è contra assvetudo. 32. Fiducia, & veluti nidificatio, acquiescentiaque in rebus, personis, locis, amicis.

Præterea operæ pretium est, apponere *Examen horarium*, quod sibi præscripserat, in hunc modum.

Horâ sonante, vel certè horâ, quam mihi ex temporis distributione Examini deputavero, appetente, Examen infra scriptum faciam.

Punctum 1. *Gratias tibi ago DEUS meus, pro omnibus & singulis totius vitæ, & horæ elapsæ, elapsuræq; beneficiis.*

Punctum 2. *O Trinitas DEUS, lux beatissima, reple cordis intima &c.*

Punctum 3. Examinabo horam, & opera horæ elapsæ.

I. *Impensane hora operi designato, & opus an suâ horâ factum.*

II. *Opus bonumne suâ naturâ, an intentione, factumne bene? & qua bonitate? naturali, politica, supernaturali? Habuitne aliquam circumstantiam vitiosam, præcipuè effusionem, teporem?*

III. *Præmisistine operi intentionem actualem, an virtualem tantùm.*

IV. *Servatæne in opere regulæ communes, & observationes privatæ?*

V. *Ea intentio fuitnè pura, defæcata, vacua meo bono, solum DEUM præcisè intuens, an occultè, & subdolè proprietatem quærens, sperans, respiciens? Fuitnè ita defæcata, ut non spectaverim etiam spirituale, etiam æternæ vitæ commodum, aut meritum, inquantum illud meum bonum est; Sed purè inquantum DEI, & propter DEUM? Itane solius DEI gustum, gloriamq́ spectavi, ut curaverim, & intenderim omnipossibiliter, DEUM hoc opere dignificare, inquantum est dignificabilis in se, & inquantum ego sum dignificativus ejus, ex gratia hìc, & nunc habita? Itanè nihil mei quæsivi in opere, ut etiam insuper vilificârim me, quantum vilificabilis sum à DEO, à me, ab omnibus creaturis?*

VI. *An ad opus, & in opere, auxilium DEI expetii, illiq́ soli innixus sum plenè, de viribus & sufficientiis meis expressè desperando?*

VII. *An opus egerim ex totis viribus animi, (quantas opus requirebat in substantiâ, & perfectione suâ) & corporis salvâ discretione, & an in hanc peccatum sit?*

VIII. *An in opere imitatus sum Christum, ejusq́ exemplar?*

IX. *An in opus meum, gratiæ, meritorum, operumq́ Christi influxum curaverim, petierimq́?*

X. *Univinè opus meum actualiter, ardenter, appretiativè, JESU Christi laboribus, & conatibus, & meritis?*

XI. *An conatum adhibuerim, ita dignè, & assimilatè Christo facere opus, ut opus meum, opus Christi videretur, & ego quasi Christus alter coram DEO judicarer?*

XII. *Quâ applicationis, & attentionis, & affectûs in DEUM Christumq́ continuatione, feci opus meum? Nunquid crevit in me per singula momenta? Nunquid replicabatur, sublimabatur cordis, & vividitatis Christi sublimitate? Nunquid supplebam affectum, & efficaciam meam, affectu, & efficaciâ debitâ DEO, à me, à creaturis, à Sanctis omnibus in cælo, à Pretiosissima Parente, à Christi Humanitate, ab ipsa denique Trinitate sanctissima?*

XIII. *An atomis omnibus meis, tantum conatum, eamq́ fervoris proportionem impressi inter operandum, quantum totus ego, & omnis utraque substantia mea habere debuit?*

XIV. *Quâ mortificatione meâ feci opus, præsertim menstruâ, & internâ?*

XV. *An sectatus sim, repressionem desideriorum impotentium, an effusionem super opus?*

XVI. *An superavi impedimenta, tædia, difficultates in aggrediendo, & operando?*

XVII. *An dilationi restiti, an compescui festinationem, & solius perfunctionis studium?*

XVIII. *An lingvas, judicia, respectus superavi, ad illosq; obsurdui, & occalui?*

XIX. *An laudes, approbationes, vel spem earum despexi?*

XX. *An in opere corporalem afflictionem, in aliqua parte quæsivi, arripui?*

XXI. *An menstruæ externæ mortificationis actus, vel desideria saltèm propositaq; habui?*

XXII. *An hoc ipsum examen faciam cum eâ applicatione & sufficientia, ut contenta sit ratio?*

Punctum 4. *Defectus notatos dolore intimo supernaturali expiabo, & supplementariis actibus, ac nominatim actuali supradicta omnia servandi proposito, complacentiâq; & approbatione eorum supplebo: tum etiam mortificatione externâ, sangvini Christi immistâ, balneabo.*

Punctum 5. *Emendationem proponam, & præter proximos supplendi conatus, insuper poenitentiam pro defectibus poenalem subibo.*

Formula Examinis pro Superioribus *ex vita citati P. Gasp. Druzbic: cap. 6.*

QUia verò congenitum vitæ nostræ vitium est, attendendo aliis, sui ipsius oblivisci (ex quo plerique defectus in omni agendi munere pullulare possunt) intentum quotidie Pater Gaspar in Rectoratibus suis, habebat oculum, ne quidquam ejusmodi suboriretur; in quem finem adhibebat die quovis, Examen superiorale, cujus erant hæc capita. 1. *An horam considerationis fecerit.* 2. *An Ministrum allocutus sit horâ debita.* 3. *An ipse secum alicubi dispensaverit, & quâ causâ, atque ædificatione communitatis.* 4. *An morosè aliquem tractaverit.* 5. *An inauditâ parte alterâ, eam ex relatione unius judicârit, reprehenderit, punierit.* 6. *An temporum ordinem, & actionum, suum, communemq; servaverit.* 7. *An subditum quemque ad supernas rationes direxerit, & ex eis rexerit.* 8. *An protestatus sit DEO insufficientiam suam ad regimen.* 9. *An oraverit pro Collegii personis, negotiis, necessitatibus.* 10. *An manifestam diligenti-*

am in invigilando vitaverit. 11. An infirmos corpore, adierit. 12. An solatus sit tristes, & omnium vultus, vestesq́ ac lectos inspexerit. 13. An metum inopiæ, & diffidentiam in DEUM, admiserit. 14. An omiserit visitationis officium præstare, debitum externis. 15. An diarium scripserit, notaritq́ & quo tempore. 16. An inordinatâ molestiâ tulerit subditorum ad se diffidentiam, vel saltèm non recursum. 17. An absque prævia consultatione fecerit aliquid, quod faciendum fuit prævio consilio. 18. An visitaverit orationem, vel somnum Fratrum, vel scholas, atque lectiones, Templum quoque. 19. An & quàm pridem officii sui Regulas legerit. 20. An apud subditos, de subditis sit questus vitiosè, eorumq́ defectus dixerit. 21. An amarorem animi, vultu tristi, & impetuoso agendi modo, ostenderit, expresseritq́: an verò læto vultu semper fuerit. 22. An defectus antecessorum suorum propalaverit. 23. An sit usus verbis mordacibus in arguendo. 24. An legerit puncta notata pro variis officialibus, vel executionibus.

Talis erat quotidianus supra seipsum Censor, Pater Gaspar: & interea sub regimine gemebat, relegebatque à se conscripta gemitus Gubernationis capita, & iis perlectis, sic alloquebatur DEUM. *Domine DEUS meus, gemo coram Te, ad Te, responde pro me, ita tamen ut spiritus salvus fiat. Judica, & discerne causam meam, ita tamen, ut non mea, sed Tua voluntas fiat. Quòd si placet tibi, auge dolorem. Domine fons omnium bonorum, tribue, quæso mihi famulo tuo, injunctum benè gerere officium, illudq́ bonis operibus comprobare. Da ut in moribus meis consilia Christi fulgeant, nec quidquam in eis, inimicus suum valeat vendicare. Præsta ut virtutes religiosas in me ostendam, exemplo præbeam, admonitione confirmem. Insuper inviolabili charitate in mensuram ætatis plenitudinis Christi, conscientiâ purâ, Spiritûs Sancti gratiâ plenus, in diem justi judicii resurgam. Amen.*

SUB-

SUBSECTIO IV.
COMPENDIUM, sive SUMMULA PRACTICA VERÆ SAPIENTIÆ, Totiusquè huius THEOLOGIÆ SPIRITUALIS:
Seu
DIRECTORIUM PRACTIcum Statûs Vitæ Christianæ, per Vias Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ.

QUod Gubernaculum navi, hoc Directorium istud animæ fideli, adeo necessarium; ut quemadmodum navis sine clavo hinc inde impulsu ventorum agitata, fluctibus obruitur; ita & anima hoc directorio destituta, Spiritu nûc Divino, nûc maligno, & deceptorio afflata, dum mari variarum virtutum, & doctrinarum spiritualium, quasi multitudini fluctuum se committit, non modò iisdem fertur ad portum felicitatis æternæ, quin potiùs inordinato cursu exercitiorum Spiritualium errabûda, scopulis illusionum diabolicarum allisa, ipso improportionato, vel indiscreto usu multiplicium virtutum, quasi multitudine collidentium fluctuum obruta, parit sibi naufragium perditionis æternæ. Igitur gratiâ evadendi huiusmodi discrimina, & felici progressu attingendi optatas beatæ Patriæ oras, per illuc ducentis virtutis vias sequenti directorio in praxi utere.

§ I.

§ I.

DIRECTORIUM PRÆFATUM EST SANCTA SIMPLICITAS, sita in Transformatione hominis in Christum.

QUòd eiusmodi Directorium sit S. Simplicitas patet ex sequentibus, ubi simul ostēditur tum Multiplicitas vitiorum, tanquam scopulorum præcavenda, tum Multiplicitas virtutum, quomodo ex una in alteram, quasi ex uno fluctu in alterum, flante secundo Divino Spiramine, sub arbore Crucis & expansis manibus membrisque Christi uti velis, Navis mentis nostræ S. Simplicitatis gubernaculo in portum Perfectionis, Sanctitatis, Beatitudinis tuæ & proximi, Gloriæ DEI ac Suorum est dirigenda. Igitur S. Simplicitas alia est virtus singularis (de qua infra tractat: 2.) alia est virtus generalis, de qua in præsenti. Hæc autem S. Simplicitas, est *Transformatio hominis, intentionalis, ac moralis, activa, & passiva, seu mystica, in JESUM, Lumen, & Amorem Crucifixum, Pauperem, Contemptum, Dolorosum, usq; ad punctum mortis.* Licet enim Transformatio eiusmodi tum ex parte formarum moralium seu habituum vitiosorum, necnon habituum virtutis, tum ex aliis principiis multa importet: Simplificatur tamen animus, eadem multa sibi invicem subordinando ad unicum Exemplar Crucifixi Filii DEI.

Dicitur ergo in definitione: *Transformatio hominis* non substantialis, id est non formæ humanæ substantialis sive accidentalis mutatio, ut illâ scilicet desinente succedat forma Christi corporis & animæ, ac Persona Filii DEI, sed *intentionalis*, imo in intellectu, quatenus ille per cognitionem in se repræsentans IESUM, in eum intentionaliter transformatur. Intellectus enim (ut aiunt Philosophi) intelligendo fit omnia: Ergo & intelligendo seu versando asiduâ cogitatione Christum, fit intentionaliter Christus. 2*do*. Transformatio intentionalis fit, dum homo amore in JESUM intimo fertur: ut illud dictum verificetur: Anima

nima non tam ibi est ubi animat, quàm ubi amat. Ac illud: Amicus alter Ego. Et illud: Amor reperit, vel facit similes. Deinde quando per Intentionem voluntatis homo sese impersonat in JESUM, ut Anima, Cor, & Corpus JESU, sit quàsi Anima, Cor, & Corpus suum id est hominis ipsius intendentis, ut quidquid agit & patitur, non tam seipso, quàm Animâ, Corde, & Corpore JESU agat & patiatur, idque perfectione actionum & passionum Divino Humanâ. *Vide supra in simili.* Dicitur *Moralis*: quæ Transformatio fit similitudine morum seu imitatione virtutum Christi, formam vitæ ipsius pro possibili in seipso exprimendo, ut possit quoque de tali homine dici: En viva imago Christi! En verè conformis imagini Filii DEI. Et ipse de seipso: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.*

1. 2. tra: 1. sect. 2.

Gal. c. 2. v. 20

Dicitur; *Activa*: quando dicta Transformatio intentionalis & moralis perficitur activitate humanâ cum gratia Divina. Dicitur; *Passiva*: quatenus hujusmodi Transformationis habitus acquiritur. Item *Passiva, seu Mystica*: dum similis Transformatio à DEO per specialissimam gratiam infunditur, quæ est participatio Mysticæ Theologiæ, *de qua supra.*

In Prælim. & 1. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs: 1. §. 4.

Dicitur; *in JESUM*, vel ipso nomine amabilissimum, eumque, *Crucifixum*; qui omnibus omnia factus est, pusillis & magnis, perfectis & imperfectis. Quodsi quispiam præsua imperfectione vel ignorantia minimè alicujus virtutis formam in Crucifixo repererit, recurrat ad ejus antecedentem Passionem, sive ipsius Sanctissimam Vitam (quâ totâ quomodo Christus Crucifixus fuerit, *vide supra in Præfat: generali*) & abundanter cuncta inveniet ad sui Spiritûs gustum. Christus namq; in exemplar & ideam virtutis omnibus accommodatus est.

Dicitur, *Lumen*: ut quemadmodum Christus suo Intellectu supernaturalibus donis informato, ac Verbo Divino subsistente, semper intuitivè videbat Divinam Essentiam; & per Prudentiam ordinatissimus fuit in agibilibus: ita & hominis intellectus Fidei lumine depuratus à multiplici errore infidelitatis; dono intellectûs, & sapientiæ ac scientiæ radiis, aliisque supernaturalibus, detersus à multiplicitate specierum & imaginum creaturarum, iisque donis & gratiis confortatus & sublevatus, simplificatam

aciem mentis suæ jugiter (quantùm fas homini præsenti in vita) dirigat per Contemplationem in solum DEUM, & Divina. Per Prudentiam quoque rejectâ multiplicitate respectuum, ordinet omnia sua ad unicam amussim & punctum bonæ, beneplacentis, & perfectæ voluntatis Divinæ; uti fecit Christus.

Dicitur; *Amorem:* Sicut enim Christus omnia egit, & passus est, ex summo & intensissimo amore, in amore, propter amorē, qui est charitatis; ut nil esse videatur, nisi totus amor, totus amabilis; Deinde tum visione beatificâ, tum amore & gaudio in superiori parte Animæ fruebatur DEO; prout in inferiori sensu ab instanti conceptionis suæ usque ad expirationem in cruce intimo dolore cruciabatur: Pari ratione & tu postposita multiplicitate amoris creatorū, simplificatus, vel cum incipiētibus ex amore spei time DEUM ut tremendū Judicem; vel eâdem spe ama DEUM ut tuū summū Bonum; vel deniq; amore amicitiæ seu charitatis esto victima & holocaustum in omnibus. Renuat quoque consolari anima tua in diversis creaturis, unicum sufficiat solatium in solo DEO, sit quoque hilaris patientia in assiduo tuo dolore.

Item dicitur; *JESUS amor crucifixus, pauper, contemptus, dolorosus.* Mirum est, si hic tantus amor non te facit semper langvere & mori in Cruce (utinam quoque reali) pauperem, contemptum, dolorosum præ amore. Dicitur; *Pauperem*: ut tu quoque sis Pauper & exinanitus multiplicitate propriæ voluntatis, & simplicis Obedientiæ resignatione præditus; prout quoque Christus. Item Pauper multiplicium rerum per simplicem Contemptum mundi; sicut & Christus. Dicitur; *Contemptum*: quia Christus opprobrium hominum & abjectio plebis factus, te per sequelam suæ Humilitatis à multiplici appetitu inanis excellentiæ liberare cupit. Dicitur; *Dolorosum*: quia Christus pro peccatis tuis doluit: & tu fac per Poënitentiam similiter: unà circumferens Mortificationem JESU & Patientiam in corpore & anima tua; ut simplificeris ab innumeris inordinatis desideriis & actibus. Et quia in arduo Virtus, adeoque ordinariè non sine animi quopiam dolore (excipio perfectos viros virtutis) venit exercenda, ad ly *Dolorosum* rectè potest reduci præter suprà specificatas, omnis alia virtus moralis, uti Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ,

cum

cum ſibi annexis virtutibus. Ex quibus Chriſtus ſi ob nonnullarum imperfectionem incapax fuit illarum quoad Actum per reſpectum ad ſe, potuit tamen eſſe capax quoad habitum propter animi ornatum, & quoad Actum per reſpectum ad nos, ut patet in pœnitentia. Denique omnes virtutes quæ imperfectionem reſpectivè ad Chriſtum non inferunt; vel formaliter, vel virtualiter, ſive eminenter in Chriſti Sanctitate continentur: *Vide in hac Theologia Spirit: de Paupertate, Humilitate, Patientia: ubi ſub exemplis Chriſti, ad hæc tria puncta; Pauperem, Contemptum, Doloroſum, pleraſq; virtutes in ſuis altiſſimis gradibus, redigit B. Angela de Fulgineo.*

Dicitur; *usque ad punctum mortis:* Ut ſimplificetur omnis tua cura & ſolicitudo in unicum profectum explicatæ Transformationis; in qua licet mille annis profeceris, attamen certè non eris ita perfectus ſicut Chriſtus, quin ab ipſius perfectione in immenſum diſtes.

Vides ergo quomodo penè omnes doctrinæ & exercitia ſpiritualia hoc Opere Theologiæ, aliiſque innumeris Libris contenta, ad unum punctum Sanctæ Simplicitatis, ſitæ in Transformatione hominis in Chriſtum, ſuaviter & commodè reduci queant, ut animus tuus hoc Directorio practico S. ſimplicitatis præmuniatur à diſperſione ſui; ne ipſâ multiplicitate oppreſſus, tandem deficiat & naufragetur.

De Transformatione vide ſupra 1. 2. *tra.* 1. *c.* 1. *ſec.* 2. *§* 3. *&* 5. *Et infra* 2.2. *§.* 7. *Et par.* 3. *tra.* 1. *c.* 2. *ſec.* 3. *& alibi.*

Gradus S. Simplicitatis ſeu Transformationis in Chriſtum eodem modo ſpectari poſſunt, quo & gradus Charitatis. Charitas enim naſcitur in Incipientibus, nutritur in Proficientibus, matureſcit in Perfectis. Ita & *in 1mo gradu* Transformatio Incipientium ſeu Tyronum Spiritualium eſt initiativa & habitualis; quatenus per habitualem gratiam, infuſoſque habitus virtutũ, uti Obediẽtiæ, tum per exercitiũ virtutũ Contẽptus mũdi, & ſui, Pœnitẽtiæ, Mortificationis, reformãtur ad ſimilitudinẽ Chriſti. *In 2do gradu* Transformatio Proficientiũ eſt actualis per intentionẽ, & exactum exercitium conformandi ſe Chriſto in omnibus. *In 3tio gradu* Transformatio Perfectorum eſt, prout verè habes modò ſuprà deſcriptam Transformationem. Ratio horum eſt: quia

cùm S. Simplicitatem seu Transformationem in Christum omnes virtutes etiam imperfectis communes intrent, cur & ipsi pro suo modulo saltèm remotè & dispositivè nequeunt dici transformari in Christum? Unde omnium Incipientium, Proficientium, Perfectorum hoc unicum deberet esse desiderium, hæc frequentissima, ne dicam, assidua, ut corporalis respiratio, ita spiritualis Aspiratio, seu ignita Oratio jaculatoria; *O DEUS! tribue mihi perfectissimè Transformari in amantissimum meum JESUM, Lumen, Amorem Crucifixum, Pauperem, Contemptum, Dolorosum, usque ad punctum mortis.*

Motiva S. Simplicitatis Transformativæ in Christum.

Eccl. c. 38. 1mum *Eccl.* Qui minoratur actu (*seu non multiplex fuerit actu*) Sapientiā
Prov. c. 11. percipiet; quia sapientiā replebitur. *Prov.* Simplicitas Justorum
Cornel. à lap. diriget eos. ((Jacob commemoratur *Vir Simplex*, id est juxta *Cornel.*
Comment: in *à lap:* Vir rectus, innocens, integer, perfectus: Vir simplex ergo
Gen. c. 25. v. est vir integer, qui uni DEO & virtuti intendit, non per multa,
27. avia subinde & illicita vagatur. Sic Job dicitur vir simplex. Itaque Simplicitas hæc, non prudentiæ, sed dolo & falsitati opponitur; estque simplicitas hæc veritas, puritas, sinceritas, & innocentia animi; falsitatis, simulationis, & peccati expers, & impermista, inquit S. Chrysostomus. Hâc simplicitate Jacob à DEO obtinuit omnem prosperitatem: ut meritò illi tribuatur hoc emblema: Prudens Simplicitas densa felicitas. Prov: dicitur: *Cum simplicibus sermocinatio ejus*, id est DEI: Supra quod V. Beda: *Sermocinatio* Domini cum simplicibus est; quia illos sapientiæ cælestis secretis illustrat, quos terreni fastûs ac duplicitatis nihil habere considerat. Hinc etenim dicit: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.))

2dum ab Exemplis. I. DEUS & physicè & moraliter Sim-
Lib. de vera plicissimus est: physicè, quia prorsus omnis expers compositio-
Religione. nis; Unde S. Augustinus ait: *Rerum simplicitas vestigium est DEI.* Moraliter: quia ex unico actu amoris, quo seipsum æternaliter & infinitè diligit, omnia agit, & tam multiplicia sibi invicem sub-
D. Bernard; in ordinat ultimatè propter Gloriam suam. Sed audi Mellifluum
Cant: ser: 80. Ecclesiæ Doctorem simplicitatem DEI describentem: *In ea & multa in unum, & diversa in idem rediguntur, ut nec numerositate rerum*

sumat

sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat. Loca omnia continet, & quæq; suis ordinat locis, nusquam contenta locorum. Tempora sub ea transeunt, non ei. Futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur. Et S. Augustinus inquit: *Est itaque bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est DEUS. Ab hoc bono creata sunt omnia, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia. Creata sanè inquam, id est facta non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est.* Et mox: *Pater qui genuit simplex est, & Filius qui genitus est pariter simplex est: sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relativè quæq; Persona ad alteram dicitur.* II. Christus Dominus Simplicissimus fuit, dum cuncta quæ gessit, vel passus est, ad punctum & amussim unius Voluntatis sui æterni Patris, pro ejus amore & gloria exequebatur. Filium suum quàm exactè fuerit imitata sua benedicta Mater & Virgo, nec non præcipui Sanctorum, superfluum est retexere, cùm hoc Opere pleraque sparsim specificentur. *S. August: de Civita. lib. II. c: 10.*

Ex his conclude: *Ergo Beatus & Felix Simplex.*

Praxis S. Simplicitatis Transformativæ in Christum, supra in ejus descriptione tum sequētib9 §§ particulariùs in hūc modum proponitur.

§. II.

Profectus in Spiritu, ad, & per Viam Purgativam seu Incipientium.

Punctum Primum.

COnversus quispiam ad DEUM, factâ generali Confessione peccatorum suorum, nè ad sordes pristinas revertatur, quin potiùs, ut in melius semper proficiat, eligat sibi in Magistrum Spiritualem quempiam virum, virtute perfectum, doctum, discretum, cui se in omnem obedientiam tradat, illumque revereatur, & audiat, tanquam Oraculum DEI, & Interpretem voluntatis Divinæ, juxta illud, quod dicit Christus: *Qui vos au-* *Luc. 10.*

audit, me audit. Jam verò si Magister Spiritualis haberi non possit, qui te dirigat in cælum, aut sit negligentior in suo munere, vel alia justa causa exegerit, tum amator sui profectûs & perfectionis Christianæ, conficiat sibi Libellum, in quo sua exercitia spiritualia connotet. Id enim erit utile ipsi exercitatori, & gratiâ juvandæ memoriæ, & stimuli sibi addendi ad progressum, & cognitionis, utrum, ac quantùm in dies proficiat, vel deficiat. Ita fecisse in vita sua legitur P. Druzbicki Soc: J. vir opinione sanctus; post cujus mortem similes pagellæ sunt repertæ. Porrò juxta sequentem methodum v. g. scripto connotari possunt sancta exercitiorum proposita.

Anno Domini 1684. die 1. Mens. Januarii. Ego indignitas & miseria, in præsentia Divinæ Majestatis, & B. V. MARIÆ, ac S. Angeli Custodis mei, & S. Josephi Patroni mei, ex voluntate ac cum benedictione Admodum R. Paternitatis vestræ (*si Magistrum vel Patrem spiritualem habes*) sine ulla obligatione etiam venialis peccati, firmissimè cum gratia DEI propono sequentibus quatuor mensibus juxta *Ordinem temporum & actionum*, mihi competentem, exercere me tum in operibus statui meo & officio congruis, tum in virtute Timoris DEI, & aliis dispositivis ad Viam Purgativam; scilicet 1*mo* Mense in Resignatione mei ad Divinam voluntatem. 2*do* Mense, in Obedientia simplici & cæca. 3*tio* Mense in Contemptu mundi. 4*to* Mense, in Humilitate, odio & contemptu mei.

V. de hoc ordine temporũ & actionum supra Sect. 4. subs. 1. § 9. V. de virtutibus dispositionis ad viã purgativam infra 1. 2. in accessu Tract. 2. & in accessu c. 5.

Explicatio præcedentis Propositi.

DIcitur in Proposito: *Ordinem temporum & actionum*. Quoad *prius* & *posterius* tempus: huic eo ipso accõmodaturũ me esse censeo, dum explevero sequen-

DIcitur in explicatione Propositi: *Omne tempus* &c: ubi adverte, quoniam finis omnis temporiæ hujus præsẽtiæ DEI est Timor DEI: quo tanquam vitali impulsu homo animatus, semper moveatur ad dispositi-

tia

tia propoſita.

Itaque quoad *Omne tempus*; propono ſemper memor eſſe Præſentiæ DEI, ut horrendè vindicantis peccata (prout patet in Chriſto paſſo & Crucifixo) & ſimul ut miſericordiſſimi Patris, promittentis pœnitentibus gratiam & æternam gloriam. Quoad *Aliquod tempus* Propono.

ones, & exercitium virtutum viæ Incipientium: igitur ad eundem Timorem DEI fovendũ, identidem ſequentibus utendum erit actibus & affectibus: ita tamen ut quantùm posſibile, reflexio fiat ad hæc tria I. Ad DEUM ut tremendum Judicem. II Ad Chriſti vitam, pasſionem, mortem. III. Ad culpas, vitia propria, & ad aliquod ex quatuor novisſimis maximè inferni v. g. in hunc modum.

Primo. *Si in viridi innocentia Chriſti, tantum deſæviit ignis Divinæ juſtitiæ, quomodo non exardeſcet in me arida ſtipula multiplicium peccatorum?*

Secundò. *O quàm amara mors Crucifixi JESU! quantò magis timenda mihi mors peccatorum pesſima vindice DEO?*

Tertiò. *Quanta ignominia Chriſti, accuſari licet innocens de graviſſimis criminibus, coram variis Judicibus, condemnari ad mortem in præſentia multitudinis populorum! Et quid fiet mecum ob præcedentia mea peccata ad judicium, niſi nunc terribilis quædam expectatio judicii, tum verò inenarrabilis coram innumeris Angelis & Electis DEI, pudor & confuſio?*

Quartò. *Torquetur nimis Chriſtus absque ulla conſolatione: Væ mihi! ſi privatum cæli beatitudine, decernat me DEUS ad tormenta æterna.*

Qnintò. *O Chriſti conculcatio, alapæ, conſputio, millena probra, injuriæ, dira flagellatio, ſpinea coronatio, crucis bajulatio, crucifixio, amariſſima cruciatuum, & mortis amaritudo! Nonne hæc ſunt acerbiſſimus quidam infernus? Heu! heu! heu! quid ergo mecum peccatore fiet in gehenna ignis inextingvibilis? O quàm atrox ſupplicium, & opprobrium ſempiternum mihi minatur tremendus judex!*

Sextò. *Verùm ut penitiùs penetres vim Paſſionis Chriſti: Mater ejus doloroſa MARIA, verè mare amaritudinis & dolorum, quorum tanta magnitudine oppreſſa fuit, ut teſte S. Bernardino, ſi dividerentur in omnes* ſub-

S. Bernardin: apud Juſtinum Miechov: in Lytan: Lau: vide diſc: 386.

ſubinde (dum ita expedierit, aliqua exercitia viæ Illuminativæ, vel Unitivæ breviter perficere v. g. lectionis ſive meditationis de Beatitudine æterna, aut de Perfectionibus Divinis, &c: Quoad *Determinatum tempus*; propono quotidie, ut evigilavero mox ad DEUM mentem convertere; Divinum Officium nocturnum & diurnum exactè ac devotè perſolvere; Matutinum exercitium intētionis generalis, precum, recollectionis, lectionis, meditationis viæ purgativæ cum ſuo fructu, tum de vita & paſſione Chriſti debitè perficere; Miſſam celebrare, vel audire, ut decet; Occupationi fructuoſæ incumbere; Refectione, Recreatione, Somno, aliisque indifferentibus actibus ad meritum uti; Veſpertinum exercitium peragere; Examinare, adminùs bis profectum, vel defectum meum cum pœnitentia, & la-

creaturas, quæ pati poſſūt, mox præ nimietate doloris extinguerentur. Hæc paſſa Virgo innocentiſſima. Et quæ mihi non pavenda ab irato Numine?

Septimò, *Triginta tribus annis Chriſtus id patiebatur in animo, quod ſuſtinuit etiam in corpore paſſus & moriens. O quàm diuturna hæc paſſio, & mortis agonia! Et quid erit torqueri in horrenda inferni æternitate?*

O Æternitas! æternitas! quàm rarò verſaris in mentibus hominum! Iterum dico: quàm rarò verſaris in mentibus noſtris. O Æternitas! heu æternitas! quid dicam? aut quomodo dicam? quis exprimat, quis concipiat, quid ſit æternitas? Cogito mille annos, cogito millies mille annos: cogito tot annorum millia, quot ſunt momenta in tempore à mundo condito usque ad ejus conſummationem, & de æternitate nihil habeo. O æternitas! heu æternitas! quis poterit par eſſe æternitati in tormentis? volo dicere, & neſcio dicere. Quamdiu DEUS erit DEUS, tamdiu durabunt tormēta. Quamdiu hoc erit? Æternitas! Æternitas! Non eſt fari, non eſt concipere, non eſt invenire iſtud, quamdiu æternitas durat. Momentaneum eſt, quod delectat, æternum quod cruciat. Ex momento æternitas. Durum quod cruciat Æ-

chrymis,

chrymis, & super omnia his omnibus aliisque operibus, Intentiones rectas præfigere, maximè ad obtinēdam aliquam Virtutem propositam ex supra dictis (*vel dum te exercebis in pœnitentia & mortificatione, intendes obtinendam puritatem à reatu culpæ & pœnæ, & maximè vitii N quod impugnas*) Et operari communia aliaq;

ternum, felix quæ beat Æternitas. Hæc à morte pendet; mors à vita; vita à momento. Elige. Periisse semel: Æternum est. Ejusmodi igitur Actus & Affectus excitativi Timoris DEI, adhibendi nunc mentaliter, nunc verbaliter Omni Tempore (quo disponeris ad Viam Purgativam, vel manes in illa) moraliter spectando, dum scilicet in actibus Alicujus, Determinati, vel Indeterminati Temporis non occuparis. Quanquam & hi principaliter ex occasione, vel motivo Timoris DEI debeant fieri. Atque ita dum noctu evigilas, è strato tuo surgis, oras, laboras, reficeris, vel aliquid aliud facis, juxta sapientis monitum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Et S. Hieronymus ait: *Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur vox illa sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium. Quoties diem judicii cogito, toties corde & corpore contremisco. Si quæ præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria.* Hinc S. Benedictus duodecimum humilitatis gradum ponit: *Si non solùm corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se, semper indicet, id est in opere, in Oratorio, in Monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque, sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite defixis in terram aspectibus: reum se omni horâ de peccatis suis existimans; jam se tremendo DEI judicio præsentari existimet, dicens in corde sibi semper illud, quod Publicanus ille Evangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine, non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad cælum.*)) *DEUS propitius esto mihi peccatori. O DEUS! Abyssus essentiæ, bonitatis, amoris, misericordiæ: miserere mei abyssi nihili, malitiæ, indignitatis, miseriæ.*

Eccle. 7.
S. Hier. in Mat.
Regul. c. 7.
Luc. 18.

Porrò *Lectionis, & Meditationis* materiam pro Via Purgativa in hoc Opere reperies sub titulis in Indice positis. Est autē *imò.* Finis

timus respectu hominis, qui est Beatitudo in Patria Cælesti: ut sciat homo, quò tendere debeat. Elice pios *Actus* & *Affectus ut*
§.2. *tra.* I. *c.* I. *suprà sub Meditatione.* *2do.* Puritas, qui est intermedius finis, &
sec. 4. *subs.* I. dispositivus ad Beatitudinem in ratione medii; ut consideret, an
§3. eo sit usus ad finem Beatitudinis. *Vide Actus pios, & Affectus* ut su-
Ibidem. prà. *3tio.* Cognitio suiipsius, quid sit moraliter homo: ut videat quantùm deviaverit à Puritate, ut medio ad ultimum finem su-
Ibidem. um. Vide *Actus pios & affectus* ut suprà &c: *4to.* Peccatum mor-
Ibidem. tale, cujus videat gravitatem. *Vide Actus pios & Affectus* ut suprà. *5to.* Contemptus mundi; ut advertat vanitates rerum seculi, ob quas peccavit, & contemnat eas &c: Vide *Actus pios & Affectus* ut suprà. *6to.* Mors peccatorum. Vide *Actus & Affectus* &c: *7timo.* Judicium peccatorum. *8tavo.* Infernus. *Vide actus & affectus* &c: *9no.* Purgatorium. Vide *Actus & Affectus.* Hos omnes actus & affectus reperies sub praxi Meditationis. Vide etiam titulos Resignatio, Obedientia, Contemptus mundi, Humilitas, Pœnitentia, Mortificatio.

non communi sed speciali perfectionis modo. Quoad *Indeterminatum tempus*, propono incurrētibus tentationibus fortiter resistere, occurrentes occasiones exercendæ Obedientiæ, & Charitatis proximi non negligere; munia officii mei ad amussim peragere. Denique in sequentibus proposita exactè perficere. Nimirum.

PRIMO MENSE.

Propono exercitium Timoris DEI, & Resignationis mei in DEI Voluntatem.

ITaque I. Quotidie quoties opportunum fuerit, toties propono elicere actus Timoris DEI. *Vel si placet propone certum numerum v.g.* 10. *vel* 20. *actus Timoris DEI quotidie exercere. Actus Timoris habentur sub eadem virtute infrà* I. 2. tra: 2. c. 2.

II. Ex motivo Timoris DEI, quoties commoditas se obtulerit

lerit per diem, toties eliciam actum quempiam Resignationis vel Obediētiæ erga DEUM: *siue etiam propone certū numerū* 10 *vel* 20. *eorundem actuum quotidie perficiendum. Actus verò Resignationis & Obedientiæ possunt esse v.g. hujusmodi.* I. Domine quid me vis facere? II. Paratum cor meum DEUS: paratum cor meum, in omnem voluntatem tuam, in tempore & æternitate. III. Loquere Domine, quia audit servus tuus. IV. Obsecro Domine IESU per donum Timoris tui, & Resignationem ac Obedientiam tuam, da mihi perfectum & perpetuum Timorem DEI, Resignationem & Obedientiam ad Te. V. Obsecro Mater DEI per donum Timoris tui, Resignationem & Obedientiā tuam, impetra mihi perfectū & perpetuum &c. *ut suprà* VI. Obsecro B. B. Patroni mei per Timorem, Resignationem, Obedientiam vestram ad DEUM, impetrate mihi &c. *ut suprà: Vide plures actus, sub iisdem virtutibus Timoris DEI, Resignationis & Obedientiæ erga DEUM.* Non etiam negligam subinde actus internos Pœnitentiæ exercere,

III. Ad obtinendum Timorem DEI, Resignationem, Obedientiamque erga DEUM propono, quotidie omnia mea opera intendere, dirigere, DEO offerre. Specialiter in Divino officio, in Missa, in precibus privatis pro his virtutibus orare. Pro iisdem acquirendis quotidie abstinentiam cibi & potûs faciam, per septimanam ter disciplinam peragam; & solitudinem, silentiumque quàm maximè sectabor, piis lectionibus meditationibusque inhærendo. Denique ad minus bis in septimana statum meum internum Admodum R. P. vestræ manifestabo, petamque mei severiorem increpationem & confusionem ac pœnitentiam mihi assignandam, tum pro aliis, tum pro negligentiis, in præfatis propositis &c.

SECUNDO MEMSE.

EAdem exercitia, eodem modo resume, *ut suprà* nisi quòd loco Resignationis voluntatis tuæ in DEUM, exercebis te *in Obedientia simplici, & cæca erga tuos Superiores, & Magistrum Spiritualem* Actus internos & externos ejusdem Obedientiæ habes infrà sub ipsa. Porrò supplices Magistro Spirituali, ut præscribat tibi aliqua externa opera præfatæ Obedientiæ, quotidie exercenda.

TERTIO MENSE.

SImiliter *ut suprà* circa primum mensem diximus exercebis te loco Resignationis *in Contemptu mundi*: Cujus actus internos vide suprà sub praxi Meditationis; Actus externos infrà sub ipso Contemptu mundi.

QUARTO MENSE.

EXercebis te *in Humilitate, odio, & contemptu tui* juxta methodum suprà datam circa primum mensem, exceptâ Resignatione tui. Actus odii & contemptûs sui vide suprà sub praxi meditationis, Actus Humilitatis vide infrà sub eadem virtute.

Punctum Secundum.

ITa probè dispositus ad viam Purgativam, tandem incipies dignos fructus Pœnitentiæ agere, & studere Mortificationi vitiorum *hac praxi.* Anno Domini 1684. die 1. Mensis Maji, Ego indignitas & miseria, in præsentia Divinæ Majestatis, & B. M. V. & S. Angeli Custodis mei, & S. Iosephi Patroni mei; ex voluntate ac cum benedictione Admodum R. Paternitatis vestræ (*si Magistrum, vel Patrem Spiritualem habes*) sine ulla obligatione, etiam venialis peccati, firmissimè cum gratia DEI propono hoc Mense juxta *Ordinem temporum & actionum* mihi competentem, exercere me tum in operibus statui meo & officio congruis, tum in virtutibus Timoris DEI, Pœnitentiæ, & Mortificationis vitiorum, maximè hujus Vitii N. v, g. Gulæ (*quæ ante omnia est mortificanda, alioquin etsi centum annus vixeris, nihil, vel vix aliquid proficies in via virtutis, ut aliunde patet*) ad obtinendam Puritatem à reatu culpæ & pœnæ, & maximè Puritatem ab hoc Vitio N, & ad majorem DEI, & Suorum Gloriam.

1. 2. tra: 2. c. 5. in accessu, & sub Abstinētiâ. &c.

Declaratio Præcedentis Propositi.

QUod concernit præfatum Ordinem temporum & actionum &c. vide suprà dicta puncto primo usque ad titulum

Ly *primo mense*, ac ibi dicta hic quoque proportionatè applica, & propone ad observandum. Deinde sequentia proposita connota.

I. Propono quotidie elicere tot actus Timoris DEI, quot commodè potero &c.

II. Propono quotidie bis deflere peccata mea, & precari gratiam mortificationis vitiorum, specialiter hujus vitii N. tum quot aliàs potero per diem & noctē exercebo actus internos pœnitentiæ & dictæ mortificationis &c:

III. Ex motivo & fine pœnitentiæ ac mortificationis (*qui finis est supradicta Puritas*) quotidie contentus ero v. g. tertiâ parte cibi & potûs ordinariæ mensuræ, reliquas partes pauperibus distribuam; cilicium vel catenulam aliquo tempore portabo, faciam disciplinam, vigilabo aliquâ horâ supra consvetum somnum, durius stratum curabo, aliquem actum Resignationis mei in DEUM, tum Obedientiæ cæcæ faciam, pro omni possibili fugiam mundum, & conversationem hominum, ad Sanctum Silentium & Solitudinem pro Spiritualibus exercitiis v. g. lectionis, meditationis, orationis &c: quæram contemptum & abjectionem mei, feram patienter quidquid occurrerit. Denique ex eodem motivo (renovando intentionem in principalioribus) omnia agam & patiar ad DEI & Suorum Gloriam.

IV. Qualibet septimanâ ad minimum bis internum statum meum Admodum R. P. Vestræ patefaciam, tam de negligentiis, imperfectionibusque horum propositorum, quàm de aliis me accusabo, petam severiorem increpationem ac mei confusionem, necnon congruam pœnitentiam ac satisfactionem.

Nota. In hunc modum quolibet mense exercebis te in mortificatione vitii alterius & alterius: ad quod magis sentis te propensum, vel denique tamdiu te mortificabis in uno vitio, quamdiu illud in te vigere adverteris. Sed plura *suprà vide sub circumstantia Quando* quoad durationem temporis in exercitio Pœnitentiæ & Mortificationis. 1. 2. *Tract.* 1. c. 1. *Sect.* 4. *subs.* 1. § 9.

§ III.

Compendium Profectûs in Heroicis Virtutibus per Viam Illuminativam seu Proficientium.

Ubi simul Confirmantur dicta supra de S. Simplicitate per alium Titulum SANCTÆ STULTITIÆ.

HOc Compendium profectûs, est Conformitas seu Transformatio vitæ Christianæ in Christum præcipuè ut Passum & Crucifixum; juxta quod practico Doctore gentium ita explicatur. *Mihi autem absit* (in aliquo alio terreno vel temporali) *gloriari* (me sublimari, delectari, lætari) *nisi in cruce* (id est in summa paupertate, contemptu, dolore moribundi) *Domini nostri JESU Christi. Per quem mihi mundus crucifixus est* (id est per cujus doctrinam, sequelam, gratiam, mundi divitiæ, honores, deliciæ, instar patibularii molestæ, execrabiles, intolerabiles mihi sunt) *Et ego mundo* (id est, ego quoque mundi amatoribus tanquam patibularius, despectus, exosus sum) Idem alibi ait: *Christo confixus sum cruci.* Et: *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quæ Transformatio in Christum Passum & Crucifixum videtur esse mundi sectatoribus mera Stultitia prout Apostolus ait: *Verbum crucis pereuntibus Stultitia est:* sicut & ipse Christus ab Herode, & suo exercitu spretus, illusus, & veste albâ instar stulti prostitutus fuit. Deinde in crucem actus à Iudæis deridebatur dicentibus: *Alios saluos fecit, se saluum faciat.* Denique Christus Crucifixus, gentibus prædicatus, visus est Stultitia. Verùm hæc Stultitia apud DEUM est altissima Sapientia. Unde Apostolus monens dicit: *Si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Præclarè *S. Augustinus* „inquit: Sapientes & prudentes, dicentes se esse sapientes, stulti facti

Galat. 6. — *Gal. 2.* — *Ibidem.* — *1. Cor. 1.* — *Luc. 23.* — *Ibidem.* — *1. Cor. 1.* — *1. Cor. 3.* — *S. August. hom. in c. 11. Matth.*

„ facti sunt. Habes remedium à contrario: Si dicendo te esse „ sapientem, stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. Sed „ dic, & intùs dic, quia sic est, ut dicis. Si dicis, noli coram ho„minibus dicere, & coram DEO non dicere. Prorsus quod ad „ te ipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim „ aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique „ de illis sic ait: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Ante„quam hoc diceret, quid rursum? Et obscuratum est insipiens „ cor eorum. Dic, quia tu tibi lumen non es.))

Igitur dicta Transformatio in Christum maximè ut Crucifixum, seu Christiana Stultitia, si est in facto esse, est summa Perfectio Christiana; si est in fieri, est Compendium profectûs in heroicis virtutibus ad Perfectionem altissimam. Tali enim methodo (ut manifestè patet) exercetur in supremo gradu virtutis, & Resignatio sui in DEI voluntatem, & Obedientia, & Contemptus mundi, seu Paupertas Christiana, & Humilitas ac Contemptus sui, Patientia &c: Quod utinam magis experientia & praxi comprobes, quàm longiori discursu. Ergo à verbis ad opera procedamus juxta suprà specificatam methodum in via Purgativa.

Anno Domini N. die N. Mensis N. Ego indignitas & miseria, in præsentia Divinæ Majestatis, & B. M. V. ac S. Angeli Custodis mei, & S. Josephi Patroni mei, ex voluntate, ac cum benedictione Admodum R. P. vestræ (*si Magistrum vel Patrem Spiritualem habes*) sine ulla obligatione etiam venialis peccati firmissimè cum gratia DEI propono hoc toto Anno, ab hodie incipiendo, juxta *Ordinem temporum & actionum* mihi competentem, exercere me, tum in operibus statui meo & officio congruis, tum in Virtute Spei, & Christianæ Paupertatis inferiùs à B. Angela de Fulginio descriptæ, (ad quam aliæ heroicæ & præclarissimæ virtutes reducuntur) Ad obtinendum, augendum Ornatum gratiæ, & virtutum, & ad DEI ac Suorum Gloriam.

Vide infrà tit. Spes, & Paupertas Christiana.

Ex-

Explicatio præcedentis Propositi.

DIcitur *in* Proposito: *Ordinem temporũ & actionum.* Quoad *Prius & posterius tempus*, huic eo ipso accõmodaturum me esse censeo, dum explevero sequẽtia proposita. Itaque quoad *Omne tempus*, Propono semper memor esse præsentiæ DEI ut summè mihi boni. Quoad *Aliquod Tempus*, Propono subinde (dum ita expedierit) aliqua exercitia viæ Purgativæ vel Unitivæ breviter perficere. Quoad *Determinatum tempus*, Propono quotidie ut evigilavero mox ad DEUM mentem convertere, Divi-

DIcitur in explicatione Propositi: *Omne tempus* &c. Quãdoquidem finis omnitemporaneæ hujus præsentiæ DEI est spes, seu amor & desiderium summi Boni per suam gratiam & gloriam, seu æternam beatitudinem possidendi, unde homo continuò incitetur ad exercitia viæ Illuminativæ: itaq; ad eandem spem seu amorem concupiscentiæ fovendum, identidem sequentes eliciet Actus & Affectus cum reflexione tamen ad hæc tria. I. ad DEUM ut summum hominis Bonum per gratiam & æternam gloriam. II. Ad Christi vitam, passionem, & mortem. III. Ad exercitium aliquod virtutis v. g. hac methodo.

I. Sicut Christus Dominus proposito sibi gaudio sustinuit crucem omnigenæ Paupertatis, Humiliationis, Passionis, &c: ita & ego amore gratiæ DEI, & illius beatifici gaudii libenter conformo imò transformo me in Christum Crucifixum, pauperem, contemptum, dolorosum.

II. O quàm magnum bonum est gratia DEI, & illa perennis gloria, quæ pretio infinito, vitâ, sangvine, morte ipsius Filii DEI est pro nobis empta! Si tamen compatimur, & conglorificabimur.

III. Quæ illæ opes, thesauri, divitiæ cælestes, ut ex decreto DEI non potuerint pro homine comparari, nisi extremâ paupertate & nuditate ipsius DEI Hominis? O JESU! precor concede mihi imitari Te, ut quò hic fuero pauperior, eò sim quoque in æterna opulentia tibi similior.

IV. O quàm nunc sublimis Christus in Majestate & gloria, qui in hoc

hoc mundo omni affectus fuit contemptu, probro, & ignominia! Eja anima mea, & tu si culmen veri honoris quæris, scias te Christo fore magis proximam in altitudine cælorum, quò nunc magis fueris depressa in abyssum omnis vilitatis, confusionis, despectûs.

V. *Quis immensum diluvium illud cælestium deliciarum explicabit, propter quod Christus mari amaritudinis dolorum, undisque sangvinis obrutus fuit? Equidem & mihi gaudium voluptasque cæli eò majori paratur in copia; quò hic in majori necessariorum fuero inopia, & dolorum amaritudinumque plurium ac graviorum circumdatus fuero patientiâ.*

VI. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam,* Rom: 8.
quæ revelabitur in nobis. Et: *Id quod in præsenti est momentaneum, &* 2. Cor: 4.
leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.

VII. *O beata æternitas, novum gaudium Beatorum! O æternitas dulce suspirium miserorum in hac valle lachrymarum!*

num officium diurnum & nocturnum exactè ac devotè persolvere: Matutinum exercitium Intentionis, precum, recollectionis, lectionis, meditationis viæ Illuminativæ cum suo fructu, tum de vita & passione Christi debitè perficere. Missam celebrare, vel audire, ut decet: Occupationi fructuosæ incumbere: Refectione, recreatione, somno, aliisq; indifferentibus actibus ad meritum uti:

Porro *Lectionis & Meditationis* materiam pro via Illuminativa in hoc Opere reperies sub titulis in Jndice positis, nempe 1mo. Finis ultimus respectu hominis, qui est beatitudo in Patria cælesti, quatenus homo cognoscat quò collimare debeat. *Actus & Affectus vide supra sub praxi Meditationis.* 2do. Ornatus virtutum, Perfectio, Sanctitas, Beatitudo viæ; qui sunt intermedii fines supernaturales simul & dispositiones positivæ ad beatitudinem Patriæ. Post horum singula *Actus & Affectus* applicari possunt quos reperies 1. 2. Tra. 1. c. 1. Sec. 4. Subs. 2. §. 3. 3tio. Doctrinâ, motiva multipli-

Vespertinum exercitium peragere; Examinare bis de die profectum, vel defectum meum cum pœnitentia & lachrymis. Et super omnia his omnibus, alijsque operibus Intentiones rectas præfigere, (maximè ad obtinendam Virtutem N. (*in qua te pro illo tempore exerces.*) Deinde operabor communia non communi sed speciali perfectionis modo. Quoad *Indeterminatum tempus*, propono incurrentib⁹ tentationib⁹ fortiter resistere: occurrentes occasiones exercendi Obedientiam, & Charitatem in proximum non negligere: munia officii mei ad amussim peragere. Denique sequentia proposita exactè perficere.

cia tum quoque ex Vita & Passione D. Nostri JESU Christi, B. V. MARIÆ, & Sanctorum excerpta, pro omni virtute in genere & specie spectata, & simul *Actus & Affectus* congruos hoc toto Opere invenies. De Vita & Passione Christi §1. Tract. ultimo c. 1. Sect. 1. Subs. 3. De excellentia Christi & Deiparæ parte 3. Tract. 2.

Itaque I. Quotidie pro opportunitate temporis eliciam internos actus Spei & desiderii æternæ beatitudinis.

II. Exercebo me in actibus Heroicis propositæ supra S. Paupertatis. Quæ siquidem includit in se alias & alias excellentissimas virtutes (ut ibidem patet) hinc tum ex motivo præfatæ Sanctæ Paupertatis, tum ex motivo earundem virtutum. Uti v. g. obedientiæ, humilitatis, mortificationis, patientiæ, &c: ipsarum actus internos externosq; faciam, dum commodè potero proportionatè ad meum statum, officium, aliasque circumstantias. De quo Spiritus S. ardenter invocatus, facilè docebit.

III. Ex motivo S. Paupertatis & assequendæ ejus perfectionis, tum Finis (qui est Ornatus virtutum) propono quotidie contentus esse v. g. tertiâ parte cibi & potûs ordinariæ mensuræ, reliquas verò partes distribuam pauperibus: Cilicium vel catenulam gestabo: Disciplinam faciam: Vigilabo quantum salvâ sanitate potero: Duriori strato utar &c: Denique omnia agam &

patiar ex præfata intentione ad DEI & ſuorum Gloriam.

IV. In Propoſitis exercitiis libenter utar quodam velamine Fatuitatis & Stultitiæ Chriſtianæ. Non quidem me impotem rationis oſtendam, prout fecit S. Simon Sales (niſi forſan ſpecialiter Spiritus S. inſpiraverit) ſed eo ipſo, dum me exercens in dictis propoſitis heroicorum operum virtutis, quæ hominibus animalibus, carnalibus, vanis, & profanis apparent eſſe irrationabilia, adeòque & ipſe apparuero inſtar cujusdam ſtulti & fatui: Tunc cum gaudio ejuſmodi æſtimationem feram, eamque ut talem habeam, conabor procurare. Imò ſubinde vocabo me inſipientem, nihil me ſcire, nihil boni agere poſſe; eſſe obnoxium multis erroribus & illuſionibus diabolicis; eſſe ignarum, inexpertum, imperitum, rudem, ſimplicem, obcæcatum intellectu, obtuſum ſenſu, imprudentem, inconſideratum, incircumſpectum, incautum, nec ſibi ipſi conſulere poſſe. Denique cum Sapiente fatebor quòd ſim *ſtultiſſimus virorum, & Sapiẽtia hominum non eſt mecum.* Prov. 30. *Non didici Sapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum &c.* Atque ut talem me factis oſtendam, non quidem inſaniendo, vel ridiculos geſtus, motuſque &c. exhibendo; ſed ut rudes & imperiti, vel pro ſtultis habiti faciunt, non audendo comparere in conſpectu, conſortio, conſilio aliorum, altisſimum ſilentium tenendo, honorifica quæque fugiendo, & vilisſima quæque ſectando. Sed ſi requiſierit me quis, ad dandum conſilium, reſpondebo orationem me fuſurum ad DEUM pro Spiritu conſilii petenti &c. Ex his & ſimilibus quiſque pro ſuo ſtatu & circumſtantia, exercenda excerpet, prout Unctio Spiritûs S. ampliùs informaverit.

V. Qualibet ſeptimanâ binis vicibus adminus ſtatum meum internum Admodum R. P. Veſtræ manifeſtabo; & precabor tum pro negligentiis horum propoſitorum, tum pro aliis defectibus increpationem & confuſionem mei, ac pœnitentiam.

Nota hac Methodo progredi poteris, & in exercitiis aliarum virtutum, uti Humilitatis, Patientiæ, &c. Vide de iiſdem S. Angelam de Fulginio infra ſimili modo tractantem, uti de Sancta Paupertate.

Actus Virtutum Theologicarum, & Moralium, pro opportunitate eliciendi.

Decerpti ex vita P. Gasparis Druzbicki S. J. nisi quòd addiderim ly Toto JESV Cujus Additi rationem intelliges ex Meditat: class: 4. R. Francisci Bourgoinci Presbyt: Congr: Orat:

SAncta Trinitas unus DEVS, in adjutorium meum intende.

Fidei. 1. Credo Te Domine: credo in Te, de Te, omnia per Ecclesiam revelata à Te O prima Veritas! Toto me.

Spei. 2. Spero Domine Te, & à Te, confido in tua misericordia, in auxiliis & promissis tuis, & in Christi meritis, Toto me.

Charitatis. 3. Amo Te summum Bonum super omnia, Toto Te, Toto IESV, Toto me. Amo meipsum propter Te. Amo omnem hominem, etiam inimicum, & ingratum, inutilem, & ignotum, sicut ipsum me propter Te. Amo omnem creaturam in Te, & pro omni creatura amo Te Toto me, Toto IESV.

Timoris. 4. Timeo Te Dominum, percussus abyssali iustitiâ Tuâ. Timeo Te timore filiali, sponsali Beatorum. Quis non timeat Te, quia justus es? Timeo Te, Toto me.

Adorationis. 5. Adoro, & glorifico, & superexalto Te Latreutico cultu, soli tibi debito, Toto me, Totâ Humanitate IESV.

Subjectionis. 6. Subdo me Tibi æternaliter, & ad omnia, Toto me, Toto IESV.

Devotionis. 7. Devoveo me atque despondeo, quàm possum devotissimè omni voluntati Tuæ bonæ, beneplacitæ, & perfectæ, externæ, internæ, substantialique, Toto me, Toto IESV.

Gratiarum actionis. 8. Gratias Tibi ago æternas, pro omnibus & singulis beneficiis & gratiis Tuis, naturæ, gratiæ supernaturalis, & gloriæ, Toto me, Toto JESV.

Gratulationis. 9. Gaudeo, & gratulor Tibi totum Te, & omnia Tua, Toto me, Toto JESV, Toto Te.

Laudis. 10. Laudo, & exalto Te, toto Te, pro Te, & pro me, Toto me, Toto JESV.

Vilificationis sui ipsius. 11. Vilifico, & annihilo me, coram Te, & coram omni creatura propter Te, Toto me, Totâ Humanitate JESV.

Odii peccati. 12. Confiteor, doleo, detestor omnem iniquitatem meam coram Te, propter Te, Toto me, Toto JESV.

Diffidentiæ sui & attributionis DEO. 13. Diffido mihi per omnia, & soli Tibi confido, omniaque bona Tibi attribuo, & restituo, mihi meum nihil reservo, Toto me, Totâ Humanitate JESV.

14. Volo

14. Volo Domine ad normam justitiæ, reddere unicuique quod suum est, propter Te, Toto me, Totâ Humanitate JESU. Justitiæ.

15. In lumine vultûs Tui, & ob prudentiæ Tuæ rationes æternas, omnia & agere, & pati volo, Toto me, Toto JESU. Prudentiæ.

16. Dominari sensibus, & concupiscentiis meis per tuam gratiam volo semper Toto me. Temperantiæ.

17. Fortitudo mea, & laus mea Tu es Domine. Tu me conforta in hac, & omni hora, & in Te DEO meo transgrediar murum Toto me. Fortitudinis.

18. Cultum omnem, & abyssalem reverentiam tribuo Tibi, quæ digna es Majestas DEI mei, Toto me, Totâ Humanitate JESU. Religionis.

19. Gaudens gaudeo in JESU meo Crucifixo, & mortuo pro me, & in unione meritorum ejus, & pretiosissimæ Matris ejus, ac Electorum ejus, agam, & patiar universa semper, Toto me. Unionis ad merita Christi & SS.

20. Humilio me sub potenti manu tua, & sub manu omnis creaturæ propter Te Domine, Toto me. Humilitatis.

21. O Castitas! ô cordis puritas & corporis! amo, desidero, voveo te, Toto me, Toto JESU. Castitatis.

22. Omnia quæ mundus immundus habet, ac æstimat, arbitror & abjicio propter Christum pauperem, ut stercora, & detrimenta, & voveo eidem Paupertatem, Toto me. Paupertatis.

23. Obedire, & subdi volo ex voto omni creaturæ præpositæ mihi à Te, propter Te, Toto me, Toto JESU. Obedientiæ.

24. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, Toto me. Desiderii DEI.

25. Tabescere me fecit & facit zelus Tuus, zelus gloriæ Tuæ, zelus salutis nostræ, Toto me, Toto JESU. Zeli.

26. O Domine utinam Te homines nossent! utinam Te norint! ament, æstiment, revereantur, desiderent, laudent, atque voluntatem Tuam sicut in cælo, ita & in terra faciant, Toto me, Toto JESU. Sitis animarum.

27. Opto anathema esse à Christo, pro Fratribus meis in Christo. Opto inferorum portam obturari ipso me, & per me, ne quisquam ampliùs per illam descendat in damnationem. Ejusdem excessus.

28. Sanctissima TRINITAS, JESUS CHRISTUS, MARIA Mater DEI, & omnes Electi ejus, mei dulcissimi amores; patiar ego, moriar ego amore vestri, totus sim vester, nullus ego, Toto me. Amoris & cultus SS. omnium.

Cultus & desiderii Sanctissimi Sacramenti. 29. *Toto me semper & ubique sit laudatum SS. Sacramentum. Quod ego semper, & ubique Latreuticè adoro, desidero, recipio, Toto me, deque ejus dignitate & dignatione exulto Toto me; atque ad ejus consecrationem, & sumptionem per omnes actiones & passiones meas, meritis & sangvini JESU Christi conjunctas, desidero, peto propono, Toto me.*

Confusionis & abjectionis sui ipsius. 30. *Confusio & abjectio & supplicium inferni, mihi vilissimo peccatori. Ter Sancta TRINITAS miserere mei, sicut potes, scis, & vis, propter Te, nihil enim mihi sum sine Te, nisi dux in præceps & malum, & mortem, Toto me.*

Perseverantiæ. 31. *Domine da quod jubes, & jube quod vis. Perseverantiam in Te jubes: da perseverantiam; & ego jam perseverare volo, in omni beneplacito Tuo, Toto me. Toto me Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, Gloria Matri pretiosissimæ, & Filio, & Josepho sancto, & omnibus Sanctis. Requies æterna animabus in purgatorio. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

§. IV.

Profectus in Via Unitiva, seu Perfectorum.

DEpuratus à peccatis, & vitiis, ornatusque virtutibus & gratiis; quid nisi jam rectè dispositus reperieris, ad strictiorem unionem cum DEO per ferventiorem Amorem ꝭ. Igitur quomodo in hac via Amoris progressus fiat, & quibus gradibus altiùs, & altiùs ascendatur, (& quanto tempore in singulis quoad Activam Contemplationem & Amorem morandum) supra copiosissimè dictum est sub Contemplatione. Ibidemque citatos in fine Authores Mysticos, & alios, ad placitum tibi compara, relege, & actu sequere.



CA-

CAPUT II.

De Oppositis, Actibus Spiritualibus seu Salutaribus Virtutibus.

VIrtus seu actus virtutis ex quo debet esse in Medio seu mediocritate quadam, ejus extrema Opposita; alia sunt per Excessum, alia per Defectum, ut visum supra. Itaque iuxta *Angelicum Doctorem* non modò virtutes Morales, & Intellectuales, verùm & Theologicæ habent suum Medium, adeoque & ei oppositionem tam excessûs quàm defectûs; sed cum hac differentia, quòd Morales sequantur Medium rationis, cujus ordinem & rectitudinem dum superexcedunt, vel ab ea deficiunt, utique irrecti ac inordinati, adeòque actus vitiosi censentur. Præterquam quòd Iustitia respiciat Medium rei, ut alibi dictum. Intellectuales verò sequuntur Medium rei seu obiecti, quatenus sunt conformes & commensuratæ obiecto, ut in re est, vel non est verum. Excessus Intellectualis Virtutis est secundùm affirmationem falsam, per quam dicitur esse, quod non est. Defectus autem accipitur secundùm negationem falsam, per quam dicitur non esse, quod est. Porrò Theologicæ virtutes habent duplex Medium: unum est secundùm rationem ipsarum virtutum, nempe ipse DEUS, secundùm quem regulantur: sic fides nostra regulatur secundùm veritatem Divinam; spes secundùm magnitudinem omnipotentiæ & pietatis DEI; charitas secundùm bonitatem ejus. Et ista mensura est excedens omnem humanam facultatem: unde nunquam potest homo tantùm diligere DEUM, quantùm diligere debet, nec tantùm credere, aut sperare in ipsum, quantùm debet. Hinc multò minus potest ibi esse Excessus, & sic bonum talis virtutis non consistit in Medio, sed tantò est melius, quantò magis acceditur ad summum. Alia verò regula vel mensura virtutis Theologicæ est, ex parte nostra; quia etsi non possumus ferri in DEUM quantùm debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando & amando secundùm mensuram nostræ conditionis. Unde per accidens potest in virtute Theologica considerari Medium, & extrema ejus ex parte nostra.

p. 1. c. 3. sec. 6. § 3.

1. 2. *quæst. 64. a. 1. 2. 3. & 4.*

1. 2. *q. 71. A. 1.*

Lib. 2. Phiis. 82.

Hæc

Hæc extrema vitiosa per Excessum & Defectum opposita actui Virtutis in suo Medio seu mediocritate sito, vocantur à D. 2. 2. q. 92. a. 1. *Thoma* Peccatum: quia hoc opponitur Virtuti secundùm illud, ad quod Virtus ordinatur, istud autem est; actus bonus, debitus & ordinatus, iam verò peccatum propriè est actus inordinatus. Et Arist. *Peccatum est actus, qui à justa & debita regula deficit.*

Peccata per *Excessum* facta non solùm accipiuntur secundùm quantũ, sed etiam secundùm alias circũstantias virtutis debitas haud observatas. v. g. Non modò quis excedit in virtute Abstinentiæ jeiunando nimiúm ad gravem læsionem sanitatis, verùm etiam jejunando non suo tempore, uti die Dominico quidam Hæretici faciebant, &c. Quare *D. Thomas* ait: Contingit au-
„ tem excedere medium virtutis, non solùm secundùm circum-
„ stantiam, quæ dicitur quantum, sed etiam secundùm alias
„ circumstantias. Unde in aliquibus virtutibus sicut in Magna-
„ nimitate & Magnificentia vitium excedit medium virtutis, non
„ quia ad majus aliquid tendat, quàm virtus, sed fortè ad minus.
„ Transcendit tamen virtutis medium, inquantùm facit aliquid
„ cui non debet, vel quando non debet, & similiter secundùm
„ alia hujusmodi, ut patet per Philosophum in 4. Ethicorum.
„ Sic ergo superstitio est vitium Religioni oppositum secundùm
„ excessum, non quia plùs exhibeat cultum Divinum, quàm vera
„ Religio, sed quia exhibet cultum Divinum, vel cui non debet,
„ vel eo modo quo non debet.)) Contra excessum virtutis accipe Eccl. 7. Eccl. *Noli esse iustus multùm.* Prov. 4. Prou. *Ne declines neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Unde S. Hieronymus: Com. in c. 5. Matthæi. *Si à recta via paululùm declinaveris, non interest utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cùm verum iter amiseris.*

Peccata per *Defectum*, alia sunt Virtuti contradictoriè opposita, qualia sunt peccata omissionis: alia contrariè opposita, qualia sunt peccata commissionis. Porrò quia non modò per manifestum peccatum receditur à virtute vera & salutari, sed etiam per non veras & falsas, suntque eiusmodi virtutes suo modo oppositæ veris, inquantùm scilicet præseferunt similitudinem virtutis salutaris, ejus tamen essentiam & veritatem ac medium non attingunt, quod medium mensuratur juxta naturalem rationem,

re-

regulis & rationibus Divinis ac supernaturalibus informatam. In quo etiam puncto accipe S. Augustinum in 4. contra Iulianum: *Quòd omnibus virtutibus non solùm sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas: verùm etiam vitia quodam modo nec veritate, sed quâdam specie fallente similia: sicut ipsi prudentiæ astutia.* Talibus Pseudovirtuosis convenit illud dictum: Est *generatio, quæ sibi munda videtur: nec est lota à sordibus.* Hinc de iisdem non veris ac falsis virtutibus, sicut & de aliis Oppositis actuum virtutis salutaris sequentibus agendum.

V. D. Thom. 2. 2. in accessu q. 53.

Prov. 30.

SECTIO I.

De non veris, falsis, & imperfectis Virtutibus, Oppositis tum perfectis, tum aliis Actibus Salutaribus Virtutum.

NOn veræ Virtutes hìc supponuntur, quæ sive sint, sive non sint veræ virtutes naturales, quia tamen non sunt supernaturales, ob carentiam alicujus conditionis supra requisitæ ad actum virtutis salutarem; & potissimùm si extra statum gratiæ, non ex motivo supernaturali charitatis fiant, ideo tales virtutes minimè veræ, salutaresve virtutes censentur. Unde Apostolus ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et D. Thomas ostendens, quæ non veræ, falsæ, ac imperfectæ virtutes sint, ejusmodi format discursum dicens: Virtus ordinatur ad bonum. Bonum autem principaliter est finis. Nam ea quæ sunt ad finem, non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex est finis, unus ultimus, & alius proximus, ita etiam est duplex bonum. Unum quidem ultimum & universale, & aliud proximum & particulare. Ultimum quidem & principale bonum hominis est DEI fruitio, secundùm illud Psalm. 72. Mihi adhærere DEO bonum est: & ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem secundarium, & quasi particulare hominis potest esse duplex. Unum quidem, quod est verè bonum, utpote ordinabile, quantùm est in se, ad principale bonum, quod est ultimus finis. Aliud autem est bonum ap-

1. Cor. c. 13.

2. 2. q. 23. a. 7.

parens, & non verum, quia abducit à finali bono. Sic ergo patet, quòd virtus vera simpliciter est illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis: Sicut etiam Philosophus in 8. Ethicorum dicit, quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum. Et sic nulla vera virtus potest esse sine charitate. Sed si accipiatur virtus, secundùm quòd est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, inquantùm ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed illud particulare bonum si non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis. Sicut non est vera virtus, avarorum prudentia, quâ excogitant diversa genera lucrorum; & avarorum justitia, quâ gravium damnorum metu contemnunt aliena, & avarorum temperantia, quâ luxuriæ, quæ sumptuosa est, cohibent appetitum; & avarorum fortitudo, quâ, ut ait Horatius lib. 1. Epistol.

Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.

Ut Augustinus dicit in 4. libro contra Julianum. Si verò illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale & perfectum bonum. Et secundùm hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest. *Hæc D. Thomas.*

Porrò non vera & falsa virtus potest opponi veræ virtuti, prout hæc est salutaris; opponi inquam per excessum, vel defectum, ut consideranti patebit. Imperfecta autem virtus opponitur perfectæ, sicut opponitur minùs perfectum magis perfecto. Potestque esse imperfecta virtus actûs salutaris v. g. aliqua ex Cardinalibus virtutibus, quæ non semper exercentur ex motivo charitatis, modò tamen fiat cum aliis requisitis supraspecificatis ad actum salutarem. Hactenus de non veris & falsis virtutibus dicta sunt in genere, nunc inseruntur aliqua de iisdem, sicuti & veris virtutibus dicenda in specie, ut Christianus hinc inde positas syrtes & charybdes eò cautiûs evadere queat. Ita *S. Bernardus* inducit quendam ponentem tenebras lucem, & lucem tenebras inquiens: Quid plura? Attrahit, allicit, blanditur, & novi Evangelii prædicator, commendat crapulam, parsimoniam damnat, voluntariam

S. Bernardus in Epist: 1.

luntariam paupertatem miseriam dicit, jejunia, vigilias, silentium manuumque laborem vocat insaniam: è contrario otiositatem, contemplationem nuncupat, edacitatem, loquacitatem, curiositatem, cunctam denique intemperantiam nominat discretionem. Quando inquit delectatur DEUS cruciatibus nostris? ubi præcipit Scriptura quempiam sese interficere? Qualis verò religio est fodere terram, sylvam exscindere, stercora comportare? Nunquid non sententia Veritatis est: *Misericordiam volo, & non sacrificium?* Et: *Nolo mortem peccatoris, sed magìs ut convertatur, & vivat.* Et: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ut quid verò DEUS cibos creavit, si non licet manducare? Denique *qui sibi nequam, cui bonus?* Quis unquam sanum sapiens, carnem suam odio habuit? *Hæc S. Bernardus.* En isti non sufficit malitia sua, nisi eam palliasset Sacrâ Scripturâ, toto cælo aliter sentiente, ad decipiendum incautum.

Matthæi 9. *Ezech. 18.* *Matth. 5.* *Eccli. 14.*

Incitamenta cavendi falsas virtutes & verarum calumniā *1mum.* Quia væ talibus inversoribus ordinis Moralis dicitur, qui etiam à dœmone facilè decipiuntur. Unde Propheta: *Væ, qui dicitis malum, bonum, & bonum malum* Aquila vertit: *Væ qui dicunt malo, bonus es, & bono malus es.* Et *S. Gregorius*: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Hostis, ait, noster, tantâ se arte palliat, ut culpas nostras virtutes fingat, ut inde quisque quasi expetat prœmia, unde dignus est æterna subire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitiis, crudelitas agitur, & justitia putatur, atque immoderata justi zeli ira, meritum creditur, similiter effusio, misericordia, tenacitas parcitas, pertinacia constantia reputatur.

Isai. c. 5. v. 20. *S. Gregor. Homi 8. super psalm. 100.*

2dum. Fit DEO injuria virtutes injuriando. Audi *S. Bernardum*: Tu, inquit conaris pessima vitia virtutum palliare nominibus? an te putas hoc sine injuria facere Domini virtutum, quòd virtutibus facis injuriam? vanissimam præsumptionem, turpissimam levitatem, crudelissimam dissensionem, obedientiæ, modestiæ, mansuetudinis nominibus velas, & velatis sordibus, sacra illa vocabula maculas. Hanc ego nunquam æmuler obedientiam talem mihi nunquam libeat modestiam, vel potius molestiam imitari. Hujuscemodi mansuetudo semper longè pereat à me.

S. Bernard. Epist. 7.

Talis siquidem obedientia omni est contemptu deterior. Talis quoque modestia ultra omnem modum extenditur.

B. Maximus serm. de malis. 3tium. *B. Maximus* ait: Tales sunt adulatores, qui scurram vocant gratiosum, obscæna loquentem civilem, iracundum strenuum, parcum providum, prodigum liberalem. Tales laudatores illis quidem ore bene precantur, sed corde execrantur. Nam hâc laude omnem execrationem in illorum vitam inducunt; imò eos æternæ damnationi obnoxios faciunt, ipsa vitia approbantes.

Cass. Col. lib: 4. c. 20. 4tum. *Cassianus*: Perniciosiora, & à remediis longinquiora sunt, pati vitia, quæ sub specie virtutum, & imagine spiritualium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim, velut palàm expositi ac manifesti langvores & arguuntur cominùs & sanantur: illa verò dum prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quosque periculosiùs faciunt ac desperatiùs ægrotare. *S. Gregorius*: Graviores culpæ sunt quæ superductâ specie, virtutes imitantur: quia illæ in aperto cognitæ, animum in confusionem dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: istæ verò non solùm in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dùm virtutes putantur.

S. Greg. hom. 5. in Ezech.

p. 1. 2. tr. 2. c. 9. *Praxis* 1mo discernendi non veras & falsas virtutes à veris colligitur ex infrà dictis de Discretione spirituum. 2do, non est securior & melior via evitandi ejusmodi deceptiones, quàm velle, & conari habere voluntatem conformem Divinæ per omnia, & cuncta agere & pati ex Superiorum, vel Patris Spiritualis arbitrio. Etenim in DEI mandato, & ejus obedientia manifesta, nulla potest esse deceptio, sed vera virtus. Atqui in agendis & patiendis (suppone quæ non sunt manifestè mala) ex voluntate Superiorum eorumque obedientia, est agere & pati secundùm DEI mandatum manifestum, ejusque obedientiam. DEUS enim dixit respectu Superiorum: *Qui vos audit, me audit.* Ergo agere & pati ex voluntate Superiorum, nulla potest esse deceptio, nisi vera virtus. Nam etsi nullam aliam bonitatem haberent propriam, sortirentur illam ex obedientia, essentque veri actus virtutis obedientiæ, modò saltem hâc intẽtione fiant; *Ut obediatur*, proposito per fidem supernaturalem motivo, vel alio bono moraliter.

Luc. 10.

SECTIO

SECTIO II.

De Imperfectionibus Actûs Salutaris, tum aliis.

IMperfectio circa actum salutarem, quædam est culpabilis, quædam inculpabilis. *Culpabilis*, alia est compatibilis cum actu salutari, v. g. si is fiat cum aliqua levi negligentia, distractione animi, &c. De quo innuit Isaias: *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Culpabilis imperfectio alia est incōpatibilis cum actu salutari, eum corrumpens, & ex bono malum efficiens: quod contingit ex intento fine malo, vel alia circumstantia inconvenienti: Ut v.g. dare eleemosynam ob vanam gloriam, est actus vitiosus inanis gloriæ, non salutaris eleemosynæ. Unde D. Basilius ex professo probat non esse acceptum DEO opus præcepti, non competenter seu legitimè factum. Declarat autem illud non ita fieri, *quod vel præter locū debitū, vel præter tēporis opportunitatem, vel præter personæ decorum, vel præter causam, vel præter mensuram, aut præter ordinem, sive præter animi propositum agitur.* Et Propheta ait: *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.* Imperfectio *inculpabilis* tum est negativa, tum positiva. *Negativa* intelligitur tam carentia majoris perfectionis in actu salutari, quàm omissio absoluta actûs boni, minimè obligantis: Cujus imperfectionis poterat esse locus in Christo, & DEIpara: Non enim semper ex ratione objecti perfectissimi operabantur, alioquin nullius virtutis alterius elicuissent actum præterquam charitatis, nullum quoque certæ intensionis, sed infinitæ. Nisi dicas eos operatos fuisse simul & ex objecto perfectissimo, & aliis minùs perfectis. *Positiva* Imperfectio est omissio melioris boni, contra aliquam obligationem, non tamen sub peccato. Ejusmodi imperfectiones sunt v. g. transgressiones nonnullarum regularum apud Religiosos, quarum observantia etsi minimè sub reatu culpæ obligat, tamen eæ sunt causa subtractionis efficacium & specialium gratiarum DEI, quæ subtractio quamquam non habeat propriè rationem pœnæ, utpote quæ non propter culpam propriè dictam infligitur, est tamen per modum removentis prohibens culpam, ex negatione auxilii efficacis consequentem. Adeoque tales imperfectiones sunt mediata saltem dispositio ad culpam,

Isaiæ c. 64.

Lib. seu serm. 2. de Baptis. c. 8.

Ierem. 48.

culpam, etsi non sint in se culpabiles. Quòd non leviter (ut plerique solent) sed cum magno tremore est pensandum: quippe ex occasione hujusmodi subtractionis specialium gratiarum non raro fit casus in peccata mortalia, etiam in fine vitæ, seu puncto mortis non perseveratur finaliter in justificante gratia, & sic incurritur æterna damnatio. Iusto enim judicio specialis homini denegatur concursus DEI & affectus, (etsi communis & sufficiens tribuatur) quem noluit homo, quãquã aliàs non obligatus, speciali amore suo & obsequio promereri. Verùm de his vide infra sub pœnis spiritualibus. Núnc breviter affero illud solenne effatum: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et S. Gregorius: Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.))

p: 3. tr: 1. c. 2. sec: 7. subs: 3.

Eccl. 19.

S. Greg. L. 20. Mor. c. 9.

Quantum ad *Praxin*: vitandi imperfectiones, ea fit per incensum desiderium & exercitium perfectionis vitæ Christianæ, quam hoc toto Opere describimus. Cæterum antequam ad concupitam perfectionem veniamus, ejus defectum suppleat humilis confessio propriæ imperfectionis, ut mellifluus Doctor instruit dicens: Si perfectionem quam desideratis, nondum potestis adipisci: sed quod minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis; & imperfectum vestrum viderunt oculi DEI. Propterea enim *mandata sua mandavit custodiri nimis*, ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quòd debet, fugiamus ad misericordiã & dicamus; *Quoniã melior est misericordia tua super vitas.* Et quia non possumus in vestitu innocentiæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione. Confessio enim, & pulchritudo in conspctu Domini. Si tamen sit non oris tantùm, sed etim totius hominis, ut omnia ossa nostra dicant: *Domine quis similis tibi?* idque solius pacis intuitu & desiderio reconciliationis ad DEUM.

S. Bernard. in Vigil. Nat. Domini serm. 2.

Psalm. 118.

Psalm. 62.

Psalm. 95.

Vide suprà de fontibus imperfectionum Cap. 1. Sect: 4. Subsec: 3.

SECTIO III.

De Oppositis Actûs Salutaris per Excessum.

Cap. 2. *De huiusmodi Oppositione iam actum est supra in genere, nunc particulariùs agendum de Scrupulis.*

Oppo-

OPponitur itaque virtuti per Excessum, Scrupulus quoque inter alia vitia; quia tam actus prosecutionis, quàm actus fugæ, pertinent ad eandem virtutem. Hinc sicut moderata fuga seu timor defectûs vel peccati, est actus virtutis, ita imprudens fuga vel timor peccati, & nimia anxietas de illo (qualis dicitur esse Scrupulus) est excessus virtutis. De Scrupulis igitur hìc locus est, de quibus fusiùs Theologi Morales, & Magistri Spirituales, ut Gerson, B. Laurentius Justinianus, S. Antoninus, Ludovicus Blosius, Rosignolius &c.

Dico 1mo. Scrupulus est inanis apprehensio, & hinc ortus timor & anxietas alicubi esse peccatum, ubi non est. *Ita communiter Navar. Azor & cæteri.* *Herm. Busenbaum Medul. Theol. Moral. l. 1. t. 1. c. 3.*

Signa conscientiæ Scrupulosæ sunt. *1mo* Pertinacia judicii, quâ Doctorum consiliis non acquiescunt: unde varios consulunt, & fatigant, ac tandem nullius judicio stant nisi suo. *2do.* Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconstantia. Sic v. g. in horis legendis aliquando decies mutant judicium, de lecto, vel non lecto aliquo versiculo. *3tio.* Quòd ex priore procedit, perturbatè agere, & cœco quodam modo in externis actionibus versari. *4to.* Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumstantiarum. *5to.* Timere in omnibus peccatum, aut contra sapientum & proprium sæpe judicium esse inquietum. *6to.* Si Confessarius judicet te esse scrupulosum. *7timo.* In particulari signa Scrupuli præsentis sunt duo. *1mo.* Si per illum experiaris te nimium angi & turbari. *2do.* Si alias expertus sis te similia apprehendisse sine fundamento.

Dico 2do. *Motiva* ad cavendos Scrupulos habentur ex eorum malis effectibus, quos enumerat *Nicolaus Moscicensis S. T. D.* dicens: Scrupulus. *1mo.* quietem internam tollit, loco ejus turbationem inducit, & tanquam sævissimus carnifex animum torquet cruciatque. *2do.* Intellectum obnubilat, ut neque res apprehendere, neque de apprehensis liberè judicare valeat. *3tio.* Fingit peccata ubi non sunt, imò & multiplicat, nam vel interdum contra conscientiam (ut sibi videbitur) aget: vel ex fastidio assensum præbebit, malens certus esse de peccato, quàm anxius dubiusque de innocentia. *4to.* Ad desperationem disponit. *5to* Inducit tœdium ac tristitiam aggravantem animum, ut nihil *Nicol. Moscicen. in Tyroc. artis poenitent. p. 3.*

nihil boni agere libeat. *6to.* Hominem inconstantem facit, nunc enim susceptam actionem ob aliquem scrupulum intermittit, postea ob superuenientem contrariam dubitationem resumit. *7timo.* Alacritatem ac promptitudinem serviendi DEO eripit, legentem, orantem, meditantem distrahit; quia vix potest aliquid in sua mente præter scrupulos volvere. *8vo.* Pusillanimis effectus ita manus remissas in bono habet; ut si concionandum, docendum, consulendum, confessiones excipiendum, vel quidpiam agendum sit ad DEI gloriam, & proximi utilitatem, statim tot difficultates, hæsitationes, trepidationes occurrent, ut in conspectum hominum prodire non audeat, aut si veniat, loqui subterfugit, ne occasionem alicujus peccati, ut puta vanæ gloriæ, vel aspectûs inordinati, & alterius cujuscunque formidinis habeat. Et ita qui multa præclara facere posset, & fortasse donis naturalibus plurimis, ac bonis qualitatibus instructus, ignavus redditur & abiectus. *9no.* Vires tam corporis quàm animi destruit, sensus interiores lædit, ita ut ad omnia ineptus sit. 10. Non raró eò quòd suas ineptias interdum exteriùs prodit, se ludibriis exponit, & tanquam fatuus & insensatus ab aliis reputatur. Scrupuli enim ad amentiam quoque iter parant. Hinc & homines cæteri ejus consortium refugiunt, & contemnunt: Confessores quoque talium confessiones subterfugiunt.)) P. *Rosignolius*, ex Gersone, S. Antonio, B. Laurentio Iustiniano dicit; tentationem hanc diaboli quoad scrupulos esse utilem quidem incipienti in ipso conversationis principio, & propterea à DEO permitti, eò quòd obtusam alioquin hominis mentem acuat ad intelligendas res spirituales, & stimulis quasi quibusdam excitet voluntatem inexercitatam adhuc ad certamina contra peccata & carnis insidias, purget denique animam tenebricosis libidinibus ante refertam, & in novum hoc lumen evocet spiritaliter judicandi omnia, & deinceps ex virtute, & cum circumspectione vivendi. Cæterùm procedente tempore tẽtatio hæc perniciosissima est, & nisi illi opportunè occursum sit, periculum homini creat, & ruinam. Quare quærenda & adhibenda sunt remedia, quibus à periculis præsentibus, & imminentibus, qui hoc morbo laborat, facilè liberetur.)) Et *Bellarminus* inquit: Alios diabolus capit & torquet mise-

Bernar. Rosig. de disc. Christ: perf. l. 1. c. 18.

Bellar. de Gem. Columb. lib. 2. c. 12.

miſerabilibus anguſtiis ſcrupulorum, alios contra ſic decipit per laxam & erroneam conſcientiam, ut multi ante perveniant ad gehennam, quàm peccata ſua cognoſcere & deflere potuerint.))

Dico 3*tio*. *In praxi* contra ſcrupulos abigendos generalia media porrigit *Buſenbaum* dicens: Remedia conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt. 1*mum*. Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. 2*dum*. Judicio Confeſſarii, vel alterius docti viri ac pii acquieſcere, non recurrendo ad eum in ſingulis actionibus: ſic enim ſe, & illum fatigat cum ſcrupulorum incremento: ſed accipiendo ab eo generalia principia, à quibus nullius ſcrupuli cauſâ, imò nullo modo recedat. Etſi enim alterum errare contingeret, quia tamen hoc faciendo, agit, quòd in ſe eſt, non peccabit. 3*tium*. Bonorum vitam & conſuetudinem tanquam regulam intueri *S. Ant. Syl.* 4*tum*. Aſſuefacere ſe etiam ad ſequendas ſententias mitiores, & minùs etiam tutas *Fill. c.* 4. *n.* 122. 5*tum*. Non judicare quidquam eſſe mortale, niſi certò ſciat *Azor lib.* 2. *cap.* 20. *Vaſq. ſanè Fil. lib.* 2. *cap.* 4. 6*tum*. Nunquam otiari, quia otium implet phantaſiam cogitationibus ſcrupuloſis. 7*timum*. Deſtruere cauſas ſcrupulorum v. g. Melancholicus evacuet medicamentis atram bilem: pertinax frangat judicium ſuum, ſuperbus prudentiæ non confidat: rudis inſtructionem petat: timidus meditetur bonitatem Dei, quæ non imponit præcepta redigentia ad inſaniam. 8*tavum*. Noſſe ſcrupuloſorũ priuilegia, ut imo quòd non teneatur in agendo adhibere examen & diligentiam niſi valde mediocrem, nec tantam, quantam alii, & quòd dum angit ſcrupulus, nec ſuppetit conſilium, poſſit liberè agere quòd vult, niſi certum & euidens ſit eſſe peccatum. Vide *Vaſquez in* 12. *ad* 57. 2do. Quod nihil teneatur repetere ex præteritis confesſionibus, niſi certò ſciat illud eſſe mortale, & ſe ritè confeſſum non eſſe. Non eſt autem certus quamdiu dubitat. Unde ſuadet *Laym.* ut ſcrupuloſus nunquam confiteatur dubia & ſcrupulos. Et *Sa.* C, *Dubium Sancti Azor* dicunt non teneri confiteri, niſi quæ jurare poſſet mortalia, & nunquam eſſe confeſſum. Ratio utriuſque privilegii eſt, quia in ſcrupuloſo ex nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non posſit rectè rem examinare. Unde eſto aliqua confeſſus

Herman Buſenbaum Medul. Theol: Moral. lib. 1. *Tract.* 1. *c.* 3.

non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem confessionis, cùm ab ea minores sæpe difficultates excusent, ut notat *Konin. Lay. Bon. Azor. Bec.* 9*num.* Confessarius non permittat confiteri, vel proponere scrupulos vel dubia (maximè si semel ad satietatem audiverit) quia alioqui nunquam fontem scrupulorum exhauriet. Vide apud *Laym.* hìc cap. 6. *Felline Sanct.* hìc *lib.* 2. *de matr. d.* 4. *Azor. T.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *Bresterum lib.* 6. toto. *Bec. p.* 2. *Tom.* 1. *cap.* 4. *Bonac d.* 1. *q.* 4. *p* 9.

Idem ibidem. Licet operari cum conscientia scrupulosa, manente scrupulo, dummodo judicetur esse scrupulus, & ut talis contemnatur. Neque tamen opus est, ut ad singulos actus formetur hoc expressum judicium, quòd sit scrupulus, sed sufficit quòd contra eum agat ex habituali vel virtuali judicio ab experientia præteritorum actuum. Ratio est: quia talis nulli periculo se exponit; cùm ad benè operandum sufficiat judicium probabile aliquid licere: scrupulus autem cùm ex leui fundamẽto procedat, non tollit judicium practicum probabile. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. Reg. *Beca. Fill.* 176.))

Nicol. Moscicensis Tyrocin. artis poenit. p. 3. *c.* 8. Aliquando DEUS ipse vult aliquibus talem crucem seu cruciatum imponere, ob pœnam alicujus peccati, præsertim superbiæ, confidentiæ sui, contemptus aliorum, &c: vel ad exercitium probationemque, ac proinde ob salutem, & majus bonum eorum, quòd de quibusdam Sanctis legimus.

Idem ibidem. Porro voluntati Divinæ quis resistet? Ergo tolerandum est libenter, quidquid Dominus imponit, & voluntas nostra ejus subjiciatur cum plena & sincera sui ipsius resignatione. Dominus mortificat, & vivificat, ad inferos deducit & reducit, mille modos habet ipse, quibus sic afflictos consolari poterit. Et fortè hâc viâ multa peccata impedit, in quæ prolabereris, si istis anxietatibus cõsciẽtiæ non retrahereris.))Hinc cautus esto, ne in aliquod extremum impingas, vel impatientiæ, vel patientiæ sed scrupulositati junctæ adeoq; Pseudopatientiæ. Verùm universaliter renovato quotidie firmo proposito, ne quidem veniali voluntario unquam DEUM offendendi, patienter ferto hoc flagellum scrupulorum; ita tamen ut omni possibili modo ab illis coneris te expedire, & maximè per lachrymosam ad DEUM orationem, per recursum sub patrocinium Matris misericordiæ consolatricis afflictorum,

ctorum, ac ejus sponsi S. Josephi sic anxiatorum specialis auxiliatoris, sub tutelam S. Angeli Custodis, &c: Quia etsi hujusmodi scrupulorum patientia possit esse meritoria, est tamen multum periculosa & impeditiva meliorum rationum & occasionum majora merita augendi. Est quoque remedium non postremum contra scrupulos; connotare sibi ea strictim, quæ leguntur, vel dicuntur adversus eosdem adhibenda, & potissimùm proportionata ad personam suam, eaque cum approbatione Patris sui Spiritualis ad amussim observare. Denique an post Orationē efficacius remedii sequens habeatur profligandi scrupulos, probarit velim experimento. Nimirum jubeatur à Patre Spirituali Scrupulosus in virtute Sanctæ Obedientiæ, sive sub culpa mortali observare aliquid in particulari, quòd maximè est dissipativum alicujus scrupuli in specie: v. g. ne absolvendo Divinum officium illud iteret, vel ne examen conscientiæ ultra quadrantem horæ protrahat, &c: Ita enim constrictus scrupulosus, cùm ex utraque parte timeat peccare mortaliter, eligit potiùs obedire Magistro cum aliquo metu vel dubio peccati, quàm sequendo suum scrupulum manifestè peccare graviter contra Obedientiam. In tali enim casu, utpote gravis periculi salutis animæ, si unquā certè tūc est obligatio gravis obediendi Magistro, vel Patri Spirituali, illudque Domini præ oculis habendum, *Qui vos audit, me audit, &, qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Hujusmodi praxi S. Ignatius dicitur liberasse quendam ex suis ab iteratione Divini officii, quòd totum jusserat eum in virtute Obedientiæ absolvere spatio unius horæ.

§.

De Moraliter Monstruosis.

Ex Tyroc. Art. pœnitent. Nicolai Moscicen. 3. p.

NOn desunt aliqui mixti (ut ita dicam) fori ac planè monstruosi, qui perditè vivunt, & tamen quibusdam scrupulis laborant, ut circa res fidei, circa blasphemias, quæ ipsi maximè abhorrent, circa vota, confessiones, &c.

Remedium pro his quoque in Ecclesia DEI inveniri potest. Imprimis enim deterrendi sunt à pessima vita. *1mo.* Per oratio-

nem illis imponendam. *2do.* Novissimorum meditationem ab eis faciendam. *3tio.* Eleemosynæ largitionem. *4to.* Frequentem Confessionem & Communionem. *5to.* Jejunium. *6to.* Status periculosi considerationem. *7timo.* Per constans propositum deponendi talem statum, & vitam emendandi. Postea recollectis, & aliquantulum cautioris ac timoratæ conscientiæ effectis, poterunt eadem præscribi remedia, quæ jam posita sunt pro scrupulosis.

SECTIO IV.

De Oppositis Actui salutari Virtutis, nimirum de peccato Actuali.

PEccatum Actuale definitur esse, *Exercitium libertatis difforme dictamini practico rationis, proponenti primam regulam morum.* Dicitur; *Exercitium*: ut conveniat definitio peccato puræ omissionis, quæ non actus, sed exercitium negativum libertatis solet dici. Dicitur; *Libertatis*: quia exinde tria requiruntur ad peccatum actuale. 1mo, ut ejus advertatur malitia. Et quidem non sufficit advertentia quævis virtualis & interpretativa, quâ nempe aliquis advertere poterat & debebat; non tamen ei occurrebat remorsus & obligatio ad faciendam ejusmodi advertentiam: neque illa advertentia actualis, dum videlicet intellectus rationes commodi & incommodi in objecto attendit; sed est necessaria advertentia formalis seu expressa, quâ advertat moralem malitiam objecti, seque obligari ad illud vitandum; aut de ea malitia aut obligatione vitationis dubitet, vel scrupulum habeat. *Ratio est:* quia sine tali advertentia illud objectum, non est liberè volitum quâ moraliter malum, siquidem quâ moraliter malnm, non sit præcognitum. Hinc v. g. non sufficit ad peccatum homicidii, dum jacularis in hominem putans esse feram; quòd nempe omiseris diligentiùs inquirere, an sit verè homo, nisi hic, & nunc formaliter & expressè advertas obligari te, ad inquirẽdũ, utrũ sit homo, vel fera.

2do Requiritur ad peccatum ut sit Liberum, nempe ut positis omnibus ad operandum, possit homo operari, vel non operari; seu consentire in actum peccaminosum, vel non consentire. Quia procul debet esse ab infinita Sapientia & Bonitate DEI, imputare

putare

putare ad culpam eum actum, qui necessariò evitari non potest, quandoquidem id pugnet contra omnem rationem & bonitatem. *3tio* requiritur, ut sit voluntatis liber consensus in actum peccaminosum, vel ejus objectum, isque vel positivus, ut omnes consentiunt, vel negativus, ut inter se Doctores pro & contra dissentiunt. Quia per consensum peccaminosum voluntas avertitur à Creatore, & convertitur ad creaturam eique adhæret, quod adversatur omni æquitati. Dicitur: *difforme dictamini practico rationis.* Hæc difformitas, quæ alias nuncupatur malitia moralis in eo sita est, quòd ad dictamen seu judicium luminis naturalis hìc & nunc in praxi dictans agendum vel omittendum aliquid, voluntas non se conformet, seu illi dictamini non obediat circa propositam actionem, vel omissionem. Dicitur; *proponenti primam regulam morum:* sive illa regula proponatur tanquam quid Divinum, quæ est vel dictamen Divinæ Sapientiæ, vel Voluntas DEI, Lex DEI &c: ad cujus regulæ respectum fit peccatum Theologicum. Sive illa regula proponatur tanquam quid humanum, nempe illa ratio ultimò resolutoria, ob quam aliquid fit dissonum naturæ rationali, qualis ratio vel sunt effectus mali peccati, vel lex humana vetans, sine ullo respectu ad offensam DEI; & tali modo committitur peccatum Philosophicum formale. Nam materialia peccata v. g. ab ebriis, insanis &c: committuntur etiam sine advertentia ad DEUM, non tamen vocantur peccata Philosophica, nisi ea, quæ ratione sui compote supra dicto modo fiunt.

Dividitur peccatum Actuale in peccatum Philosophicum, & Theologicum, de quibus modò attactum est. Item in peccatum Commissionis, quo violantur præcepta Negativa, & Omissionis, quo transgrediuntur præcepta Affirmativa. Item in peccatum Mortale, & Veniale, verum & opinatum; de quibus infra, & modo sit de peccato Habituali, quod correspondet Actuali, tanquam species subalterna divisionis peccati ut sic, & de Originali affini Habituali.

§ I.

De Peccato Habituali, & Originali.

Aliud est peccatum Habituatum, de quo supra actum sub vitio vel peccato, quatenus habitus sunt. Aliud peccatum

bituale, quod definitur esse *Actus malus physicè præteritus* (v.g. heri commissus) *nunc manens seu præsens* (id est quoad faciendum hominem reũ culpæ & pœnæ) *moraliter, nempe ex eo, quòd non sit retractatus.* Et convenit Habituali tàm Mortali, quàm Veniali. Aliter: *Peccatum mortale, quà Habituale, est actus malus præteritus, moraliter nunc manens in privatione gratiæ sanctificantis, tanquam in suo effectu demeritoriè causato.*

Originale peccatum, est ipsum Actuale Adæ peccatum, ipsi physicè, posteris verò moraliter & æquivalenter voluntarium, (nempe propter alligationem voluntatum posterorum ad voluntatem sui parentis Adæ, ex vi pacti Divini cum eodem à nobis implicitè & desideranter acceptati, cùm non fuisset melior spes observandi præceptum Divinum de arbore vetita àb ullo mortalium (exceptâ DEIparâ) quàm ab Adàm, naturalibus & supernaturalibus dotibus supra omnes ornatissimo) *manens in privatione gratiæ sanctificantis, tanquam in suo effectu.*

§. II.

De peccato Mortali.

HOc autem est: *Exercitium libertatis, graviter difforme dictamini practico rationis, proponentis regulam primam morum mandantem aliquid graviter.*

Dicitur, *graviter difforme*, propter respectum gravis mandati Divini à ratione propositi, à quo dissonat seu avertit se voluntas, per ejus liberum contemptum saltem virtualem vel interpretativum, & convertit ad creaturã. Dicitur, *mandãtem aliquid:* (sive agendum sive omittendum) *graviter*, id est sub minis dissolvendi amicitiam Dei cum homine, quòd est privari gratiâ Dei, ac per consequens spoliari jure regni cœlestis, & incurrere reatum pœnæ æternæ, & sub similibus gravibus minis, quæ sunt indicia gravis mandati DEI, & si transgrediatur, gravis seu mortalis culpæ.

Vide Haunoldum, Ariagam, & alios æquivalenter definientes peccatum mortale.

Motiva ad fugam peccati Mortalis elicita ex suis proprietatibus & effectibus. *Primum. Numer.* Dominus patiens, multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens: qui visitat peccata patrum, in tertiam & quartam generationem. *Psalm.* Vultus Domini super facientes mala. *Prov*

Numer. c. 14.
Psalm. 34.
Prov. 14.

Justi-

Justitia elevat mentem, miseros autem facit populos peccatum. *Sap.* 11.
*Sap.*Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. *Ibid.* Malorum *Ibidem.*
amatores digni sunt morte. *Matth.* Discedite à me maledicti in i- *Matth.* 25.
gnem æternum.

2*dum.* Peccatum contrariatur virtuti, quatenus hæc ordinatur ad bonum nempe actum, qui est magna perfectio & bonitas creaturæ rationalis, hanc autem bonitatem impedit actus peccaminosus, ne absolutè vel saltem difficulter eliciatur. Tum contrariatur naturæ rationali, quatenus ordinem rationis excludit, ut ea non agat, nempe virtutis opera, ad quæ est ordinata tanquam sibi convenientia, agat verò ea, videlicet peccata, ad quæ non est ex se, nec ex gratia DEI destinata, nisi ex corruptione sui per innata, vel contracta vitia. *Vide D. Thom.* 1.2. *q.* 71. *art.* *ibidem art.* 2.

3*tium* ut D. Gregorius inquit: *Peccatum, quod per poenitentiam citiùs non deletur, peccatum est, & causa peccati.* Et quidem in quadruplici genere causæ ut pulchrè explicat D. *Thomas* dicens: Primò secundùm modum causæ efficientis, vel moventis, & per se, & per accidens. Per accidens quidem, sicut removens prohibens dicitur movens per accidens, cùm enim per unum actum peccati, homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcunque aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum, & sic primum peccatum est causa secundi per accidens. Per se quidem, sicut cùm ex uno actu peccati homo disponitur ad hoc, quòd alium actum consimilem faciliùs committit: ex actibus enim causantur dispositiones & habitus inclinantes ad similes actus. Secundùm verò genus causæ materialis, unum peccatum est causa alterius, inquantum præparat ei materiam; sicut avaritia præparat materiam litigio: quòd plerumque est de divitiis congregatis. Secundùm verò genus causæ finalis, unum peccatum est causa alterius, in quantum propter finem unius peccati aliquis committit aliud peccatum: sicut cùm aliquis committit simoniam propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, ex hoc etiam sequitur, quòd unum peccatum sit formalis causa alterius: in actu enim fornicationis, quæ propter furtum committitur, est quidem fornicatio sicut materiale, furtum verò sicut formale. *Homil.* 11. *in Ezech.* D. *Tho:* 1. 2. *q* 75. *a.* 4.

4*tum*

4tum. Per peccatum diminuitur bonum naturæ, nempe ipſa inclinatio naturalis ad virtutem. Quia ex hoc, quòd aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuitur inclinatio ejus ad aliud. Unde cùm peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quòd eſt inclinatio ad virtutem.

D. Thom. 1. 2. 85. a. 1.

5tum. Per peccatum Originale inflicta vulnera toti naturæ, eadem peccatum Actuale ſequuntur, inquantum per peccatum inclinatio ad bonum diminuitur. Unde per peccatum & ratio hebetatur præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas benè agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.

idem q. 85. art. 3.

6tum. Peccatum eſt macula animæ, ſita in carentia nitoris, qui provenit tum ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur homo in ſuis actibus, tum ex refulgentia Divini luminis ſcilicet Sapientiæ & gratiæ per quam homo etiam perficitur ad bene & decenter operandum. Porro hæc carentia nitoris procedit ex quodam contactu animæ, quo adhæret creaturæ per amorem contra lumen rationis, & Divinæ legis. Unde Oſeæ 9. dicitur: Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.

Ibid. q. 86. a. 1.

7timum. Quia peccatum rebellizare facit contra triplicem ordinem propriæ rationis naturalis, humanæ legis & Divinæ, quibus ſubijcitur; ideo ab eodem ordine denuo in ſubiectionem juſtis pœnis deprimitur, a ratione ſua per remorſum conſcientiæ, ab hominibus & DEO proportionatis pœnis.

Ibidem q. 87. art. 1.

8tavum. Iuxta D. Gregorium quædam peccata ſunt pœna peccati. Hoc provenit tripliciter. Primo quidem ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis: ſunt enim cauſæ inclinantes ad peccatum, paſſiones, tentatio diaboli, & alia hujuſmodi, quæ quidem cauſæ impediuntur per auxilium Divinæ gratiæ, quæ ſubtrahitur per peccatum. Unde cùm ipſa ſubtractio gratiæ ſit quædam pœna, & à DEO eſt, ſequitur quòd per accidens etiam peccatum, quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur, & hoc modo loquitur Apoſtolus Roman. 1. dicens: Propter quod tradidit eos DEUS in deſideria cordis eorum, quæ ſunt animæ paſſiones: quia ſcilicet deſerti homines ab auxilio Divinæ gratiæ vincũtur à paſſionibus

D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 2.

pasſionibus: & hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte ſubſtantiæ actus, quæ afflictionem inducit, ſive ſit actus interior, ut patet in ipſa ira & invidia: ſive actus exterior, ut patet, cùm aliqui gravi labore opprimuntur, & damno, ut expleant actum peccati, ſecundùm illud Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis. Tertio modo ex parte effectûs: ut ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis; ſed his duobus ultimis modis unum peccatum non ſolùm eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui.

Dicendum autē quod hoc etiam, quòd aliqui puniuntur à Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonū virtutis ordinatur, quādoq; quidem etiā ipſorū, qui peccant, cùm ſcilicet poſt peccatū humiliores & cautiores reſurgūt ſēper autē eſt ad emēdationē aliorū, qui vidētes aliquos ruere de peccato in peccatū, magis reformidāt peccare. In aliis autē duobus modis manifeſtū eſt, quòd pœna ordinatur ad emēdationē quia hoc ipſū quòd homo laborē ac detrimētū patitur in peccādo, natū eſt retrahere hominē à peccato. *Ibidem ad 1.*

9*num.* Peccato mortali debetur pœna infinita nempe, pœna damni, ſita in privatione viſionis beatificæ, propterea, quòd tale peccatum ſit averſio ab infinito bono. Debetur quoque eidem peccato pœna finita ſeu pœna ſenſûs, quòd ejuſmodi peccatum ſit converſio ad creaturam, quæ eſt bonum finitum. Hæc autem pœna ut ſit æterna exigit ratio: quia peccatum mortale ſeparat auertens hominem ab ultimo fine DEO, cui per charitatē uniebatur: ſeparatio autē ab ultimo fine, eſt ſeparatio a principio ordinis, quo, & cui hominis voluntas ſubdebatur, & ideo fit inordinatio in peccato: jam verò ſeparatio ab aliquo principio eſt æternùm irreparabilis, ſi tollatur illud principium: ſicut ablato principio viſivo, eſt irreparabilis viſus. Tollitur verò per peccatum DEUS ab homine, cui tanquam principio ordinis jungebatur, & charitas quo principio jungebatur. Ergo illa ſeparatio à principio ordinis, ſeu inordinatio eſt irreparabilis æternùm, adeoque rea pœnæ æternæ. *D. Thomas 1.2. q. 87. a. 3. & 4.*

10*mum.* Impii ſunt quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt. *Et*: Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. *S. Auguſtinus*: Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus. *Iſa. 57. Rom. 2. S. Auguſt. in Confeſſ. q. 87.*

11mum. DEUS punit peccata parentum etiam in filiis. Hinc dicitur: *Reddens iniquitatem* (pœnam iniquitatis) *patrum super filios in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me.* Ubi S. Thomas hæc explicat de sola iniquitate parentum, quam DEUS in filiis etiam innocentibus quandoque ad exemplum cœterorum temporali & corporali pœna mulctat. Similiter DEUS, subinde castigat peccata ipsa materialia, ut populus ac præsertim Principes & Prælati ea indagent & extirpent. Ita *Cornelius à Lapide* inducens pro hoc in exemplum Regem Abimelech, quem DEUS, ut ex Sacra Scriptura colligitur, morte mulctari volebat, imò morbo percusserat, & sterilitate domum ejus affecerat propter Saram uxorem Abraham, quam tulerat ab Abraham in uxorem suam ignorans esse Abrahamo maritatam. Et, si ignorantiæ peccata graviter puniuntur, quidni voluntaria & libera? Id probavit Orbis diluvium, Sodomæ incendium, & omnes pœnæ omnium temporum.

q: 87. a. 8.

In Genesim c. 20.

12mum. DEUS peccatum odit infinito odio. Ita *Cornelius à Lapide* dicens: Sicut DEUS necessariò sanctitatem amat infinito amore, ita necessariò peccatum perfectum & mortale odit infinito odio; cujus odii signa dat multa. Nam *1mo* ob peccatum mortale privat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius DEI. *2do.* Ob illud infligit peccatori infinitum cruciatum & opprobrium, nimirum incendia æternæ gehennæ. *3tio.* Etiamsi quis haberet merita infinita, ea tamen omnino aboleret DEUS, ob unum peccatum mortale. *4to.* Quia Filium suum ad delendum peccatum, infinitam humiliationem, & afflictionem subire voluit. Talis enim fuit ejus incarnatio & mors, quâ (ut Apostolus ait) seipsum exinanivit, id est ex omni, fecit se quasi inane.))

Corn. à lap. in 12. Proph. Min. c. 1. in Habac.

13um. Peccare lethaliter maximè Christianum, est denuo agere Christicidam, ut Apostolus inquit: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes* Super quod *Cornelius à Lapide* ait: quia peccator novo peccato novam dat causam crucis & mortis Christi facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est, quare nisi mors Christi tam efficax fuisset, ut ad omnia peccata post quantavis secula futura & iteranda se extendisset, oporteret

Cornel. à lap. Comment in c. 6. ad Hebr.

ret Christum toties mori, & crucifigi, quoties peccant homines: sicut Aaronica sacrificia & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Judæi. Et, qui in peccatum relabitur, hoc ipso contemnit, vilipendit & ridet Christum, Christique crucem & redemptionem: atque hoc ipso causa est, ut Christus in exemplum ludibrii gentilibus omnibusque hominibus proponatur, utque gentiles dicaces & malevoli irrideant Christum, Christique legem & Ecclesiæ; sicut Judæi irriserunt in cruce suspensum.))

14*tum*. Peccatum mortale in ratione offensæ Divinæ est infinitum simpliciter. Ita *D. Thomas* docet cùm inquit: Peccatum inquantum est aversio ab incommutabili bono infinito, est infinitum, ubi infinitum ponit simpliciter, sine ullo addito. S. Doctorem seqvuntur *Lessius, Rosmer, Hurthadus, Gonet, & alii.* Ratio desumitur ex dictis S. Thomæ, qui tantitatem offensæ censet taxandam ex majori, vel minori dignitate offensi, dicitque: *Tantò offensa est gravior, quantò major est ille, in quem delinquitur.* Subsumo: Atqui DEUS in sua dignitate est infinitus simpliciter, Ergo & offensa ipsius erit infinita simpliciter. Hinc S. Augustinus ait: Unum est summum Bonum, aliud autem summum malum, hoc est peccatum, illud DEUS. Ratio altera est: quia quò est persona offendens vilior, eò offensa simpliciter evadit major & gravior. Nam pejor est offensa Regis à nobili quàm à senatore, pessima à rustico, quàm à nobili vel senatore; Subsumo: Atqui homo respectu DEI est simpliciter vilitatis infinitæ, quia à DEO distat infinitè, jam verò finiti ad infinitum nulla est proportio ut axioma loquitur. Unde *Isaiæ c.* 40. dicitur: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei: Ergo & offensa DEI erit gravitatis & magnitudinis simpliciter infinitæ. Hinc pro uno peccato mortali etiamsi omnes creaturæ & Angeli voluntariè subirent æternas pœnas inferni, ut pro eodem ex condigno satisfacerent, id utique præstare nequirent, quia illa satisfactio esset inæqualis offēsæ, quippe hæc esset infinita, illa verò finita. Quare ad condignitatem satisfactionis requirebatur Persona quoque infinitè digna, nempe solius DEI: prout & factum est, dum Filius DEI in suscepta Humanitate plenissimè pro nobis fecit satis.

1. 2. q. 87. a. 4.

In sent. 159.

Extract. de Rosar. B. V. R. P. Michaelis ab insulis ord. Præ. dic.

15tum. Apparens Virgo MARIA Mater DEI Benedictæ insigni meretrici Florentinæ, operâ D. Dominici conversæ, sic eam admonebat: Pensa filia nunc firmiter & crede, quòd multi sunt æternaliter damnati, qui multò minus peccaverunt quàm tu, imò quidam pro uno peccato mortali. Et ut occulta scias, hodie subitò morietur quidam miles, propter peccatum commissum cum suo scorto. Item quatuor in hoc oppido, unus civis, qui filios suos parum correxit; unus Curatus Ecclesiæ, quia fuit negligens circa onus, scilicet præcipuè in sibi subditorum audiendis peccatis, & ibi instruendis. Unus Religiosus, qui non habuit firmum propositum vivendi semper secundùm statuta & regulam sui Ordinis, ad quod propositum quilibet Religiosus tenetur sub periculo peccati mortalis. 4tus Sacerdos, qui nimis vagabundè & malè persolvit Divinum officium. Et hi quatuor ex uno isto oppido damnabuntur hodie. Item hodie duæ ex sociabus tuis à ribaldis in Luxuria jugulabuntur, & æternaliter damnabuntur. Hodie etiam puer submergetur, & damnabitur in Hispania, qui annorum 9. existens, cum sorore sua fornicatus est, qui etsi opus non complevit, tamen inchoavit.

Dani. 13.

16tum. ab exemplis. Susanna ad scelus solicitata respondit: Angustiæ sunt mihi undique &c: sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. S. Ludovicus Rex Galliarum edoctus à sua Matre Blancha didicit potiùs mori, quàm lethaliter peccare. S. Edmundus Cantuariensis Præsul, Malo inquit in rogum ardentissimum insilire, quàm peccatum ullum sciens, in DEUM meum admittere.)) Quod præstitere innumeri Martyres atrocissima subeuntes tormenta, & mortem, ne DEUM offenderent peccato infidelitatis, vel aliquo alio. Idque fecere, faciuntq; tot myriades Confessorum, Virginum, afficientes diutinâ morte carnem suam & passiones, ne in

De Beat. c. 19.

aliquod peccatum prolabantur. S. Anselmus. Mallem ait, purus à peccato in gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. Verùm quid Heroicum pectus Christianorum admiramur? En cæca gentilitas quid docuit, quid fecit?

3. Ethic.

Aristoteles ait: *Melius est mori, quàm facere aliquid contra bonum rationis.*

Spartianus in Caracalla.

Papianus juris consultus elegit mori, quàm parricidium

Cara-

Caracallæ in defensionem suscipere. Democles puer stuprum Demetrii Regis fugiens, in aquam ferventem insiliit, ne pollueretur, mors illi optatior fuit. *Plutarchus in vit. Demetrii.*

PRAXIS delendi peccata præterita fit per pœnitentiam, vitandi futura per frequentationem Sacramentorum pœnitentiæ ac Eucharistiæ, & maximè fugam occasionum peccati (qui enim amat periculnm peribit in illo) tum per ferventem orationem, ac sui exactam mortificationem. De quibus virtutibus, & earum praxibus, vide infra suis locis.

§ III.

De Peccato Veniali.

Veniale peccatum dicitur quasi venia dignum, quòd sit exiguum & leve erratum, parva noxa. Ita Azor *Est autem exercitium libertatis, leviter difforme dictamini practico rationis, proponenti primam regulam morum, mandantem aliquid leviter.* *Part. 1. lib. 4. c. 8.*

Dicitur, *proponenti primam regulam morum, mandantem aliquid leviter*: id est non sub comminatione dissoluendæ amicitiæ DEI cum homine: & hæc differentia est venialis à mortali, per differentiam mandati levis vel gravis. Unde *Azor* inquirens quomodo cognosci possunt venialia & lethalia peccata ex genere suo talia, respondet dicens: Venialia ob levitatem materiæ, imperfectionemve actûs facilè dignosci posse ex eo, quòd materiæ „ exiguitas, aut imperfectio actûs absque magno negotio dis- „ cernitur. Attamen difficilè admodum est certam aliquam „ formulam præscribere, ad dignoscenda peccata, quæ sunt ex „ suo genere, & natura venialia. Qua in re nulla alia, meo qui- „ dem judicio, regula certior, ac melior constitui potest, quàm „ ea, quæ communi consensu à Theologis adhibetur: nimirum „ ea esse venialia peccata, quæ charitatem DEI aut hominis, gravi- „ ter non lædunt, alioqui lethalia ex suo genere erunt, non venialia. „ Hinc apparet peccata, quæ contra aliquam Virtutem Theolo- „ gicam, fidem, spem, vel charitatem committuntur, ex genere „ suo esse lethalia. Secundò ejusdem quoque generis esse pec- „ cata, quæ fiunt contra justitiam hominis, vel contra charita- „ tem, aut religionem DEO debitam. Ea item peccata, quæ ad „ *Institut. Moral. lib. 4. cap. 9.*

 luxu-

„ luxuriam, & incontinentiam ſpectant, vel ad rei bonæ præſer-
„ tim imperatæ contemptum. Quarto peccata, quæ quis com-
„ mittit ſolùm contra bonum ſuum, magna ex parte ſunt venialia
„ ex genere ſuo, veluti cùm quis peccat in vanè & inutiliter co-
„ gitando, concupiſcendo, ſe oblectando, immoderatè ridendo,
„ cachinnum attollendo, reſpondendo impatientiùs, tempus otio
„ conterendo, loquendo quantùm, & quando libet, nugando, o-
„ tiosè agendo, ſua bona malè adminiſtrando, aut prodigè diſſi-
„ pando, aut auarè retinendo, intemperanter comedendo, biben-
„ do, ut cùm quis citra ſitim potat, delicatioribus epulis ventri-
„ culum diſtendit; in cultu etiam, & veſtitu immoderato, noxas
„ ac delicta ſua oſcitanter confitendo, negligenter preces hora-
„ rias recitando, ſe ingenio, memoriâ, viribus & formâ corporis
„ omnibus aliis præferendo, ac ſimilibus pleriſque.

Peccata Venialia in triplici gradu conſiderantur. Nam a-lia ſunt gravia, alia media, alia levia. Gravia Venialia nuncupantur ex genere mortalia quidem, ex cauſa tamen aliqua; vel ex levitate materiæ tranſeunt in venialia. Peccatum ex cauſa eſt, dum ſcilicet propter juſtam rationem hominem non faciunt reum mortis æternæ. Hæc verò juſta cauſa & ratio eſt excuſans à mortali peccato, 1mo. Ignorantia leviter culpabilis, quæ uſque non pervenit ad ſupinam, craſſam & affectatam. 2do. Non plena advertentia, & animi deliberatio, aliàs, ut Azor inquit, *lethale*

Inſtit. Moral. lib. 4. cap. 9.

„ *foret, ſi ex plena animi deliberatione fieret.* Tales eſſe ſolent ſubiti,
„ nec plenè deliberati, impietatis, odii, deſperationis, invidiæ, &
„ ſuperbiæ actus: Talia itidem imperfecta libidinis deſideria.
„ Cujusmodi venialia ſæpe contingunt in interioribus animi a-
„ ctibus, & in motibus noſtri appetitûs animalis, cùm eos ratio
ut poſſet, & deberet, non coërcet & reprmit.)) 3tio. Inconſiderantia humana, citra tamen dolum. 4to. Infirmitas humana dum peccatur in motibus ſecundo primis. 5to. Exigua quædã negligentia, quâ remiſſè tentationi reſiſtitur. 6to. Imperfectus conſenſus in peccatum. 7mo. Ex levitate materiæ eſt, dum v; g. deliberatè quis furatur obulum &c. Porrò peccata quædam ex genere ſuo mortalia ſunt, quæ materiæ levitatem non admittunt. Sunt autem ſecundùm Haunoldum univerſalier illa, quæ ſi levitatem materiæ reci-

reciperent, vel DEUS non esset infinitè perfectus, vel sequeretur grave damnum in republica humana. Et sic blasphemia, perjurium, & similia ex parvitate materiæ nequeunt esse venialia. Nam ad infinitam DEI perfectionem spectat, nunquam sine gravi peccato posse blasphemari, tribuendo DEO minimam imperfectionem, vel ab eo auferendo minimam perfectionem: nec posse in testem adduci etiam falsi minimi. Simili modo peccatum luxuriæ ex parvitate materiæ nequit esse veniale, nam si vel minima voluptas venerea daretur tantùm venialiter mala: tum ex nimia propensione ad ejusmodi voluptatem, nec non ob exiguum timorem venialis culpæ, sequeretur in republica corruptio summa cum ingenti damno humani generis.

Peccata venialia media sunt, quæ & gravia, inquantum de certa scientia, plenâ libertate, vel ex supina negligentia fiunt, & levia in quantum ex genere suo nonnisi venialia sunt. V. g. curiositas in visu, auditu, vanorum scientia, verba otiosa, mendacium officiosum, &c.

Levia denique peccata venialia, quæ etsi talia ex genere suo æstimantur, attamen non fiunt cum plena advertentia, libertate, ac industria, verùm ex subreptione aliqua & humana fragilitate. Et ita bonæ voluntatis homo, firmatus proposito omnia prorsus cavendi etiam minuta venialia delicta, in ipso quoque bono opere deficit, vel occasionativè ex eo in aliquod delictum prolabitur v. g. dum aliquantum distrahitur in precibus, vel motus vanæ gloriæ, propriæ complacentiæ non reprimit diligentiùs ut debet. Aliquantulus item excessus in cibo, potu, somno, aliisque vitæ hujus necessariis & commodis, & similia sine quibus nec sancti perfectique, poterant transire in hac vita. Unde Joan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Hi gradus peccatorum venialium pulchrè secundùm Apostolum figurantur, explicante D. Thoma, quando comparãtur ligno, fœno, & stipulæ; quæ superædificans, salvus quidẽ erit, sed quasi per ignem, vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorium in futura. Unde sicut lignũ, fœnum, & stipula unũ alio citiùs vel tardiùs comburitur, ita etiam alia peccata graviora, vel leviora, citiùs aut tardiùs purgabuntur. 1. 2. q. 89. a. 2.

Viso

Viſo quomodo Mortalia tranſeunt in venialia, expedit noſſe modum, quo etiam peccata venialia fiunt mortalia. Atque

Azorius p. 1. lib. 4. cap. 9.

„ ita juxta *Azorium* actus qui eſt venialis culpa, eò quòd non plenâ animi deliberatione fiat, in lethalem convertitur, ſi plenè „ deliberante ratione permaneat circa idem objectum & materiam malam alioqui gravem. *2do.* Certum eſt actus imperatos, „ quales ſunt exteriores, quibus ineſt culpa venialis, in lethale crimen deſinere, ex eo, quòd continuentur ob finem mutatum, „ & maximè malum. Idem dicendum de actibus voluntatis elicitis interioribus: quia actus voluntatis interior omnino re ipſâ, „ naturâ & ſubſtantiâ mutatur; variato fine, vel aliqua circumſtantiâ actûs. *3tio.* Quando in actu peccati venialis ob contemptum DEI vel hominis, vel ipſius legis aut præcepti permanet; „ tunc venialis culpa, in lethalem jure ipſo convertitur. *4to.* Veniale aliquando mutari in lethale ex uſu & conſuetudine frequenti, non præciſè quidem ob frequentiam actuum, ſed ob „ periculum peccati gravisſimi, in quod nonnunquam ex ipſa conſuetudine, DEO permittente, homines incurrunt: nec frequentia & conſuetudo venialium eſt propriè contemptus legis „ vel præcepti, ſed affert ſecum, & creat interdum, ut dixi periculum contemptûs: at qui amat periculum, peribit in illo.

Stimuli ad cavendum Venialia Peccata.

1. 2. q. 88. art. 3.

PRimus. Peccatum veniale diſponit ad mortale: quomodo docet D. *Thomas* dicens: Secundùm duplicem modum cauſæ, eſt duplex diſpoſitionis modus. Eſt enim cauſa quædam movens directè ad effectum, ſicut calidum calefacit. Eſt etiam cauſa indirectè movens, removendo prohibens, ſicut removens columnam dicitur removere lapidem ſuperpoſitum, & ſecundùm hoc actus peccati dupliciter ad aliquid diſponit. Uno quidem modo directè, & ſic diſponit ad actum ſimilem ſecundùm ſpeciem. Et hoc modo primo & per ſe peccatum veniale ex genere, non diſponit ad mortale ex genere, cùm differant ſpecie, ſed per hunc modum peccatum veniale poteſt diſponere per quandam conſequentiam ad peccatum, quod eſt mortale ex parte agentis, augmentatâ enim diſpoſitione, vel habitu per actus peccatorum venialium, in tan-

tùm poteſt libido peccandi creſcere, quòd ille qui peccat, finem ſuum conſtituet in peccato veniali. Nam unicuique habenti habitum, intantum hujuſmodi finis eſt operatio ſecundùm habitum: & ſic multocies peccando venialiter diſponetur ad peccatum mortale. Alio modo actus humanus diſponit ad aliquid removendo prohibens, & hoc modo peccatum veniale ex genere, poteſt diſponere ad mortale peccatum ex genere: qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem, & ex hoc quod conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubjicere, diſponitur ad hoc, quòd & voluntatem ſuam non ſubjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod eſt peccatum mortale ex genere.))

2dus. Peccatum veniale inducit maculam in animam auferendo nitorem non quidem intrinſecum, qui provenit ex gratia & charitate, ſed quendam extrinſecum orientem ex refulgentia actuum virtutis, quos actus veniale impedit. *D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 1.*

3tius. Venialia non curare, vel contemnere, eſt impœnitentia, blaſphemia in Spiritum Sanctum, &c: Hinc *D. Bernardus* ait: Cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo levia ſunt iſta, non curo corrigere; non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſque peccatis. Hæc eſt enim Dilectisſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Paulus quidem blaſphemus fuit, ſed non in Spiritum Sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate: non in Spiritum Sanctum blaſphemans, ideo conſecutus eſt miſericordiam. *Et alibi idem*: Verumtamen nemo contemnat (venialia) vel parvipendat. Impoſſibile eſt enim cum eis ſalvari. Impoſſibile eſt ea dilui, niſi per Chriſtum JESUM, & à Chriſto JESU. Nemo inquam pernitioſâ ſecuritate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, quoniam (ut audivit Petrus ab ipſo) niſi laverit ea Chriſtus, non habebimus partem cum eo. *S. Bern. ſerm. 1. in Converſ. S. Pauli.* *S. Bern. ſerm. 1. in Cœna Dom.*

4tus. *Joannes Taulerus* vir in Divina elevatisſimus inquit: Sicut enim denſa nebula oculos carnis impedit; ſic peccata venialia mentis oculum offuſcant, ut DEUM inſpicere nequeamus, Divinæ quoque dilectionis fervorem extingvunt, orationes noſtras *Joan. Taul. c. 2. inſtit.*

difficiliùs, quàm si ea non admitteremus, exaudiri faciunt, animam deturpant, atque commaculant, unde Spiritus Sanctus contristatur; malignus verò Spiritus exultat; DEI ab anima familiaritatem quàmdiu non emundantur, excludunt. Ad majora gravioraque peccata hominem pertrahunt, vires animi ad resistendum pravis cogitationibus debiliores reddunt, hominem ad benè agendum pigrum & acediosum efficiunt, desideriaque ad temporalia, inclinant, purgatorii cruciatus prolongant, & à DEI præsentis intuitu diutissimè retardant.

5tus. DEUS ob veniale peccatum graves quandoque infligit pœnas in præsenti. Id colligere est ex variis expositionibus sacræ scripturæ. Primò, Moyses licet gravissimis perfunctus laboribus 40. annis in eductione Israëlis ad terram promissionis, in ejus tamen ingressu mortuus est ob venialem diffidentiam in elicienda aqua de petra. Rex David ex vana gloria in numerando populo leviter peccans, gravi peste sui populi in multis millibus mortuorum mulctatus est. Vir DEI Propheta seductus ab alio Pseudo-propheta, ut maneret in civitate Samariæ contra mandatum Domini, à leone in itinere extinctus est. Ezechias Rex in suis thesauris, & aromatum apothecis coram Assyriorum nunciis ostensis, aliqualis gloriolæ reus, audivit illa omnia, & suam prolem transferenda esse captiva in Babylonem. Ananias & saphira fraudem aliquam in bonis divenditis committentes, repentinâ morte percussi sunt.

S. August. hom. 16. ex quinque. *6tus. S. Augustinus* ait: Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem: per Fluvium igneum, & vada feruentibus globis horrenda, trasibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantùm exegerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit flammæ quædam rationabilis disciplina. *Et mox illic.* Sermones otiosi, & cogitationes iniquæ, vel sordidæ, illic multitudo levium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt. (*7mus.* Ab exemplis ex Eusebio Niernbergio Collectis) *I. B. Petrus Damianus* scribit de S. Severino. Hic Clerico fluminis vadum transeunti compa-

Epist. 15. ad Carol. sive de Miraculis.

runt,

ruit, & mirantis manum apprehendit, atque in flumen immersit, ut tactu intelligeret quod pateretur. Ardor enim intolerabilis Clerici manum invasit, adeo ut carnes diffluerent. Qui rogavit Severinum aperire, cur tanto incendio cruciaretur. Ad eum Severinus: Nihil inquit, in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantùm, quia dum in aula Regia constitutus, imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonici Synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Manè quippe simul omnia còaceruans, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium. Petiit his dictis preces & sacrificia, ut Civium choris Beatorum posset iungi. Hic Petrus exclamat; & meritò nobis quoque metuendum esse, ac vehementer formidandum, quoniam virum Sanctum ob unam levem culpam tam intolerabilis purgatorii pœna cruciabat. II. Notissimus quoque est *Hugo Victorinus* percelebris doctrina & virtute, ut alter Augustinus dici meruerit. Hic quemadmodum prodidit Thomas (Antipratensis) post mortem apparens cuidam dixit: quia dum viverem accipere renui disciplinam, vix ullus Dœmon in inferno remansit, qui non mihi ictum validum dederit ad Purgatorium transeunti. *III. Sanctus Gregorius Turonensis* narrat, S. Martinum constitisse aliquando ad sepulchrum Vitalinæ sanctissimæ Virginis, eamque interrogâsse, num DEUM videret? Quæ respondit: restitit mihi una causa, quæ facilis in sæculo videbatur, sextâ enim feriâ, quâ Redemptorem mundi passum novimus, aquis ablui caput. Hoc audito uir Sanctus; Uæ nobis inquit, qui in hoc mundo versamur, & alia plena Sancti timoris: ac Virgini liberationem post triduum impetravit. IV. In Chronicis Ordinis Hieronymiani dicitur sanctissimus Frater Ferdinandus Jannez, unus ex tribus Fundatoribus ejus, insigni Sanctimonia admirandus, & miraculis clarus, apparuisse post mortem Fratri cuidam habitu Manachali vestitus, sed lacerato & detrito, vultu tristi & nigricanti, miserandus, sacrificia aliqua postulans, quoniam in purgatorio detineretur, non ob peccata vitæ secularis, neque vitæ Religiosæ, sed eo duntaxat, quòd præ mansuetudine & benignitate noluit videri nimis scrupulosus & minu-

Lib. 2. apud c. 16. § 5.

Lib. de glo. Confes. c. 5.

2. par. lib. 2. c. 3.

minutus in corripiendis fratribus, quibus præerat, ne gravis illis esset; quòd tamen non credebat culpam fuisse, imò prudenter egisse putabat. V. *Cæsarius* tradit de quodam Abbate in disciplina Ordinis satis perfecto, quòd amico cui rogatus sub vitæ finem id promiserat, apparuit trigesimâ post mortem die, cruribus ulcerosis, & carbonum in modum nigerrimis, cœtera præclarus. Atrocissima se in cruribus tormenta ferre dixit. Quia (inquit) frequenter de labore mansi, nullâ sæpissimè certâ necessitate, ut est hospitum sive audiendarum confessionum, me detinente. Levis culpa fuit posthabere laborem manuum hospitalitati, & confessionibus audiendis, & tamen purgatorio dignum censuit summus Judex. VI. Idem *Cæsarius* scribit de Priore Cœnobii Clarevallensis, qui quoniam valde solicitè ampliabat Monasterii prædia: & de Sacerdote, qui cùm puer esset, germano fratri obulum erat furatus, addictos purgatorio. VII. *Sanctus Vincentius Valentinus* scribit, damnatum quendam purgatorii igne per integrum annum propter unum peccatum veniale. VIII. *Heroltus* quoque Dominicanus, alium Religiosum narrat, usque ad diem judicii mancipatum purgatorio, quia tepidè & neglectim adimpleverat pœnitentias impositas. Alia exempla feruntur Sanctissimorum hominum, qui ob leves culpas graves purgatorii pœnas tulêre; atque in vitis Patrum multi Religiosi viri feruntur, qui pro minutis defectibus purgatorii ignibus damnati fuerunt; quidam pro delectatione quam ex melodia cantûs sumebant, alii pro studio curioso librorum Ethnicorum, alii pro nimia solicitudine in ædificiis, &c. An nostra peccata privilegium habebunt, cùm tot amicorum DEI leves defectus tam rigidè vindicatos videamus?

Lib. 12. Mir. c. 31.

Serm. de aqua Benedicta.

Serm. 49.

Cœterùm præter ignem sensibilem inveniuntur in purgatorio aliæ pœnæ, suus quoque vermis ibi erit, qui purgandorum corda excruciet; cùm videant suâ culpâ detineri, ne DEUM statim videant. Servæ DEI Mariæ de Ajofrin ostensum purgatorium fuit, quemadmodum proditur in Historia Religionis Hieronymianæ Hispaniæ, ibi vidit varia genera vermium sine numero quidem, quibus ille scatebat lacus, ut vix esset ubi pes poneretur. Inter alios vidit quendam grandiorem, qui quadrantis

3. p. lib. 2. c. 45.

unius

unius longitudine, & trium aut quatuor digitorum crassitudine constabat, opertus totus conchis igneis, fortissimosque & acutissimos ungves habens, hunc esse vermem conscientiæ docta ab Angelo fuit. Non levis pœna damni est, tot dies, tot menses, tot annos, imò tot secula carere conspectu Divino, & ingressu cœlestis patriæ, ex quo nascitur incredibilis desideriorum cruciatus, quibus meritò affliguntur hi, qui propter sua peccata neglexerunt DEUM videre. In vita servi DEI Patris Joannis Ferdinandi Societatis JESU refertur quædam admiranda visio, quâ vidit quendam ex Societate JESU igni desideriorum pati & purgare negligentiam cupiendi videre Sanctissimam Trinitatem. *Hactenus Eusebius Nierenbergius.* *In Hist. Complut. Coll. lib. 7. c. 4.*

Praxis cavendi venialia. *1mo.* Venialia acta multipliciter delentur, internâ pœnitentiâ, actibus charitatis, hæc enim operit multitudinem peccatorum; Usu Sacramentorum, & sacramentalium, qualia sacramentalia sunt ingressus Ecclesiæ, tunsio pectoris, Oratio Dominica, Benedictio Episcopi vel Abbatis, aspersio aquâ benedictâ &c: inquantum per hæc & alia, pii motus in affectu hominis excitantur, qui sunt vel formaliter, vel æquivalenter retractatio eorundem peccatorum. Porrò quoad pœnam peccatis debitam evadendam, de hac suo loco agitur. *2do* præservativa venialium sunt frequens usus Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ, fuga occasionum, maximè ex quibus scit se non semel impegisse; diligens studium mox comprimendi & mortificandi exorientes malas cogitationes, & affectus, seu motus passionum & vitiorum: fervens ac discretus conatus magis ac magis proficiendi ad altiorem perfectionem. *p. 3. tr 1.*

§ IV.

De Gradibus peccatorum ex malitia, infirmitate, & ignorantia *ex Dobrosielscio in Summ. Ascet. & Mystic. Theol. Tra. 5. dist. 3. art. 2.*

TRipliciter peccatur mortaliter, nimirum ex malitia, infirmitate, & ignorantia. Peccatum ex malitia duobus fit modis. *1mo* peccatur ex malitia strictè nimirum accepta, quando peccatur ex contemptu explicito: peccat autem

tem quis hoc modo, dum videlicet perpetrat malum, ut eo ipſo DEUM offendat, ut ejus voluntatem Spernat, ut ſe contumacem, inobedientem, ac inimicum DEO oſtendat &c: 2do peccatur ex malitia largè ſumpta, quando nimirum peccatur ex certa ſcientia, & ex plena libertate voluntatis, peccat autem quis ex certa ſcientia, dum abeſt ignorantia peccati ab ejus intellectu, ex plena verò libertate voluntatis dum paſſio nimis concitata appetitus ſenſitivi, vel vehemens motus ſenſualitatis non prævenit voluntatem.

Peccatum ex infirmitate, vel aliàs ex impotentia, imbecillitate, & fragilitate, tribus modis fieri ſolet. 1mo. ex infirmitate peccatur venialiter tantùm, quando præceptis æternæ legis in primis motibus contravenitur. *Nota* autem, quòd ſenſulitatis motus *primo primi*, id eſt rationem & voluntatem prævenientes; nondum ſunt peccata mortalia & venialia. Ratio eſt, quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt; ſed hos motus, homo originali peccato infectus vitare non poteſt, quamvis juſtificatus ſit, ut experientia docet, & ut conſtat Rom. 7. & 8. Igitur &c. Præveniunt verò motus prædicti rationem, id eſt intellectûs advertentiam; quando nec futuri moraliter poterant prævideri, nec præſentes conſiderantur, utpote ſecundùm aliquam rationem mali; Voluntatem etiam præveniunt, quando ejus conſenſum deliberatum, ſua præcurrunt velocitate. Sed motus ſenſualitatis *ſecundo primi*, ſunt iam peccata venialia: quia partim præcedunt rationem & voluntatem, partim ſequuntur; ita ut ſemiplenam conſtituant advertentiam, & ſemiplenum conſenſum. 2do. ex infirmitate peccatur mortaliter, vel aliàs ex paſſione aut concupiſcentia, quando lex æterna in motibus ſenſualitatis ſecundò ſecundis graviter offenditur. Motus enim ex ſenſualitate provenientes *ſecundò ſecundi*, ſunt peccata mortalia (niſi aliquando levitas materiæ faciat illa venialia) quia plenè eos ratio advertit, & voluntas perfectè ac deliberatè illis conſentit. Talia ſunt peccata ex ſubitanea & vehementi ira, triſtitia, concupiſcentià, libidine &c, Dictum eſt ex vehementi quia levis paſſio antecedens actum voluntatis, quamvis ſubitanea ſit, non minuit libertatem, nec item paſſio conſequens, quæ nimirum à voluntate excitatur, nec tandem habitus, qui

eſt

est ex prava consuetudine malè agendi, aut non resistendi motibus sensualitatis: verùm si habitus ille malus ex longa consvetudine peccandi contractus, per pœnitentiam fiat involuntarius, peccatum sequens censebitur esse ex passione aut ex fragilitate, non autem ex malitia. *3tio.* peccatur ex infirmitate mortaliter, quando voluntas hominis prævenitur alterius tentatione, inductione ac provocatione violenta seu vehementi ad transgressionem legis æternæ; ita ut sine timore mali, sive amore boni fracta, & cöacta, plenè in malum consentiat.

Peccatum ex ignorantia tribus modis accidit, aut videlicet ex ignorantia omninò involuntaria, aut ex ignorantia omnino voluntaria, aut ex ignorantia partim voluntaria, partim involuntaria. Hæc autem ignorantia vel est juris, vel facti, vel pœnæ. Unde ignorantiâ juris peccatur, quando contravenitur alicui præcepto legis æternæ, quòd non putatur ejusmdi esse, aut nescitur tam strictè obligare. Ignorantiâ facti peccatur, quando adest scientia & notitia legis, sed ignoratur factum, quòd dicta lege prohibetur: ut dum quis occidit hominem putans esse feram. Ignorantia pœnæ contingit, quando nescitur latam esse talem ac tantam pœnam contra delinquentes. Primò itaque peccatum ex ignorantia omninò involuntaria, aliàs invincibili, non est formale nisi materiale: unde etiam excusat à toto, quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium, non potest autem esse voluntarium cum ignorantia invincibili juris, vel facti, quia voluntarium supponit notitiam. Talis ignorantia eorum est, qui scire Divina nequeunt: ejusmodi sunt infantes, à natura dementes & insensati, ac demum nonnulli simplices, qui nec per se ipsos, nec per alios instrui possunt. *2do.* ex ignorantia omninò voluntaria, vel aliàs ex ignorantia affectata ille peccat, qui scire potest ea, quæ ad salutem scire tenetur, & non vult; de quo Propheta ait Psalm. 35. Noluit intelligere, ut benè ageret: Et S. Bernardus: Frustra sibi de ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant. Hujusmodi ignorantia, ratione perversæ voluntatis, ignorandi ea, quæ ad salutem necessaria sunt, verè est culpa & peccatum, quod æquiparatur peccato ex malitia. *3tio.* peccatum ex ignorantia partim voluntaria, partim involuntaria,

ria, aliàs ex ignorantia vincibili, in eis est, qui scire possunt & volunt, sed tamen negligunt. Unde illi, qui scire possunt ea, quæ tenentur, sed non nisi cum magna difficultate & labore, faciunt tamen facienda, ut addiscant addiscenda, sed aliquatenus negligenter & insufficienter, excusantur à tanto peccato, quamvis non à toto; ita ut per talem ignorantiam aliquando nonnisi venialiter peccent. Verùm qui possunt, modò velint (puta absque magna difficultate, modico nimirum labore adhibito, seu morali adhibitâ diligentiâ) ignorantiam juris & facti superare, & non curant ob suam pigritiam & negligentiam gravem, non excusantur à peccato mortali: est enim hæc illorum ignorantia crassa, & supina, quæ licet non sit à voluntate efficiente seu approbante, sicut est affectata, est tamen à voluntate omittente, quæ nihilominus voluntas est efficiens, quamvis non verè & propriè, tamen interpretativè. Unde S. Chrysostomus super Matth. inquit: Non potest eis esse excusatio condemnationis, ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. *Inter hæc tria peccatorum* genera, gravissimum est peccatum ex malitia; quia ex certa scientia, & plena libertate, & plena voluntate fit. Postea sequitur peccatum ex passione seu infirmitate; quia fit non ex plena libertate, quamvis ex plena voluntate. Tandem peccatum ex ignorantia utpote crassa ac supina ponitur: quia fit nec ex plena libertate, nec quodammodo ex plena voluntate. Unde Sanctus Gregorius lib. 25. Moral. cap. 16. Graviùs quidem peccatur infirmitate quàm ignorantiâ, sed multò gravius studio, quàm infirmitate. *Hactenus Dobrosielscius.*

§. V.
De Peccatis Cordis, & Gradibus eorum: utpote de Suggestione, Delectatione, & Consensione *ex Dobrosielscio ut supra art. 4.*

PEccata cordis aliquando considerãtur ut incompleta, seu ut gradus dispositioque ac præparatio ad alia peccata, oris videlicet & operis: quam ob rem luxuriosus prius meditatur de fornicatione, postea verbis solicitat mulierẽ, tandem ipso opere suum

ſuum cõſummat pravum deſiderium: quæ omnia unum peccatum completum ac perfectum conſtituunt. Aliquando peccata cordis, vel aliàs mentis, conſiderantur ut completa, ac ſpecie à peccatis oris & operis diſtincta: qualia ſunt odium DEI aut proximi, hæreſis, hypocriſis, ſuperbia, ira, invidia, iudicium temerarium, contemptus &c. Initium igitur ſeu primus gradus peccatorum cordis ſeu mentis, eſt *ſuggeſtio diabolica* ab imaginatione apprehenſa, & conſequenter à ratione inferiori in cogitationem ſeu meditationem deducta. Uel quoque eſt commotio ſenſualitatis, ac immisſio per Angelum malum in cor, illius, quod lege æternâ prohibitum eſt. Profectus verò ſeu ſecundus gradus peccatorum cordis, conſiſtit in *prava delectatione*. Nota autem delectationem, aliam eſſe ſpiritualem, aliam corporalem. *Delectatio ſpiritualis* eſt, quando quis delectatur in ipſo DEO, vel propter DEUM in creatura, in virtute, in obſervantia legis æternæ, &c. Hujuſmodi fuit delectatio David, cùm diceret Pſal. 76. Memor fui DEI, & delectatus ſum. Et Pſalm. 118. Memor fui judiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum. Et Pſalm. 91. Delectâſti me Domine in factura tua. Delectatio verò Spiritualis quantum ſpectat ad præſentem materiam, vel eſt purè naturalis, vel eſt ſenſualis. *Naturalis*, quæ non niſi naturalium qualitatum ſequitur actionem, & ſine qua impoſſibile eſt vivere: nec meritum, nec demeritum habet. *Senſualis delectatio*, vel aliàs ſenſualitatis, quæ eſt motus primò primi, vel aliàs quæ prævenit omnino actum rationis, nullum poteſt habere peccatum, unde etiam ad Naturalem reducitur. Delectatio verò quæ partim prævenit apprehenſionem rationis, partim ſequitur, vel aliàs quæ eſt motus ſecundò primi, eò quòd moralem habeat inordinationem, ſitque non contra DEUM ſimpliciter; ſed præter, ac infra, citraque DEUM, omninò incurrit veniale peccatum. Sed delectatio, quæ eſt motus ſecundò ſecundi, quia ſimpliciter eſt contra DEUM præceptaque illius gravia, nullo modo à culpa mortali excuſari poteſt. Et hæc deinde duplex eſt, nempe Efficax, & inefficax. *Delectatio inefficax* (vel aliàs moroſa) ex eo ſic dicitur: quòd ſit rei illicitæ deliberata complacentia, utpote ſimplex, id eſt abſque intentione, opere illam perficiendi, *Moroſa* au-

tem dicitur, à mora practici intellectûs, qui postquam plenè advertit malitiam illius, moratur tamen in illa; complacendo sibi in ea deliberatè, vel eam statim à principio non repellendo, cùm possit, ac debeat: quo ipso ruit in ipsius consensum.

Delectatio verò *Efficax* præter hoc, quòd sit simplex complacentia deliberata de re illicita, cogitata ac apprehensâ tanquam præsenti; verùm etiam est affectus inordinatus consequendi, & actu experiendi illud, quod delectat: itaque hujusmodi delectatio est simul & desiderium pravum: unde est, quòd etiam ad delectationes, aut ad desideria, omnia peccata cordis pertinere dicuntur.

Perfectio seu tertius gradus peccatorum cordis seu mentis, constituitur consensu in delectationem inordinatam, seu in desiderium pravum. Est autem *Consensus in peccatum* alius perfectus, alius imperfectus. Perfectus seu plenus consensus est triplex, videlicet formalis, virtualis, & tacitus. *Consensus Formalis*, vel aliàs *Positivus*, directus, expressus, explicitus, apertus, actualis ac elicitus est, quando quis formali, positivo, ac elicito voluntatis actu, seriò approbat, sponte acceptat, ac intimè admittit ac fovet, aut nimirum delectationem suæ sensualitatis inordinatam, ac lege Divinâ prohibitam, aut desiderationem pravam, quam antecedenter talem esse intellectus plenè advertit, & judicavit. Unde est quòd consensum positivum seu formalem, ad mortale peccatum duo faciunt sufficientem: primum est ex parte intellectûs, ipsa videlicet perfecta & actualis advertentia (quæ in quodam momento haberi potest) ipsius objecti apprehensi secundùm rationem malitiæ. Vel saltem aliqua dubitatio, suspicio, aut scrupulus de malitia seu periculo ejus, rationabiliter ac prudenter non depositus. Alterum est ex parte Appetitus rationalis, utpote plena & positiva voluntatis complacentia & quiescentia in illo objecto, acsi in fine ultimo: vel alias; illius perfecta approbatio, quæ sequi potest eodem momento. *Consensus virtualis* est duplex: Primus qui ex natura sua includitur in formali consensu, ut quando aliquis positivè ac formaliter bonum invidet proximo, eo ipso etiam virtualiter & inclusivè consentit in delectionem de ipsius possibili malo. Vel deinde hoc ipso, quòd aliquis aut for-

maliter ingredi vult Religionē, aut sacrum suscipere Ordinem, virtualiter etiam seu inclusivè consentit conservare castitatem, quam Religio sancta, aut Ordo sacer ex constitutione Ecclesiæ requirit. Secundus virtualis Consensus est, qui profluit ex formali: ut quando virtus seu tentio ac prosecutio consensus formalis, remanet in aliquo exteriori opere inchoato.

Consensus Tacitus, vel aliàs implicitus, indirectus, & interpretativus est, quando quis perfectè advertit motum seu sensualitatis (utpote delectationem inordinatam, seu desiderium pravum legi æternæ contraveniens) in carne sua insurrexisse, & eidem permissivâ voluntate connivet; aut ipso actu positivæ voluntatis ei non resistit, cùm debeat & possit. Unde differentia est inter Formalem & Tacitum Consensum sicut inter expressam & tacitam alicujus munitionis seu castri proditionem. Expressa proditio fit, quando hosti aperitur janua, & liberè ad interiora castri recipitur: Tacita verò quando castrum non defenditur ex conniventia, dum ab hoste oppugnatur & occupatur.

Consensus Imperfectus utpote ex parte intellectûs ad mortalem videlicet non obligans culpam, primus dici solet indeliberatus, subitus, & subreptitius: ex eo nimirum, quòd voluntas consentiens pravis cogitationibus, aut sensualitatis motibus inordinatis, suâ mobilitate ac celeritate præveniat deliberationem intellectûs plenam. Prævenit autem voluntas intellectum quando illa prius approbat, quàm intellectus practicus plenè advertat turpitudinem rei cogitatæ, aut motus sensualitatis: vel quando nondum totam eorum apprehendit malitiam, unde moveatur ad excutiendum ejusmodi cogitationes ac motus. Vel item, quando ratio practica, agnoscit quidem cogitationem ac motum esse contra legem æternam, sed transeunter, eò quòd aliò feratur ac rapiatur. Vel item, quando ratio adeo tenui consideratione apprehendit actionis malitiam, quam interim prosequendo, parum judicat ac æstimat tanti esse momenti, quòd omnino statimque deseri ac impediri debeat. Vel denique tum, quando intellectus non est sibi plenè compos, seu non habet sui perfectum usum: ut cùm quis nondum plenè à somno excitatus, sed eo ex parte ligatus, pollutionis sibi contingentis malitiam, ex toto conside-

rare capax esse nequit; non imputatur ei ad mortale, donec integrè cognoscere queat, quid sibi incumbit. Tum quando, intellectus alicujus sic perturbatur, utpote aliquo impetu concitatæ passionis, aut aliâ naturali causâ, ut quamvis incipiat attendere & advertere actionē suam esse inordinatam, tamē à se aliò per aliquod obiectū evocatus, in partesq; distractus ac divisus non valet ejus integrè actu suo pervadere ac cōprehēdere malitiā, illa nihilominus suū interimperficiente cursum. Secūdus Consensus imperfectus ex parte videlicet voluntatis, dicitur propriè semiplenus, habens non nisi venialem culpam. De hoc arguitur aliquis, quando suggestiones ac tentationes quas postquam intellectu plenè advertit, actu positivæ efficacisque voluntatis eas quodāmodo tepidè, remissè, ac negligenter detestatur, aliàs absque ulla conniventia tacita ac morosa voluntatis permissivæ, & absque probabili periculo plenè consentiendi. *Hinc nota* quòd Consensus Formalis est positivæ voluntatis; Tacitus verò permissivæ; hic autem semiplenus, tepidæ ac remissæ. *Hactenus Dobrosielscius.*

§ VI.

De Nonnullis Peccatis Oris tum Venialibus, tum Mortalibus *ex Dobrosielscio ut supra art. 7.*

Quemadmodum enim peccata cordis, illa sunt, quæ perficiuntur in ipso intellectu & voluntate; ita peccata oris dicuntur illa, quæ sermone complentur. Uti sunt verba otiosa, multiloquia, vaniloquia, &c: quæ ex genere suo venialia reputantur. Est autem otiosum verbum, quod absque utilitate aut necessitate, sive nimirum corporali sive spirituali, loquentis aut audientis, profertur. Unde *S. Gregorius* lib. 7. Moral. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Otiosum quippe verbum est, quod aut justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. *S. Augustinus:* Absit ut multiloquium deputem quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine, aut prolixitate dicantur. *Nec non*, ut sunt adulatio, mendacium, contumelia, irrisio, maledictio detractio, susurratio, murmuratio, & diffamatio, quæ ex genere suo

ſuo mortalia ſunt: quamvis non quælibet adulatio mortalis cenſeri debet, qualis eſt iſta, quando quis alium laudat ex bono opere quo caret, vel ſi non caret, ſed nimis illud exaggerat, ut inde vanè ei placere posſit, vel quando quis excesſivè alios jocoſis verbis aut factis ſuis delectare contendit, vanè illis placere cupiens. Verùm illa adulatio mortalis eſt, quando quis laudat peccatorem in pravis deſideriis animæ illius, aucupando ſibi ejus gratiam. Unde Prov. 28. Qui delinquunt legem, laudabunt impium. *Mendacium* etiam otioſum, quod alicui prodeſt, & jocoſum quod alios delectat, veniale eſt: ſed damnoſum quod videlicet alteri nocumentum adfert, mortale eſt; niſi levitate materiæ, vel inadvertentiâ excuſetur. *Contumelia* formalis, eſt peccatum mortale, quæ eſt exprobratio defectus proximi in malo culpæ, animo & affectu ipſum dehonorandi. Ut dum unus alteri exprobrat verbis injurioſis crimen furti, adulterii, apoſtaſiæ, &c; Ab hoc differt Convitium, & Improperium, ipſa videlicet materiâ, ſed non fine. Unde Convitium formale eſt exprobratio defectus proximi in malo naturalis vitii, pœnæ aut ſupplicii, animo & intentione lædendi ejus honorem. Ut ſi quis alteri injurioſè dicat; illum eſſe cœcum, fatuum, virgis aut fuſtibus cæſum, infamem, &c: Improperium quoque formale, eſt exprobratio defectus proximi in malo indigentiæ, ſtatûs & natalium. Ut cùm quis injurioſè alteri revocat in memoriam à ſe accepta beneficia, vel dicit eum eſſe ruſticum, illegitimum, &c.

Verùm Contumelia materialis (quæ nimirum fit abſque intentione & affectu dehonorandi proximum injurioſè) ſicut etiam & Convitium ac Improperium materiale, aliquando nullum eſt peccatum, aliquando non niſi veniale, aliquando mortale. *Imo*: non eſſe aliquod peccatum ejuſmodi verba, quando dicuntur ex zelo amoris, ad corrigendum proximum, vel ex zelo juſtitiæ ad puniendum reum, ſi tamen non exceditur, nec in qualitate verbi contumelioſi, nec in modo. *2do*: eſſe peccatum veniale contumeliam materialem, dum ejuſmodi verba dicuntur ex quodam indiſcreto zelo, ſubreptione ac ſubita pasſione: vel etiam quando defectus alterius manifeſtatur inter ſuos tantùm ob quandam vanam facetiam, jocum, & riſum. *3tio*: ſi tantus eſſet

 exceſ-

exceſſus in verbis, quòd aliquis per talem contumeliam, magnam incurreret confuſionem ac diffamationem; & voluntas eum non cohiberet, cùm posſit ac debeat; tum enim zelus juſtitiæ nullatenus excuſaret à peccato mortali. *Aut quoque* ſi quis aperiendo defectum proximo, advertat ſe hoc ipſo multùm lædere poſſe honorem ejus: quamvis id ipſum non intendat, peccat tamen mortaliter: quia facit contra prudentiam, per quam providere debet ac poteſt, ut proximus tantùm non incurrat per eum ſui honoris jacturam.

Irriſio ſeu Deriſio formalis, eſt peccatum mortale, quæ nihil aliud eſt, quàm expresſio ac manifeſtatio proximi defectus joculatoriis verbis aut ſignis, cum intentione honorem ejus lædendi; & erubeſcentia, pudore, confuſione, ac internâ inquietudine illum replendi. In hoc autem differt Deriſio à Contumelia, Convitio, & Improperio, quia deriſio fit joco, contumelia autem convitium & improperium ſeriò. Verùm aliquando excuſari poteſt irriſio formalis à mortali, ſicuti contumelia, convitium, & improperium, vel parvitate materiæ, vel non plenâ deliberatione. Materialis Irriſio, aliquando eſt peccatum mortale; ut ſi quis à verbis irriſoriis non ceſſet, dum putat alterum ex defectu etiam levi ſibi objecto graviter commoveri, dolere ac triſtari poſſe, ſicut contingere ſolet valde honeſtis ac pudicis perſonis, nec non multum ſuſpicioſis, elatis ac, pasſionatis hominibus. Poteſt etiam Irriſio materialis aliquando nullum eſſe peccatum, ſi nimirum fiat ad correctionem proximi, aut ad moderatam animi recreationem.

Maledictio Formalis eſt imprecatio mali alicujus facta ſub ratione mali, & dicitur eſſe peccatum mortale ex genere ſuo. Maledictio verò Materialis, cui deeſt intentio & affectus malum proximo eveniendi, non eſt mortale: ut ſi fiat joco, cauſâ honeſtæ recreationis, vel ad correctionem alterius. Verùm ratione circumſtantiæ Maledictio materialis poteſt eſſe peccatum mortale, ut ſi perſona Spiritualis malediceret alicui cum aliorum ſcandalo, aut filius patri, ſubjectus ſuperiori. &c.

Detractio Formalis eſt ex genere ſuo mortale peccatum, niſi levitate materiæ, aut inadvertentiâ excuſetur. Illa autem eſt Detractio forma-

formalis,quâ peccatum proximi,aut alicujus defectus infamis clam ipso manifestatur,expressâ videlicet intentione ipsum in fama lædendi. Fieri verò solet hujusmodi Detractio *quatuor* modis, directè & apertè & aliis quatuor, indirectè, ac tacitè: quorum *primus* modus directæ detractionis est, quando nimirùm scienter alteri falsū crimen imponitur. *Secundus*, quando quis crimen proximi revelat occùltum, quamvis verum. *Tertius*, quando quis peccatum alterius exaggerat, seu auget verbis aut signis, quamvis notorium. *Quartus*, dum quis explicat factum alterius honestum, in sinistram partem. Indirectæ verò Detractionis modus *primus* est, quando quis dotes, aut rectè facta alterius negat. *Secundus*, quando eadem diminuit. *Tertius*, quando quis tacet alterius bona eo loco & tempore, quo illius silentium cœteri accipiunt pro tacita vituperatione & opprobrio. *Quartus* est, dum quis frigidè laudat, & hoc cedit in vituperium & opprobrium laudati.

Materialis quoque Detractio (quæ est quando ex immoderata loquacitate defectus seu crimen occultum narratur alterius; unde fama ejus præter narrantis intentionem læditur) dicitur etiam esse peccatum mortale, si nimirum narrans advertat posse inde sequi gravem alterius famæ læsionem: quia quamvis expressè ac formaliter non intendat lædere alterum, tamen tacitè id ipsum intendere convincitur, quæ intentio æquivalet formali. *Verùm* si hujusmodi narratio ex quadam animi levitate & inadvertentia proveniat, vel ex ea non sequatur per se gravis læsio: quia nimirum ab audiente non accipitur seriò, nec vera esse creditur, erit tantùm peccatum veniale. Nullum autem erit peccatum, imò nec potest dici Detractio, si quis servato ordine fraternæ correptionis, manifestaverit testibus aut Prælato aliquod crimen fratris, ut emendetur: quia non est injusta læsio famæ: cùm pro bonis superioris ordinis, licitè exponi possunt bona inferiora, qualis est fama respectu salutis spiritualis.

Susurratio Formalis ex genere suo peccatum est mortale, quæ talis esse dicitur, dum quis occultè proximum obloquitur, coram altero defectum ejus manifestando, animo videlicet ac intentione dissolvendi inter eos amicitiam honestam, & discordiam seminandi malam. Materialis quoq; susurratio(quæ est dum dici-
tur

tur malum non eo quidem fine, ut solvatur amicitia, & seminetur discordia; sed tãtùm ex quadam loquacitate & affectu susurrãdi, seu quodam modo adulandi ac blandendi) mortalis est culpæ, si nimirum advertenter dicatur grave malum, quod aptum iudicatur, graves posse generare discordias, ac inimicitias: aliquando venialis tantùm ob parvitatem mali narrati, & ipsius discordiæ levitatem. Aliquando susurratio materialis nullum est peccatum, quin imò opus charitatis, si videlicet non nisi inhonestas ac malas dissolvat amicitias; modò nullum ad hoc opus intercedat mendacium.

Murmuratio largè sumpta, significat apud Religiosos omne vaniloquium ac multiloquium: strictè verò accepta aliquando idem est quòd detractio; aliquando idem quòd susurratiò, quatenus nimirum propriè contra superiores militat.

Diffamatio quoque largè accepta, est per diversas partes famæ bonæ malæve divulgatio: verùm strictè sumpta, significat ipsam divulgationem alterius criminis aut defectûs: non differt à detractione, nisi quòd detractio sit oblocutio coram paucis, diffamatio verò coram multis, ac in multis locis propalatio infamis mali. Est autem defectus, seu crimen, vel malum infame triplex, occultum videlicet, publicum, & notorium. *Occultum dicitur*, quòd uni tantùm, aut valde paucis cognitum est. *Publicum* verò cujus rumor sparsus est coram multis, ac in pluribus locis, sive justè, sive iniustè; vel quod publicatum est privatâ authoritate: aliquando etiam publicum idem significat quod notorium: propriè autem *Notorium* illud dicitur quod ad notitiam venit multorum, aut videlicet per notorietatem facti, aut per notorietatem juris. Unde diffamatio formalis cujuscũq; hujusmodi defectûs, quæ nimirum ex odio venit, habetque intentionem famam lædendi, est mortale peccatum. Materialis diffamatio notorii ac publici defectûs, non est aliqua culpa. Verùm diffamatio Materialis occulti peccati, aut alterius defectûs infamis, si advertenter fiat absque necessitate rationabili, culpam habet mortalem.

Auditor infamatoris, detractoris, & murmuratoris potest dupliciter considerari: vel nimirum ut formaliter cooperans infamationi, detractioni, & murmurationi alterius, vel materialiter tantùm. Cooperatur autem *formaliter* aliquis auditor detractoris duo-

duobus modis. 1mo, quando apertè ac explicitè, directâ intentione lædendi alterius famam concausat illius detractionem, juvando videlicet detrahentem, incitando, interrogando, laudando, consentiendo & approbando. 2do, quando quis audiens detractorem occultè & internè delectatur ac lætatur de detractione seu injusta læsione famæ alterius, ad hoc tamen nullatenus eum inducendo suâ interrogatione, neque exterius hujusmodi approbando diffamationem. Uterque istorum auditor peccat mortaliter: primus quidem contra justitiam, habens nimirum annexam obligationem restituendi famam alterius, si ejus auditio, ac incitatio causa fuit auditionis aliorum, & si quoque detractor læso famam restituere noluerit: *Alter verò* peccat non nisi contra charitatem. Cooperatur deinde aliquis auditor detractori materialiter; quando nec inducit eum proximè ad detrahendum, nec lætatur de ejus detractione, aut læsione famæ alterius (unde auditor ille qui delectationem capit solùm ex eloquentia detractoris, vel ex curiosa cognitione factorum proximi, absque desiderio, ut alteri detrahatur, aut alter incurrat infamiam, non dicitur cooperari detractioni formaliter, nisi solùm materialiter) audit tamen, nec resistit detrahenti cùm possit. Hujusmodi auditor aliquando peccat, venialiter, aliquando mortaliter; quandoque nullum incurrit peccatum. Venialiter peccat *1mo*, si illa detractio quam audit, levis est. *2do*, si est quidem de re gravi sed inadvertenter eam audit: vel si advertenter, sed quia videt eam fieri solùm apud unum, vel ad summum duos viros probos, qui rem omnino silebunt. Quamvis tamen ipse diffamator coram uno ac altero probo viro, qui secretum servaturi sunt, narrans malum infamæ proximi sine necessitate juxta Recentiorum opinionem non excusetur à peccato mortali, nisi etiam inadvertenter hoc faciat, & post advertentiam famam restituat. *3tio*, si ob nimiam verecundiam vel animi pusillanimitatem non audeat resistere. *4to*, si putet detractorem spontè revocaturum quod dicit idque efficaciter. Mortaliter peccat contra charitatem audiens dectractorem, & ei non resistens, si infamia sit gravis, & facilè posset eam impedire, sed contra justitiam incurrit peccatum, cui id ipsum ex officio incumbit. Tandem nullum peccatum habebit audiens detractorem, &

ei non resistens. *Imo*. Si est privata persona, & ex hujusmodi resistentia nullum expectat fructum; imò potius probabiliter credit aliquod inde sibi, vel alteri fore eventurum malum. *2do* Quando audiens nescit, an hoc peccatum quod narratur sit occultum, aut publicum, an justè aut injustè propaletur: in dubio autem quilibet præsumere debet, non detrahere loquentem; nisi in contrarium sufficientes habeat conjecturas: unde est, quòd impediens faceret aliquando injuriam loquenti, judicando illum, & corrigendo tanquam detractorem, cùm talis non sit. *3tio* Si audiat hujusmodi verba ob aliquem bonum finem, nempe ex necessitate, aut pietate, v. g. ut fraternè corrigat, aut paternè admoneat delinquentem. *Hucusque Dobrosielski.*

§. VII.

De Causis tum promoventibus, tum excusantibus peccata Operis ex *Dobrosielscio ut supra art. 8.*

DIcendum est *Imo*, quòd peccata operis ex tribus causis committi solent. Aut nimirum ex negligentia, aut ex cupiditate, aut ex contemptu. Ex *Negligentia* quidem peccatur, quando ex nulla alia causa, nisi ex ipso animi torpore aliquod præceptum legis æternæ adimplendum, omittitur: erit autem hujusmodi peccatum aliquando mortale, aliquando veniale, juxta gravitatem aut levitatem præcepti omissi.

Ex *Cupiditate* peccat aliquis venialiter, quando leve aliquod præceptum ex concupiscentia aut vanitatis, aut curiositatis, aut voluptatis transgreditur; sed mortaliter peccat, si ex eadem causa grave violat præceptum. Ex *Contemptu* communiter peccatur mortaliter. Unde causa majoris elucidationis, notandum est, duplicem esse Contemptum, Formalem videlicet & Materialem. *Formalis* fit, quando aliqua persona aliis postponitur personis, ex tacito contemptu, puta in æstimatione, in honoris exhibitione, in elatione ad aliquod officium, in salutatione, in familiari allocutione, in munerum largitione &c. Vel quando aliquid fit ex directa intentione, ut alter expressè contemnatur, seu contemni credatur. *Materialis Contemptus* fit, quando aliquis aliis postponitur absque implicita & explicita intentione sui contemptûs.

Deinde

Deinde notandum est, quòd contemptus alius est Præcipientis, & alius Præcepti. *Præcipiens*, aut est DEUS, aut homo. Homo etiam, vel ut est Antistes DEI, id est Superior ac Prælatus: vel ut est quædam persona habens aliquos defectus aut morales, aut naturales. *Tandem notandum* est, quòd præceptum contemnitur aut absolutè, aut secundùm quid. Contemnere autem præceptum absolutè, est nolle omnino ac simpliciter subjici & obedire præcepto sive gravi sive levi, ut præceptum est. Contemnere verò præceptum secundùm quid, est velle quidem absolutè ac simpliciter subjici ad obediendum præcèpto, ut præceptum est, sed nolle hic & nunc ac in re tam levi obedire ac subjici: quia strictè ac seriò non præcipitur, nec ad gravem culpam obligare creditur. Hinc determinandum venit, quòd *Formaliter contemnere*, seu minùs appretiare præcipientem quàm oportet (sive præcipiens sit DEUS, sive homo, quia nimirum Superior, ac locum DEI tenens) vel in contemptum illius aliquod præceptum transgredi (sive illud sit gave, serium, ac obligatorium, sive leve; ut est exhortatio, admonitio, consilium, & præceptio non cum magna intensione voluntatis prolata) semper est peccatum mortale. Ratio est primi, quia contemnendo DEUM sub quacunque ratione, magna cõmittitur irreverentia contra tantam Majestatem. Ratio secundi, quia contemnere hominem ut Superiorem, est contemnere authoritatem in eo, à DEO collatam. *Materialiter contemnere* præcipientem, aliquando veniale, aliquando mortale peccatum est; & hoc ratione transgressionis, levis vel gravis illius præcepti. Unde est quòd transgressores æternæ legis, appellari solent contemptores DEI: quia hoc ipso præferunt DEO, & beneplacito ejus, creaturas ac propriam voluntatem: & talis contemptus dicitur imputativus. Contẽnere deinde absolutè sive grave sive leve præceptũ DEI aut superioris, contemptu videlicet formali, est peccatum mortale: sed contemnere secundùm quid, contemptu videlicet non nisi materiali, leve præceptum, venialis est culpa; quamvis contemptus talis, cum aliqua indignatione conjunctus sit, modò aliàs indignatio ipsa non sit mortalis. Contemnere præcipientem, ut præcipiens est homo defectuosus, non est mortale peccatum, modò præceptum ejus grave non prætermittatur.

Dicendum est *2do*, quòd peccata operis illa sunt, quæ aut per operationem alicujus; aut per cooperationem complentur. Ut sunt homicidium, furtum, fornicatio, jejunii violatio, inebriatio, &c. Per operationem quidem complentur, quando quis illa per seipsum, aut cum alio, actu externo perpetrat: sed per cooperationem, quando quis animum alterius ad ea perpetranda efficaciter movet, jubendo scilicet, consulendo, laudando, approbando, adjuvando, defendendo, adulando, connivendo, permittendo, &c.

Dicendum est *3tio*, quòd peccata operis, non indigent ad sui consummationem consensu elicito: sufficit enim ad omne peccatum, ut voluntas actu externo seu imperato, per vires nimirum sibi subjectas, indigna aliqua, ac legi æternæ contraria, sive nimirum cum antecedente, aut comitante sui intellectûs perfecta deliberatione exerceat ac exequatur; sive cum subsequente plena advertentia opus suum perversum approbet, ac ratificet.

Dicendum est *4to*. Septem esse causas, ob quas opera, aliàs ex genere suo mortalia, possunt esse nulla peccata, ut est Impotentia, Ignorantia, Defectus judicii, Iusta ratio, Pietas, Necessitas, Dispensatio. *1ma causa est Impotentia*, quæ habet locum in restitutionibus, quando nimirum restituendi facultas deest, in recitatione Divini officii tempore infirmitatis magnæ, in auditione Missæ deficiente Sacerdote, vel tempore inundationis aut pluviæ, in jejuniis quoad debiles. Hujusmodi autem *Impotentia* excusans à peccato, in his ac aliis præceptis & statutis humanis est duplex: Physica nimirum & Moralis. *Impotentia Physica* contingit, quando quis absolutè non potest satisfacere alicui obligationi: Moralis verò est, quando absque notabili suo malo idipsum præstare nequit. *2da causa* excusans à peccato est *Ignorantia*, nempe invincibilis, quæ nimirum nullatenus superari potuit, neque aliquid movit ad eam excludendam. Idem etiam sentiendum est de Inconsideratione naturali. *3tia est Defectus judicii*, ut in pueris, infantibus, amentibus, dormientibus, & plenè inculpabiliter ebriis. *4ta est justa ratio*, quæ habet locum in humanis legibus, statutis ac præceptis: censetur autem esse tunc, quando illa omnino legislatorē inclinaret si præsens esset, ad legē suam declaran-

clarandam in in tali casu non ligare. *5ta causa est Pietas*, dum quis operibus pietatis ac misericordiæ tum corporalibus, tum Spiritualibus incumbit; excusatur ab auditione Missæ in die festo, à jejunio, &c. Si nimirum aliter commodè suo muneri satisfacere nequit. *6ta est Necessitas*, ut si quis in extrema necessitate constitutus esset, ita quòd vitam aliter servare non posset, licitè acciperet alienum: quia in tali casu omnia sunt communia: vel si incideret in miseriam irremediabilem, aut decideret ab honorato statu suo, restituendo alienum, licitè retinere poterit illud durante tali necessiate. Nec non si quis aliter non posset vitam propriam, aut res suas defendere, imò etiam & proximi, nisi occidendo invasorem injuriam inferentem, liber est à peccato. Denique si quis aliter non posset victum habere pro se ac suis, nisi die festo laboret, vel si fruges terræ verè corrumperentur, nisi die festo colligat eas, nihil peccabit. Verùm hæc necessitas non habet locum in aliis peccatorum generibus: unde non licet fidem negare, blasphemare, peierare, fornicari, falsum dicere testimonium, &c. quantumcunque magnum periculum vitæ, famæ, damni euitandi, superveniat. *7tima est Dispensatio superioris*, quæ locum habet in lege humana. Fieri autem potest *1mo*, ob necessitatem aut utilitatem sive communem, sive privatam. *2do*, ob pietatem aliquam sive corporalem, sive spiritualem. *3tio*, ob causam supervenientem v. g. quoties observantia legis vergit in malum, aut majus bonum impedit, toties ratio est iusta dispensandi. *Hactenus Dobrosielski.*

§VIII.
De Peccato Recidivō.

PEccatum Recidiuum est, post veram poenitentiam de peccatis actam, in eadem plura, vel unum recidere seu reincidere, illud perpetrando.

Peccatum post veram conversionem perpetratum aliud est Lapsûs, aliud Recidivationis. Lapsus deinde alius est venialis, alius mortalis. *De Lapsu veniali* illud est *Eccl.* 7. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Et 1. *Ioannis.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et *Prov.* 24. Septies in die cadit

Dobrosielscius Sum. Ascet. et Myst. Theolog. Medit. de pec-eat.

cadit justus, & resurgit. Et S. *Augustinus*: Nullus Sanctus & justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel Sanctus, cùm affectu teneat Sanctitatem. *De lapsu mortali* illud est Psalm. 36. Cùm ceciderit (id est cùm peccaverit casualiter ex improviso & infirmitate) non collidetur (id est non ruet in profundum peccatorum) quia Dominus supponit manum suam. Unde peccatum Lapsûs venit homini, vel ex aliqua improvidentia, vel ex ignorantia excusabili à tanto quamvis non à toto, vel ex fragilitate, quam causat vehemens aliqua tentatio, aut quædam violenta ac insperabilis provocatio & inductio: de quo se justus, tum coram DEO tum coram hominibus, ad quos manifestatio suæ conscientiæ spectat, multùm accusat & humiliat (*non verò ex amore proprio illud occultat, aut jam propalatum excusat, aut de sui correptione turbatur, sicut recidivus aliàs facere solet*) Et hoc exẽplo S. David, qui sic orat Deum Psalm. 114. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Et Psalm. 24. Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim. *Peccatum verò Recidivationis* venit homini ex ipsa malitia, id est ex certa scientia, & ex plena voluntate, & ex plena libertate.

Nota 3tio, quòd Recidivatio in aliquod peccatum mortale, triplicis est statûs seu speciei & gradûs. una dicitur oblatæ occasionis: 2da, quæsitæ occasionis: 3tia continuæ occasionis. Dicitur autem Recidivatio habere suos status, species, & gradus, tum quia altera ab altera specie distincta est, tum quia altera gradatim in alteram desinit ac terminatur. Quòd quidem Recidivatio specie differat à Recidivatione, patet; quia tres sunt status hominum tam videlicet ante, quàm post veram conversionem ex malitia peccatorum, juxta illud Psalm 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum (id est, qui non est secutus peccandi oblatam occasionem) & in via peccatorum non stetit (id est, qui in peccatis suis non perseveravit; seu qui peccãdi occasionẽ non quæsivit, ac in occasione invẽta delectabiliter non permãsit) & in cathedra pestilẽtiæ non sedit (id est, qui pestilentia perversæ doctrinæ alios non infecit, aut malo suo exẽplo non scãdalizavit, aut callida persuasione, improbis munusculis ac similibus ad peccãdũ non induxit.) Unde 1mi statûs Recidivatio illorũ est, qui inter bonos manentes & occasionẽ mali

mali non habêtes, abstinêt à peccatis, sed casualiter oblata & data sibi occasione ad malum, prono animo ruunt in peccatum; & sic occasio facit illos improbos: quamvis aliàs occasio non improbet (juxta Thomam à Kempis) sed qualis est quisque probet & examinet. *Secundi status* recidivatio illorum est, qui inter bonos manentes, & nullam occasionem mali habentes, eam tamen quærunt, vel venire sibi cupiunt, ut nonnunquam suis motibus improbis satisfaciant *Tertii statûs* recidivatio illorum est, qui jam sibi fecerunt continuam ac perpetuam peccandi occasionem. Ut sunt molles, qui nefando procuratæ libidinis seu pollutionis crimine inquinantur. De hoc peccato horrenda legere est. apud Cornelium à Lapide in C p. 38. Genes. Versu 9. Item ut sunt, qui consuetudinem cujuscunque peccati contraxerunt, quæ communiter per totam vitam durat usque ad ipsàm mortem. Tum quia consuetudo est altera natura. Unde qualis homo vivit, talis & moritur. Et hoc est, quod ait Jerem. 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas; ita & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Tum quia consuetudo sensim inducit dedolentiam ita, ut peccator tandem nullum peccati habeat sensum, nullum scrupulum, ac insuper non timeat judicium DEI, & ipsas infernales pœnas juxta illud Ierem. 5. Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & respuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti. Item ut sunt, qui ex perversitate animi sui dicunt malum bonum, (ut est Isa. 5.) & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Froenativa Recidivationis in peccatum sunt. *Dobrosielscius* affert dicens: Multa mala peccatum homini adfert, iterum post veram conversionem in illud recidenti: quæ quidem mala colligi possunt ex testimoniis sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum de Recidivis. Uti est *Eccl.* 5. De propitiato peccato noli esse sine metu neque adjicias peccatum super peccatum &c. *Item* 21. Fili, peccasti, ne adiicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi, tanquam à conspectu serpentis fuge (Recidivationis) peccatum; nam si accesseris, mordebit te. Et *infra*: Plagæ illius non est sanitas. Et *Ezeh* 33. Iustitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit. Et *infra*: Etiamsi dixero justo, quòd vita

Summar: ascet: & myst: Theol: med: de peccat:

vitâ vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur: & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. *Et Ierem.* Quàm vilis facta es nimis (anima hominis recidivi) iterans vias tuas. Et *Ioann.* 6. Ecce sanus factus es, iam noli (peccato recidivationis) peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et *Luc.* 11. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus nequiores se, & ingressi (in animam recidivi) habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Et 1. *Joan.* 3. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat; in hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est (per regenerationem baptismi aut pœnitentiæ) ex DEO, peccatum (recidivationis) non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est. In hoc manifesti sunt Filii DEI, & filii diaboli. *Et* 2. *Petr.* 2. Meliùs erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitionem, retrorsum converti ab eo, quòd illis traditum est, sancto mandato. Et *Hebr.* 6. Impossibilie est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilomnus bonum DEI verbum, virtutesque seculi venturi, prolapsi & sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Et *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & aspicens retro aptus est regno DEI. *Quasi dicat Christus:* sicut ille, qui mittit manus suas ad aratrum, & retro aspicit, non est aptus ad benè arandum; ita qui manum dedit suæ Religioni ad me imitandum, & retro aspicit ad pristinas concupiscentias præteritaque peccata, non est aptus ad regnum DEI possidendum. Et *S. Chrysost.* Hom. de lapsu primi hominis: Noli, (inquit) peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam: cogita ô homo graviorem esse culpam post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. Et S. *Greg.* Minoris excessûs est veritatem non cognoscere, quàm in ea cognita non manere. *Hinc nota Imo.* Quòd sicut Recidivorum impossibilis est correctio ac reparatio; ita etiam impossibilis est salvatio:

vatio: tum quia gravior est culpa eorum posterior, ut supra apparuit: tum quia magis & profundiùs se vitiis pristinis immergunt, habitumque peccandi validiorem induunt: tum quia plùs & fortiùs tentantur dum renovari volunt per pœnitentiam: tum quia ingrati gratiæ DEI, justè à DEO deseruntur. Verùm præsens impossibilitas juxta Interpretes Sacræ Scripturæ, moraliter & non physicè est accipienda, idque significat, quòd communiter & ordinariè non fit, nisi rarò, difficulter ac extraordinariè. *Et paulò infra*: Peccatum unius Recidivationis in peccatum alterius gradatim desinit: probari & conjici potest ex illis verbis *Joan*. 4. Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Quasi dicatur, qui peccato unius Recidivationis peccaverit, peccabit & alterius juxta illud *Eccl*. 3 Vir peccator adjiciet ad peccandum. *Et Apoc*. 22. Qui nocet (alios calumniando &c.) noceat adhuc, & qui in sordibus est, (gulæ scilicet ac veneris) sordescat adhuc. id est, permittitur & nocenti, ut iterum noceat, & sordido, ut sordescat. Quædam litera habet: Nocebit adhuc, & sordescet adhuc. Id est de peccato in peccatum trahetur, de recidivatione in recidivationem descendet. Tantò autem homini peccatum recidivationis periculosius ac perniciosius est, quantò ejus ad DEUM conversio practica fuit securior, salubrior, & sublimior. Unde si conversio ejus fuit supererogationis, qualis est Religiosorum, gravior etiam ejus casus ac præcipitatio est, tanquam de altiori gradu, quàm secularis hominis, cujus conversio fuit necessitatis. Quod ipsum comprobat *S. Chrisost.* super Matth. inquiens: Laici (utpote status secularis) delinquentes, facilè emendantur, Clerici autem inemendabiles sunt. *Ibidem.*

Praxis vitandi Recidivum peccatum est, causam ejusdem peccati abolere. Sublatâ enim causâ, tollitur & effectus, qui in sua conservatione dependet à suæ causæ continua causalitate. Hujusmodi causas assignat *Dobrosielscius* dicens: Venit peccatum Recidivationis *tum ab incuria parvorum defectuum*, qui asceticâ mortificatione non mortificati, sensim in magnos excrescunt, juxta illud *Eccl*. 9. Qui spernit modica, paulatim decidit. *Et S. Gregor. in Moral.* lib. 10. c. 9. Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti statim audenter etiam majora perpetramus. *Idem lib.* 21. *c.* 9. *Ibidem.*

c. 9. In unoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus ad graviora pervenitur. *Et Isid. de* summo bono lib. 2. c. 36. sent. 2. Quemadmodum ad virtutem tendentes, culmen non à summis inchoant, sed à modicis, ut sic sensim ad altiora pertingant: ita & qui dilabuntur ad vitia, non statim à magnis criminibus incipiunt, sed à modicis assuescunt, & sic ad maxima proruunt. *Tum à neglectu spiritualium studiorum*, qui aliàs charitatem sensim tepescere facit, donec totaliter deficiat. Hujus negligentiæ subjectis, illud deservit *Apoc.* 3. Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Ubi per *frigidum*, intelligitur homo peccator nõdum conversus ad DEUM, cujus melior est conditio, quàm conversi tepidi. Nam juxta *S. Greg.* Qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amisit, qui verò post conversionem tepuit, etiam spem de sua conversione perdidit. Per *calidum*, intelligitur vir spiritualis, qui lætus pœnitentiam agit, qui charitate fervet ad bona opera, qui cum gaudio Christum imitatur. Per *tepidum*, intelligitur Religiosus, qui spiritualium portat habitum, sed animum ac mores habet secularium. Vel qui inter virtutes & vitia fluctuat: quique ex virtute quidem vivere, & peccata vitare vellet, sed certamen cum vitiis, & laborem virtutis refugit. Hunc DEUS execratur, sicut nos execramur id, quod os evomit. Unde per Divinam tepidi evomitionem, intelligitur desertio, derelictio, & projectio negligentis Religiosi extra curam Divinæ Providentiæ, nec non subtractio auxilii efficacis, & permissio in peccata prolabendi gravia. *Tum à securitate* incircumscripta. Unde *S. Greg.* lib. 1. Moral. c. 17. Nonnunquam ipsis bonis, quæ agimus, ad deterius propinquamus: quia dum lætitiam menti pariunt, quandam etiam securitatem gignunt, dumq; mens secura redditur, in torpore laxatur. Idem lib. 9. c. 7. Sæpe mens dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario inopinatè culpæ telo perforatur. *Tum à radiculis peccatorum* vitæ præteritæ, quæ post veram conversionem in sensualitate manent mortificandæ, ut sunt habitus pravi, seu vitia acquisita. Nec non à principiis politicis, seu à principiis sapientiæ terrenæ, animalis, ac diabolicæ, quæ locum habent in intellectu, seu judicio proprio, vel aliàs in ratione infe-

inferiori. Ille antem Religiosus facilè superatur à suis vitiis principiis politicis, qui illa superare à principio suæ conversionis non studuit: & qui se ignorans, placet, ac præfidit sibi, putans se esse justum, dum scilicet peccata graviora vitat, in quæ homines mundani & scelerati communiter ruunt, licet ulteriùs proficere non curet: & quamvis possit aliquando esse in statu gratiæ, si videlicet ei gravis tentatio non occurrat, facilè tamen ea occurrente prolabitur in peccatum mortale. Unde D. *Augustinus*: semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es: Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti sufficit, periisti. *Tum à peccato lapsûs* quod scilicet, dum citò per pœnitentiam non diluitur (ut ait S. Greg.) mox suo pondere ad aliud trahit. Cujus rei exemplum habemus in David, qui post adulterium, mox commisit homicidium, & in Juda, qui post furtum, tradidit Christum, & post Christi traditionem procuravit sibi suspensionem. *Hactenus Dobrosielski.*

SECTIO V.

De Incuria Auditionis Verbi DEI, ejusque Lectionis, Meditationis, Orationis: Tum de Oppositis Cognitionis DEI, Sui, Memoriæ Divinorum, Intentionis rectæ.

QUemadmodum ut supra vidimus, ad praxim perfectam actuum salutarium Virtutis homo non devenit, nisi sese disponat per verbi DEI sedulam auscultationem, lectionem, meditationem, tum orationem, & contemplationem, ac inde consequentem DEI, nec non sui ipsius cognitionem, tum Divinitatis salutariumq; rerum memoriam; nec non promptitudinem bonæ voluntatis, ac rectam intentionem: Ita modo opposito ad peccata homo disponitur per neglectum auditionis verbi DEI, ejusque lectionis, meditationis &c. ac exinde per provenientem ignorantiam DEI, & sui ipsius. Scientia enim salutaris viâ ordinariâ hominibus non infunditur, sed multâ lectione, ac meditatione, & oratione acquiritur, ut alicubi dicitur: Illuminate

nate vobis lumen ſcientiæ, metite ſpem vitæ. Unde incurii qualiſcunque laboris pro lumine ſapientiæ obtinendo, reliquuntur in tenebris & in umbra mortis, ut cœcorum inſtar per præcipitia peccatorum cadentes, tandem in foveam gehennæ ignis ruant. Vel, ſi quis habitâ notitiâ DEI & ſuiipſius, ſacrorum tamen lectione & meditatione diutiùs abſtinuerit, facilè ejuſmodi incurrit oblivionem DEI, ac Divinorum, ſeu rerum ſalutarium. Ut deinde
Pſalm. 101. eum conqueri cum Propheta neceſſe ſit: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Sicut econtra frequens memoria, contemplatio, amor DEI, *cibat* juſtum *pane vitæ & intelle-*
Eccl. 15. *ctûs, & aquâ ſapientiæ ſalutaris*, omni nectare dulciori, *potat illum.* Cibus enim & potus animæ ſuaviſſimus, DEUS eſt: ſicut & exe-
Johan. 4. cutio beneplaciti ejus, ut Chriſtus de ſe loquitur: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Ac denique minùs æſtimatâ lectione, & meditatione ſpirituali, imperfectiones innumeræ ignorantur, Intentio recta neſcitur, vel etiam corrumpitur; Opera bona ſi quæ fiunt, ob innumeras permixtas imperfectiones, potiſſimùm ob depravatam intentionem, non modò digna ſunt vitæ æternæ, quin et pœnâ mulctantur perenni. Cavenda igitur negligentia ſacræ lectionis, & mentalis orationis. Ad quod fortiùs perurgebunt ſupra allata. Motiva Sicuti quoq; ad cogonſcendã vitandamq; ignorantiam DEI, & ſui ipſius, oblivionem DEI, ac ſiniſtram intentionem, lumen ac incentivum ſufficiens præferunt ſupradicta de cognitione DEI, ſui, memo-
l. 2. *tra:* 2. *c.* 1. *ſec:* 8. ria Divnorum &c. Niſi quòd ſuo loco ſpecialiter tractabitur de ignorantia rerum ſalutarium, ut eſt oppoſita dono ſcientiæ.

Porrò Oppoſitum Contemplationis adnecto hìc ſpecia-
lib. 2. *de imit: Chri: c.* 10. liter, quòd eſt *Pſeudo contemplatio*, de qua audi *Thomam à Kempis*
„ dicentem: Nolo conſolationem, quæ mihi aufert compunctio-
„ nem, nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem:
„ Non enim omne altum, ſanctum; nec omne deſiderium pu-
„ rum; nec omne dulce, bonũ; nec omne charum, DEO gra-
„ tum. Libenter accepto gratiam, unde humilior &
„ timoratior inveniar, atque ad relinquendum
„ me paratior fiam.))

Finis Tractatûs primi, in Prima Secundæ, Theologiæ Spiritualis.

In Prima Secundæ partis
Fol.
160.

